CRVCENACVM
PALATINVM

CVM

IPSIVS ARCHISATRAPIA,

EX

HISTORIA, POTISSIMVM POLITICA & LITTERARIA, ILLVSTRATVM,

IVNCTIM EDIT

IOANNES HENRICVS ANDREAE,
V. D. M. ET GYMN. REFORM. HEIDELB. RECTOR.



HEIDELBERGAE,
Typis Ioannis Bapt. WIESEN, Vniverſitatis Typographi,
1784.

Digitized by Google

Digitized by Google



CRVCENACVM PALATINVM
CUM IPSIUS
ARCHISATRAPIA ILLVSTRATVM.

§. I.

Variis iisque haud levibus impedimentis, quæ nos a propoſito per aliquod temporis ſpatium veluti abſterrere videbantur, aliquatenus omine fauſtiſſimo ſuperatis, iam nos ad dulciſſimam patriam noſtram, videlicet urbem *Crucenacum* eiusque Archiſatrapiam, quantum per documenta licebit, deſcribendam accingere dubitamus nulli, ea, quæ nobis ſunt πρόχειρα, lubentiſſime ſuppeditaturi. Priusquam autem de ipſo oppido ſcribamus, idque ſuis depingamus coloribus, generalia nonnulla de ipſa Archiſatrapia *Crucenacenſi*, præ quibusdam aliis profecto fertiliſſima atque amœniſſima, quippe quæ a metropoli nomen ſuum nacta fuit, omnino præmittenda cenſemus. Ipſum primarium oppidum atque haud exiguam partem regionis, quæ pagus ſive tractus, vel præſidium & dorſum *Hunnorum* (Hunnesruck, Hunenruck) vulgo nominari ſolet, ad Comitatum *Sponhemienſem* olim pertinuiſſe, conſtat a).

Verum

a) Vid. *Seb. Münſterus* in coſmogr. generali Lib. III. p. 493. ed. Baſil. Lat. an. 1559. fol. vel Lib. III. cap. 189. p. 717. ed. Germ. ibid. an. 1598. fol.

Digitized by Google



Verum autem nec urbem nostram, nec maiorem Præfecturæ portionem in pago Hunnorum sitam esse, res satis est manifesta b). Quapropter quidam gravem ratione situs errorem erraverunt. Hancce igitur telam exordiendam ita, provida Summi Numinis cura favente, pertexemus & diducemus, ut priscam Archisatrapiæ faciem, castrum Romanorum ibidem exstructum, varios huius regionis possessores, eius incrementum per Sponhemiensem Comitatum, præcipue partem anteriorem, ulterius incrementum, recentiorem Præfecturæ statum & fines, eiusque situm, flumina cum amnibus, conditionem physicam atque œconomicam, immo varia eiusdem loca: tandem ipsam metropolin *Crucenacum*, eius denominationem, antiquitatem, Palatium regium, veteres ac recentiores Dynastas, rursus alios possessores, augmenta cum quibusdam privilegiis, ædificia tum regia, tum ecclesiastica, tum alia publica, nec non civilia, deinde nonnulla miscelli argumenti, fata Mortis Martisque, potissimum in bellis tricennali Gallicoque, statum recentiorem, fines & terminos urbis, ædificia, prædia, cives incolasque, agros, decimas, nec non nonnulla physica, quæ ipsa terræ natura profert, simus spectaturi. Quibus omnibus pauca de rebus ecclesiasticis, plura de litterariis, coronidis loco subiungemus.

§. II.

Primo loco *prisca Præfecturæ facies* nobis occurrit. Terram scilicet, quam hodie *Crucenacensem* Archisatrapiam vocamus, iam veterum Romanorum ætate, silvestrem, horridam incultamque Vangionum, liberi Germaniæ populi, sedem fuisse, extra omnem dubitationis aleam collocatum est. Hi quippe Vangiones, quasi hostium captatores (Fænger, Vanger), ex veteri Germania cum Nemetibus Rhenum fluvium transcenderunt, fixis ad ripam eius sedibus. Quocirca politissi-

---

b) Qua de re pluribus infra §. X. init.

Digitized by Google

tiſſimus Romanorum hiſtoricus c), enarrans, quæ nationes e Germania in Gallias commigraverint: *Ipſam*, inquit, *Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes* d). Eorumdem Vangionum alibi quoque ſæpius ſit mentio e). Eædem nationes, interiecto temporis intervallo, iam transgreſſæ Rhenum, Arioviſto (Ehrenveſt) Regi ſuo, contra Cæſarem pugnaturo, ſuppetias miſerunt, variosque in Gallias fecerunt impetus f). Hi populi, nominatim Vangiones, poſt infelicem quoque conaminum ſuorum exitum, & poſt mortem Arioviſti, tam diu, dum Marobodus Roma rediret, ſeque coram fronte exercitus eorum ſiſteret,

 in

c) Nempe *Corn. Tacitus* de moribus Germanorum num. 28. p. 644. opp. Tom. II. ed. Amſtel. 1685. in 8; ubi conf. *Colerus;* atque *Io. Gottfr. Hauptmannus* in obſerv. ad d. l. cap. 28. num. 7. p. m. 63. ed. Lipſ. an. 1747. 8.

d) Quæ verba ſua fecit *Cl. Schedius* in ſyngramm. de Diis Germ. cap. I. p. m. 20. ed. *Io. Iarkii*, Halæ 1728. 8.

e) Apud *Tacitum* Lib. XII. annal. num. 27; apud *B. Rhenanum* in inſtitut. rerum German. nov-antiquarum hiſtorico-Geographicarum lib. I. p. m. 106. ſeq. ibid. *Iac. Otto* in comment; apud *Henr. Glareanum* in adnot. ad *Iul. Cæſarem* de B. G. cap. LIII. num. 65. ed. *Iungermanni*, Francof. 1606. fol. min; & in nomenclat. geogr. excerpto potiſſimum e theſauro geogr. *Abrah. Ortelii*, deinceps aucto & emendato, atque adiectis comment. in *Cæſarem* ab eodem *Iungermanno* editis; apud *Amm. Marcellinum* lib. XV. p. 59. num. 10. & lib. XVI. p. 65. n. 20. ed. *Fr. Lindenbrogii*, Hamb. 1609. 4. mai; apud *Iac. Schopperum* in der neuwen chorographia cap. 8. p. m. 158. Francof. 1582. fol; apud *Lehmannum* in chron. Spir. cap. II. p. 2. a. b. ed. 4. a *Io. Melch. Fuchſio*. Francof. 1711. fol.

f) Vid. *Iul. Cæſar* de B. G. lib. I. cap. 31—53; *Plutarchus* in vita Cæſaris; *Florus* de rebus Rom. lib. III. cap. 10: quæ pariter obſervavit *Io. Henr. Steffens* in der Geſch. der alten Bewohner Teutſchlandes claſſ. IV. p. 205. ſeq.

Digitized by Google



in ſtatione ſua manere conſtituerunt. Ceterum Arioviſtus in Galliam non ſua ſponte tranſiit, ſed a Gallis rogatus & accerſitus, provinciam, aiens, ſuam eſſe hanc Galliam, ſicuti illam Romanorum. Ut ſibi concedi non oporteret, ſi in Romanorum fines impetus faceret, ſic item Romanos eſſe iniquos, qui in ſuo iure ſe interpellarent g). Tandem Arioviſtus a Romanis, duce Cæſare, devincitur ac fugatur. Nam ſub P. Craſſo adoleſcente prælium *reſtitutum eſt, atque omnes hoſtes* (Germani) *terga verterunt: neque prius fugere deſtiterunt, quam ad flumen Rhenum millia paſſuum ex eo loco circiter quinquaginta pervenerunt. Ibi perpauci, aut viribus confiſi, transnatare contenderunt, aut lintribus inventis ſalutem ſibi petierunt. In his fuit* Arioviſtus, *qui, naviculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit: reliquos omnes equites conſecuti noſtri* (Romani) *interfecerunt: Duæ fuerunt* Arioviſti *uxores, una Sueva natione, quam domo ſecum adduxerat, altera Norica, Regis Vocionis ſoror, quam in Gallia duxerat, a fratre miſſam: utraque in ea fuga periit. Duæ filiæ harum; altera occiſa, altera capta eſt* h). Poſt hanc Arioviſti ſtragem & internecionem hæcce, quanta quanta tum erat, Vangionum ſedes cum univerſa Germania, nimirum trans-rhenana, haud paucis annis ante CHRISTVM natum in poteſtatem Romanorum fuit redacta, vel, ut planius ſcribam, ipſi Vangiones ad Romanos defecerunt. Nam *Tutor Treverorum copias, recenti Vangionum, Caracatium* i) *& Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis ſpe; aut metu ſubactis legionariis, qui primo cohortem præ-*

g) Apud *Iul. Cæſarem* l. d. cap. 31.

h) Apud eumdem l. c. cap. 53. §. 1—4; ibique conf. in notis *Chriſtop. Cellarius*; cui addantur *Io. Rhellicanus* ad Cæſ. p. 24. a; *Glandorpius* p. 135. b; *Io. Mich. Brutus* p. 188. b; *Ald. Manutius* p. 210. a; *Fulv. Vrſinus* p. 233; in primis *Pet. Ciacconius* p. 273; *Franc. Hotmannus* p. 348. b; *Io. Brantius* p. 436. b. ed. Iungerm. cit; ipſe *Iungermannus* ad Græcum *Cæſaris* interpretem p. 541. a.

i) Alias *Ceracatium* vel *Tabernatium*.

Digitized by Google

præmissam a Sextilio Felice, interficiunt. Mox ubi duces exercitusque Romani propinquabant, honesto transfugio rediere: secutis Tribocis, Vangionibusque & Caracatibus k).

§. III.

Hæcce igitur regio a Romanis occupata, vel ipsis potius a Vangionibus tradita, ingenti validissimoque *castro* l) munitur; utpote quod procul dubio unum erat quinquaginta castellorum, quæ Claudius Drusus per Rheni ripam direxit m); atque in tutelam istius provinciæ, potissimum ad tutandam *viam lapideam* vel *stratam augustam*, speciatim ad pontem Bingensem, quo Nava fluvius fuit commissus, defendendum, & quidem in vallium terminis, disposuit, partim ut Romanorum milites in iis hibernare, partim ut creberrimis rebellium Gothorum & Germanorum irruptionibus eo melius eoque tutius resistere valerent. Nam per istiusmodi castra hostes Romanorum omnino impediebantur, ut ne ex montibus in locorum planitiem amplius licentiusque excurrerent. Permultum equidem Druso intererat, ut in Rhenensibus regionibus extra teli iactum versaretur, siquidem iisdem regionibus, ad præsidium suum in ulterius suscipiendis, susceptis autem finitisque expeditionibus, apprime opus habebat. Ceterum, licet iuxta strata viarum, verbi gratia prope *Bingium* alibique castra fuissent digesta, pontem tamen ibidem postea destructum fuisse, rerum periti habent exploratissimum. Nam *Tutor Treveris comitantibus, vitato Magontiaco* Bingium *concessit; fidens loco,*

 quia

k) Apud *Tacitum* lib. IV. hist. cap. 70; ubi lege sis *Gronovium*, *Pichenam* & *Acidalium*.

l) De castris tamquam munimentis præter alios egregia habet *Fr. Lindenbrogius* in observ. ad *Amm. Marcellinum* p. m. 59.

m) Vid. *Florus* Lib. IV. R. R. cap. XII. §. 26. Ab ipso autem numerum horum castellorum nimiopere fuisse adauctum, ostendimus in comment. hist. de Oppenhemio §. IX. p. 28.

Digitized by Google

quia pontem Navæ fluminis abruperat n). Prædictis Romanorum castris merito adnumeratur *Castrum* in confiniis, ubi deinde *Crucenacum* conditum. Verum autem *castri Crucenacensis* fabricatio, ut hac voce liceat uti, fuit illud apud Romanos notissimum *opus stratum* o); quod ratione situs, ratione vulgaris hodiedum nominis *Muri Ethnicorum*, (die Heidenmauer,) immo ratione partium omnium scopum structoris atque vetustatem originis evidenter indicavit. Hoc *castrum* antiquitus, & quidem imperante *Antonino Bassiano Caracalla*, vel potius postmodum imperante *Diocletiano* circa A. C. 286. *Stauronesum* sive *Insulam Crucis* dictum fuisse, idque in insula quadam Navensi stetisse, &, quod verosimile est, in utroque latere habuisse pontem supra brachia fluminis extensum, atque inde tum modo memoratum nomen eius Græcum, tum etiam alia cum isto convenientia, seu eiusdem synonyma Latina & Germanica, v. g. *Cruciniacum, Crux-Navæ, Crucenahe, Creuznach* &c. demanavisse, perhibetur p). Insuper telluris profunditas ab utraque *castri* parte: vetusti pontes: rudera, quæ piscatores in hoc tractu iamdiu observavere: siccum, sed tamen adhuc lapidosum solum, præsertim fluminis orientem versus usque ad pagum *Genzingen* q), ubi tempestate humida exsistente, cernitur aquilegium, vel, ubi aqua sese colligit, tandem-

n) *Tacitus* lib. IV. hist. cap. 70.

o) Lapides nimirum in calcem exstinctam, non quidem conglutinati, sed dumtaxat per seriem aliquam iuxta semet invicem locabantur; quælibet series alternatim quasi demergebatur; opus in ligneis, tantummodo quinque pedes altis, exstruebatur cistis, atque, isto opere tandem exsiccato, rursus alii quinque pedes imponebantur, ut ne pondus superius inferiores disiunctos, tantum in calce veluti natantes lapides, nimium premendo diduceret.

p) Sic præter alia legimus in mſ. quodam Crucenacensi; quæ autem non consentiunt cum *Zeilero* in topogr. Palat. p. 22 & 23; qua de re infra pluribus §. XIX.

q) Vid. infra §. XVIII. num. 15.

Digitized by Google

demque fundo telluris ſubſidet: præterea ſtrata lapidum vel ſilicum maiorum & laterum ſubter terram, qui in proclivibus hodierni fluminis Navæ ripis adhuc ſunt conſpicui: tum arbores, quæ in fontibus effodiendis ſæpius per aliquot tabulata in terra depreſſæ reperiuntur: hæc, inquam, omnia ſtructuram huius *caſtri* antiquiſſimam affatim confirmant & comprobant. Tandem Romani nummi, circumquaque & frequenter hic loci detecti, immo ſepulcrorum monumenta cum urnis variis priſcam Romanorum in hac regione ſedem indicant evidentiſſime r).

§. IV.

Verum enim vero totius rei facies poſtea mirum in modum fuit immutata. Nam circa annum CHRISTI CCCXXXVII Alamanni, iugum Romanæ ſervitutis a cervicibus ſuis feliciter excutientes, hanc occupant regionem; in quorum, a Francis deinceps expulſorum, locum ſuccedunt Salii & Ripuarii. Sub his denique lux Chriſtianæ religionis has terras radiis ſuis ſplendidiſſimis illuſtrare coepit, adiuvante Præſule Moguntino, adeo ut hinc inde varia templa, altaria ſacræque ædiculæ *S. Martino*, Archiepiſcopo Moguntinenſi, dicata fuerint & conſecrata, verbi cauſſa Bingii, *Schwabenhemii* s) locisque aliis t). Anteriorem Comitatum Sponhemienſem ad Franciam orientalem ſive Germaniam, ulteriorem vero vel poſteriorem, ſaltim maximam eius partem, ad Lotharingiam, & quidem ſpeciatim ad eum regionis tractum, qui demum poſt notiſſimam illam regni veteris Lotharingici diviſionem, anno DCCCLXX peractam, ad Germaniam pervenit, atque ad orientalis Franciæ diſtinctionem Francia occidentalis, vel Weſtraſia (*Weſtreich, Weſtrich*) nuncupatus fuit, pertinuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum.

Vtram-

r) Lege quoque infra §. XX. initio.

s) De quo fuſius infra §. XVII. b.

t) Conf. illuſt. *de Gudenus* in cod. diplom. Tom. I. p. 89, & I. H. D. in dem Rhein. antiquar. P. II. p. 578.

Digitized by Google



Vtramque autem Franciam limitibus quasi dissecabat pagus Navensis; utpote qui antiquissimis temporibus sub pago Wormatiensi, atque ita sub Regis LVDOVICI *Germanici* portione terrarum comprehensus, ab utraque Navæ fluminis parte usque ad *Nohfeldam* vergebat, ita ut in dextro latere Sponhemienses arces & præfecturas Naumburgum & *Crucenacum*, in sinistro autem Kirchbergam, Coppensteinium, Gemundam, Gudenbergam, Beckelnhemium &c. complexu suo contineret. Quæ loca ad unum omnia ad Comitatum spectabant anteriorem u). Hinc eapropter liquet, istam regionem tamquam sibi propriam quondam possedisse Duces Franciæ v). Id quod pari modo patescit ex donatione *Palatii & ville Creuznach*, ab Imp. HENRICO IV civitati Spirensi facta. Sic commemorant *villam unam Crucenachen* dictam in pago Nahgowe, in Comitatu *Emichonis* (al. Emmechonis) sitam w). Alii similiter ad idem confirmandum provocant ad litteras, anno MCXXVIII signatas; quibus bona in pago *Bois* (Boos) x) cœnobio Disibodenbergensi a Franciæ Duce *Canno* de *Beckelnheim* fuerint donata. Verum autem de certa harum litterarum ratione non temere dubitamus. Silent namque prisca documenta y). Hoc interim certissime novimus, *Adelbertum*, Archiepiscopum Mogun-

---

u) Vid. b. m. *Chr. Iac. Kremer* in den diplomat. Beytrægen zum Behuf der Teutschen Geschichts-Kunde, Vol. I. P. I. §. V. p. 8. seq.

v) Conf. *Tolnerus* in hist. Palat. cap. II. p. 60.

w) Diploma obvium est apud *Kremerum* l. d. num. XI. p. 139; cuius quoque meminit Vir longe celeberr. *Ge. Christi. Crollius* in prælect. de Comitibus Veldentiæ in actis acad. Theod. Palat. Tom. II. p. 256. seq; ubi tamen hæ donationis litteræ non genuinæ, sed potius spuriæ iudicantur.

x) De quo infra §. XVIII. num. 8.

y) Silet quoque V. C. *Io. Ph. Crollius*, Pater, in orat. de dioecesi Beckelnhemiensi, habita a *Ioan. Casimiro Fuchs*, Monzinga-Palatino. Hæc oratio non accurate tribuitur celeb. historico *Georgio Chr. Ioannis* ap. *Kremerum* in den dipl. Beytr. p. 127.

Digitized by Google

guntinum, tabulis an. MCXXVIII editis commemoratum cœnobium divite prædiorum fructu, multisque aliis adauxisse privilegiis z). Ceterum non ipsi tantum Duces, sed nonnulli quoque Comites & Nobiles, tamquam fiduciarii clientes, ibidem propria prædia, quæ vulgo vocant allodialia bona, habuerunt. Sic *Eberhardi*, Comitis de *Newenburg*, quod habuit in villa *Creutzenach*, facta sine dubio resignatione, una cum reliquo dono Imperatoris ad Spirensem venit ecclesiam a). Adhæc observandum est cautissime, propria Francorum prædia vel bona magis ad orientem, quam occidentem Navæ partem, sita fuisse. Nam, prouti modo vidimus, in divisione regni Francici vel Lotharingici pagus Navensis, tamquam terminus inter Austrasiam & Westrasiam, fuit constitutus. Inde castrum ad orientem solem nominatum est *Ostroburgum* vel *Ostroburgense palatium*. Id quod adhuc ostroburgenses census, quin etiam ostroburgensis iurisdictio, a Comitibus Rhenensibus Palatinatui concessa, cumulatim commonstrant. Proinde iam ante ista tempora exstitit *palatium*, vocatum Palatium *Ostro-Franconiæ* in limite situm b). Idem *Palatium* iam ante annum nongentesimum, adeoque ante annum millesimum ducentesimum, quo particula crucis CHRISTI Roma *Crucenacum* translata dicitur, stetisse, quin etiam *Creuznach* vocatum fuisse, atque hinc minime ab ipsa particula crucis, prouti quidam ariolantur, nomen suum esse nactum, comprobatur ex subscriptione Imp. LVDOVICI *Germanici*: *Actum Cruciniaco in palatio regio* c). Tandem, nimirum

z) Vid. laudatus *Kremerus* l. d. pag. 19. not. 10; & *Oliver. Legipontius* in monastico Mogunt. p. 23. seq.

a) Legatur modo cit. *Ge. Chr. Crollius* in originibus Bipont. P. I. p. 130. not. d. b) Conf. *Tolnerus* l. c.

c) Hæc subscriptio in chron. Gotwic. & alibi adlegatur. Vid. b. m. *Kremerus* in der Geschichte des Rheinischen Franziens, quam edidit Vir ampliss. *Andr. Lamejus*, p. 369. Plura dabimus infra §. XIX. XXIX. num. 2. & §. XXXII.



rum seculo XI d) Comites Sponhemienses, sicut & alii, harum regionum, quarum antea tantummodo iudices fuere, fiunt proprietarii, ut meum faciam *Vlpiani* vocabulum. Anno MCCXLI e) Comites Seynenses vetus oppidum *Creuznach* pro centum & mille marcis argenti puri emerunt; quod haud diu post, videlicet anno eiusdem seculi septuagesimo tamquam hereditarium & proprium per nuptias feminæ Comitis Seynensis ad Comites Sponhemienses pervenit, & cum anteriori Comitatu, cuius metropolis est, in perpetuum fuit coniunctum; licet castrum cum eiusdem iurisdictione & censibus seu tributis in potestate Comitum Rhenensium permanserit, qui hic loci decimis fruebantur; sed ex qua ratione, quove iure, nescio. Hinc sequentia legimus: *Anno Ernesti Abbatis* X. (id est, an. 1241) *Conradus, Episcopus Spirensis, de consensu & voluntate fratrum suorum, de capitulo memoratæ ecclesiæ, omnia bona sua, quæ habebat in villa* Crüzenach *prope Spanheim in Nagavio sita, cum omnibus proventibus, iustitia & iurisdictione temporali vendidit Comiti Seynensi, pro centum & mille marcis argenti puri. Hæc quidem villa* Crüzenach, *quæ nunc est oppidum, aliquando pertinebat ad Imperium, postea Comes Hirsutus accepit eam in feudale beneficium; deinde monasterio S. Matthiæ Apostoli extra muros Trevirorum nostri ordinis collata fuit: exinde vendita est ecclesiæ Spirensi: postea, sicut diximus, comparavit eam Comes quidam de Seyn: a Comitatu vero Seynensi tandem venit ad Comitem de Spanheim, cum una filia in uxorem illi data* f).

§. V.

Circa hocce tempus diœcesis *Beckelnhemiensis*, postmodum præfectura minor adpellata, quam Duces Franciæ adhuc posse-

---

d) Apud b. m. *Kremerum* in den diplom. Beytr. p. 9.

e) Non an. MCCXIV. prouti quidam per errorem typographicum habent.

f) Apud *Trithemium*, cuius diligentiæ notitiam plurimarum antiquitatum patriarum omnino debemus, in annal. Hirsaug. e MSS. bibliothecæ monasterii S. Galli publicæ luci datis, Tom. I. p. 574. edit. S. Galli an. 1690. fol.

possederant, Comitatui Sponhemiensi adiicitur. Sed *Henricus* Comes, *Simonis* filius, ipsam anno MCCLXXVIII Archiepiscopatui Moguntino pro mille & quadringentis marcis denariorum Aquensium vendidit; penes quem etiam aliquamdiu, ferme per duo secula, permansit g). Defluxo autem illo temporis spatio, tandem ex dominio Moguntinorum anno MCCCCLXII exiit, atque in Domum Palatino-Bipontinam auspicatissime migravit. Hanc enim diœcesin *Adolfus*, Comes Nassoviæ, in locum *Dietheri*, Archiepiscopi Moguntini, solio deiecti, succenturiatus, LVDOVICO *Nigro*, Duci Bipontino, sibimet ut opem operamque præstaret, pignori opposuit h). Verum autem non ita diu in potestate Bipontini permansit. Quum enim inter LVDOVICVM *Nigrum* atque FRIDERICVM I. Septemvirum Palatinum denuo bellum exarsisset acerrimum, hic eam anno MCCCCLXXI armis subegit, &, pace postmodum cum LVDOVICO facta, domui Septemvirali vindicavit i). Successor vero PHILIPPVS *Ingenuus*, Elector, deinde sibi suisque posteris eamdem reddidit confirmatiorem. In hanc quum transiisset, pars terrarum Septemviralium aliquamdiu fuit. Postea vero primum ad IOANNEM CASIMIRVM, filiorum FRIDERICI III natu minorem, una cum aliis bonis, ex testamento Patris, anno millesimo quingentesimo septua-

g) Idem *Trithemius* l. d. Tom. II. ad hunc annum p. 34. & ad an. 1279. p. 36. seq; idem in chron. Sponhem. p. 289; *I. P. Crollius* in cit. orat. p. 28; ubi quoque tabulæ venditionis producuntur; quibus addatur b. *Kremerus* in den diplom. Beytr. p. 109. 150. 153 & 160.

h) Vid. *Trithemius* Tom. II. annal. Hirsaug. p. 444, aliique apud *Crollium* l. d. pag. 31.

i) Conf. *Trithemius* de gestis Friderici Victor. ad an. 1471. p. m. 64 & 70 seq. ed. *Reinhard*; *Tolnerus* in hist. Palat. cap. II. p. 74; *Paulus Hachenbergius* in hist. de vita & rebus gestis Friderici I. Lib. VII. pag. 202. seq. pag. 210. seq; quam primum ex MSS. edidit *Io. Philippus Kuchenbeckerus*, Ien. & Lipf. an. 1739. 4; nec non *Crollius* l. c. pag. 31 & 32.



gesimo sexto devenit. Id quod diserte ostendunt tabulæ, tum eæ, quibus IO. CASIMIRVS præfecturæ huius civibus atque incolis omnia iura omnesque immunitates confirmavit, datæ *Sobernhemii* d. XVIII Maii an. MDLXXVII; tum illæ, & quidem eodem anno ipsis Calendis Maii signatæ *Heidelbergæ*, quibus LVDOVCVS Septemvir idem fecit k). Sed, IO. CASIMIRO sine liberis heredibus defuncto, rursum cum terris Septemviralibus ad tempus aliquod coaluit. Præterea FRIDERICVS IV. Elector eamdem minorem præfecturam LVDOVICO PHILIPPO, filiorum natu minimo, per testamentum transscripsit. Hic deinde eam, pace Westphalica recuperatam, ad filium LVDOVICVM HENRICVM, Principem Simmerensem, transmisit; utpote qui illam quiete, nemine repugnante, tenuit usque ad annum millesimum sexcentesimum sexagesimum tertium; quo *Ioannes Philippus*, Archiepiscopus Moguntinus, eum obturbavit, caussam inserens, hancce ditionem Palatinis non nisi pignoris loco subesse. Quocirca LVDOV. HENRICVS, Moguntinensium minis nimium perculsus, tandem huc descendit, ut Moguntino supremam dominandi potestatem concederet, ac sibi suisque posteris masculis Dominium utile, quod adpellitant, lege beneficiaria reservaret, permitteretque, ut subditi, in futuræ successionis eventum, Archiepiscopo tum anno 1663, tum 1673, homagium præstiterint. Interim CAROLVS LVDOVICVS, Elector Palatinus, tam suo, quam Principum agnatorum nomine, sollemnem obtestationum formulam utrique isti actui interposuit l). Tandem, cum sub anni 1674 initium vita LVDOVICVS HENRICVS excessisset, CAROLVS LVDOVICVS, Elector, tamquam proximus Agnatus, istam diœcesin, vi adhibita, Moguntinis insignibus refixis & avulsis,

k) Idem *Crollius* p. 32. seq; ubi & utraque tabula legitur; hic subiungi meretur *Io. Fr. Reigerus* in der ausgeloescht. Churpfalz - Simmer. Stamms - Linie, p. 219, 223, seqq. atque ad eum *G. C. Ioannis*.

l) Vid. cit. celeb. *Ioannis* in adpend. poster. ad *Parei* hist. Palat. p. 532, & sect. III. p. 557; idem ad *Reigerum* p. 222; *Crollius* l. d. pag. 33 & 34.

Digitized by Google

ſis, præſidiis itidem expulſis, ſibi Domuique ſuæ iterum adſeruit m). Quum autem huiuscemodi concertatio in bellum eruptura eſſet apertiſſimum, Cæſar, auctoritate ſua interpoſita, hanc diœceſin anno 1676. ſequeſtris in manum tradidit n). Tradidit autem Cæſar eam, tamquam rem depoſiti lege ſervandam, anno dicto d. xv. Maii illuſtriſſimo L. B. de *Landſée* o). Illius autem in locum poſtea ſuffectus fuit *Ludov. Guſtavus*, Comes ab *Hohenloë*. In illius dignitatem an. 1697. ſubiit *Salentinus Erneſtus*, Comes de *Manderſcheid Blanckenheim*; quem deinceps anno ſeculi noſtri quinto excepit filius, *Franc. Georgius*, illorum poſtremus p). Sub horum ſequeſtrorum cura integros pæne XXXIX annos hæc diœceſis manſit, nimirum usque ad annum MDCCXV, d. xxv. Ianuarii, quo dicta ſequeſtratio, ex decreto cæſareo, ceſſavit. Nam eodem anno LOTHARIVS FRANCISCVS, Archiepiſcopus Moguntinus, & IOANNES WILHELMVS, ſereniſſimus Elector Palatinus, omnem rem inter ſemet invicem ita compoſuerunt, ut commemorata diœceſis ad Domum rediret Palatinam; ſed tamen e Palatinis poſſeſſionibus Sedi Moguntinæ tantum terrarum aliis in locis tribueretur, quantum pars illius dimidia conficeret. Quapropter, lite ſic feliciter finita, Beckelnhemienſis præfectura, ſub *Minoris* titulo, *Crucenacenſi*, tamquam *Maiori*, contributa fuit, eidemque veluti ſororio vinculo usque huc illigata eſt. Sollemnibus autem Cæſaris tabulis, quibus modus

B 3 diremtæ

m) Conf. *Ioannis* in curis poſter. ad *Parei* hiſt. Pal. miſcellis hiſtoriæ Palat. inſertis p. 254. ſeq.

n) Conf. *Tolnerus* l. d. cap. II. p. 74. ſeq; *Joannis* ad *Reigerum* p. 222; *Crollius* l. c. pag. 35. ibique in notis.

o) Non *Landsberg*, ut *Tolnerus* aliique habent.

p) Vid *Crollius* l. c.; *Jo. Pet.* de *Ludewig* & *Finſterwald*, vel, qui ſub eo nomine latet, Doct. *Hempelius*, vom Hauſe Pfalz, p. 406. ſeq; Die Statthaftigkeit des Recurſus &c. bey Gelegenheit in der Sponheim-Ebernburger Wiederloeſung-Sache, gegen die Reichs-Ritterſch. am niedern Rheinſtrom &c. num. V. §. CVI. ſeqq. pag. 70. ſeqq.



diremtæ sopitæque diuturnæ controversiæ ratus habebatur, d. xxv. Aprilis *Sobernhemii* publicatis, Regiminis Palatini Consiliarii, Dominus de *Fritz* & Dominus de *Becker*, universos huic præfecturæ subditos, Serenissimi & Potentissimi Principis Electoris nomine, statim in fidem obsequiumque receperunt q). Eodem anno MDCCXV. laudatissimus Elector Palatinus de portione terrarum suarum Archiepiscopo Moguntinensi *Wœllstenium*, *Gumbshemium*, *Pleitershemium*, *Volckshemium* & *Siefershemium*, loca cis Navam iacentia, & quidem pro dimidia parte minoris præfecturæ Beckelnhemiensis, tradidit.

§. VI.

Ceterum ad res vetustioris memoriæ, prouti decet, redeuntes, leviter hic loci attingimus, per largissimas profecto donationes, quibus nimium liberales nimiumque benigni Comites Sponhemienses cœnobia *Crucenacensia*, tum in ipsa, tum extra civitatem, cumulavere, notabiles & insignes redituum portiones perierunt; quarum iactura tunc fuit prorsus irreparabilis r), adeo ut, quemadmodum alii quoque Principes istius ætatis plurimi, cum *Chilperico*, Merovingiorum Rege, anno 584. exclamare possent: *Ecce pauper remansit fiscus noster: ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ: nulli penitus, nisi soli Episcopi regnant; periit honos noster, & translatus est ad Episcopos civitatum* &c. Nimium equidem præ Principibus potentes tunc fuerunt Episcopi & Ecclesiastici. Hinc quoque factum, ut liberalissimi Comites sibimet ab ipsis vehementissime metuerent. Certissimo nobis exemplo huius rei semper esse poterunt Archiepiscopus Trevirensis in bello Daunico s), nec non Archiepiscopus Moguntinus in bellis propter Beckelnhemium

---

q) Conf. *Joannis* in curis poster. ad *Parei* hist. in miscell. p. 254—57; idem ad *Reigerum* p. 222. seqq; *Finsterwald* p. 490. seqq; & *Crollius* l. d. pag. 36. & 37; ubi *Hübneri*, *Kœleri* aliorumque errores notantur.

r) Prouti passim legimus apud *Kremerum* in den diplom. Beytr.

s) Idem l. d. pag. 296—301.

mium exortis t). Multi præterea Comites Hirsuti, vel potius Asperi, (Raugravii) a Comitibus Sponhemiensibus prognati, auctoribus insecuturæ prosapiæ, quin immo ipsis Comitum Sponhemiensium posteris, haud exiguam terrarum portionem subduxerunt, veluti novam Bambergam, Kirchhemium, Cronenbergensem in oppido *Crucenaco* villam, Mandelam, Coppenstenium, cetera u). Horum autem Raugraviorum sedem præcipuam olim circa *Crucenacum* fuisse, satis est compertum v). Hisce non obstantibus, Comitatum Sponhemiensem affatim amplum, affatim potentem & auctoritate valentem numquam non exstitisse, nemo ibit inficias. Sed hæc ὡς ἐν παρέργῳ.

§. VII.

Quapropter in viam e diverticulo regredi fas erit. Indicandum enim iam nobis est, qua ratione pars anterioris Comitatus Sponhemiensis ad Serenissimos Principes Palatinos pervenerit. Seculo videlicet decimo quinto veteres Comites, quorum natalis domus arx *Sponhemium* fuit, morte fuerunt exstincti. Nam *Simon* IV. lineæ *Crucenacensis* anno MCCCCXV. obiit, unica filia *Elisabetha* relicta. Deinde *Ioannes* VI, Comes lineæ Starckenburgensis ultimus, improlis decessit d. XXIII. Octobr. an. MCCCCXXXVII w). Proinde in Sponhemiensem Comitatum anteriorem Principes Palatini ius nacti fuerunt, partim donationis, vel potius pacti, partim autem hereditatis titulo. Nam RVPERTVS III cognomento *Clemens* & *Iustinianus*, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, RV-

t) Apud *Crollium* cit. pag. 38.

u) Testante *Kremero* l. d. passim.

v) Vid. *Jac. Wilh. Imhoffius* in notitia S. Rom. Germ. Imperii Lib. II. cap. IX. §. 33. & 35. p. m. 88. seqq; ubi varia de Raugraviis, potissimum de eorum etymologia legi poterunt.

w) Conf. H. B. P. in præfat. de usu & necessitate Genealogiæ, præmissa parti I. b. m. *Kremeri* symbolarum diplom. p. XXVI. & *Münsterus* in cosmogr. gen. lib. III. cap. 184. p. 718. ed. Germ.



RVPERTI Electoris filius, postmodum, Imp. WENCESLAO deposito, anno MCCCC Rex Rom. electus, non variis modo terrarum tractibus & superiorem & inferiorem Palatinatum, sed speciatim quoque quinta parte anterioris Comitatus Sponhemiensis, adauxit. Huius enim RVPERTI filius natu maior RVPERTVS, cognomine *Pipan*, anno seculi decimi quarti nonagesimo secundo sibi matrimonio sociavit antea laudatam *Elisabetham*, *Simone* natam x); utpote quae, marito ineunte dicti seculi nonagesimo septimo anno, aetatis suae vicesimo primo y), sine prole mortuo, propter singularem in Palatinos adfectum, consentiente *Simone* patre, quintam modo memoratam anterioris Comitatus portionem socero suo RVPERTO donavit z). Eamdem quoque donationem, defuncto postea patre *Simone*, LVDOVICO *Barbato*, Electori Palatino, RVPERTI Regis filio, adeoque leviro suo, confirmavit diplomate, quod datum die Dominica post S. Pentecosten, an. 1416 a); reliquis Comitatus partibus ad *Ioannem* agnatum lineae Starckenburgensis, qui ulteriorem Comitatum Sponhem. tenebat, devolutis b). Hic autem *Ioannes*, sobole destitutus, condito nimirum an. 1415 testamento, *Bernardum*, Marchionem Badensem, *Rudolphi* Marchionis & *Mechtildis* feminae Comitis Sponhem. filium, & *Fridericum* Veldentiae Comi-

---

x) Vid. *Joannis* in notis ad *Parei* hist. Palat. p. 176.

y) De obitus anno variant historici, quemadmodum egregie nos edocet illustris Dn. *P. W. L. Flad*, eximius historiae patriae Patronus & Promotor, in der histor. genealog. Nachricht von Rupertus Pipan, §. 22. p. 45. seq.

z) Plura dabit modo laudatus illustris *Flad* l. d. §. 4, 5 & 6. p. 8. seqq. §. 15. seq. p. 27. seqq. §. 21. seqq. p. 44. seqq; ubi prorsus egregia hac de re leguntur.

a) Apud *Tolnerum* in cod. diplom. num. CCLXVI. p. 161; huius diplomatis autographum servatur in archivo Elect. Palat.

b) Vid. *Trithemius* in annal. Hirsaug. Tom. II. p. 574. seq; & laudatus Dn. *Flad* l. d. pag. 52.

Comitem, *Loretæ* Sponhemiensis maritum, amitinos suos, heredes pro æqualibus instituit partibus; utpote qui duo heredes etiam, *Ioanne* an. 1437. denato, ex pacto Baynhemiensi de anno 1425. Comitatum occupaverunt c). Horum consortium, Palatini videlicet, Badensis & Veldentiani, dominium per pacem castrensem, quam vocant, an. 1437. confirmatur.

Verum enim vero, quum *Stephanus*, Comes Palat. Simmerensis & Bipontinus, filius RVPERTI Cæsaris quintogenitus, *Annam*, unicam *Friderici* Comitis Veldentiæ filiam, uxorem duxisset, socero demum demortuo, tum Veldentiæ Comitatus, tum quoque quidquid ille in Sponhemico Comitatu tenuerat, nimirum ex anteriore duo quincunces, ulterioris vero dimidium ad *Stephanum*, uxoris iure, sunt devoluta d). Idem autem *Stephanus* per supremas tabulas, vel secundum ordinationem hereditariam, anno 1444. factam, *Fridericum*, filium primogenitum, heredem in partibus anterioris Comitatus Sponhemiensis atque in terris Simmerensibus scripsit; *Ludovico* autem secundogenito regiones Bipontinas cum Comitatu Veldentiæ & dimidio ulterioris Sponhemici adsignavit e). Quum anno 1463. Marchio Badensis ab Electore Palatino captivus abduceretur, ille partem suam, quam in Comitatu habuit, Electori pro quadraginta quinque mille florenis oppignoravit; quam tamen postmodum reluebat f). Ceterum FRIDERICVS I, Elector, partem suam, quam in Comitatu Sponhemiensi possedit, noluit a Palatinatu discerpi g). Posteaquam

c) Idem ampliss. *Flad* l. c.

d) Celeb. *Joannis* in miscell. hist. Palat. p. 24.

e) Idem *Joannis* l. d. & *Münsterus* l. c. lib. III. p. 493. ed. Lat. Basil.

f) Idem *Münsterus* in cosmogr. lib. III. cap. 184. p. 718. ed. Germ.

g) Conf. die Verordnung Kurfürsten Fridrichs I von der Pfalz, wie es auf den Fall zu halten, wann er sich Künftig annoch vermaehlen, und fürstliche Leibes Erben erzielen würde, d. d. Heidelberg uf Fritag nach St. Vincenzien Tag (d. 24. Ian.) 1472; apud b. *Kremerum* in der Gesch. Frid. I. & quidem in cod. diplom. num. CLXVIII. ad an. 1472. pag. 455.



quam autem anno MDLIX, quo OTTO HENRICVS, Elector Palatinus, improlis obiit, Electoratus ad FRIDERICVM III, *Pium* cognominatum, Ducem Simmerensem, *Stephani* Bipontini, tertiogeniti RVPERTI Cæsaris h) abnepotem, delapsus est, quinta illa anterioris Comitatus Sponhemiensis portio, quam ex *Elisabethæ* donatione ad Palatinam devenisse familiam modo monuimus, cum duobus reliquis quincuncibus, (Zwey-fünftheil,) quos a tempore *Stephani* obtinebant Simmerenses, coaluit. Deinde FRIDERICVS IV, Elector Palatinus, *Pii* nepos, quum duos haberet filios, maiori natu cognomini FRIDERICO V. dignitatem Electoralem cum Palatinatu; sed LVDOVICO PHILIPPO, iuniori filio, Lutrensem & Simmerensem Principatus, cum anterioris Comitatus Sponhem. partibus, testamento composito, adscripsit. Verum enim vero CAROLVS LVDOVICVS, Elector Palatinus, hancce ditionum partitionem nimium quantum sibimet detrimentosam esse rectissime ratus, neque potestatem Avo fuisse vere dictitans, tam grandem Electoratus partem minori filio attribuendi, controversiam inde patruo i) movit; utpote quæ anno superioris seculi quinquagesimo quarto in comitiis Ratisbonensibus sic est diremta sopitaque, ut Dux Simmerensis reditibus quintæ partis in Comitatu Sponhemiensi, quid? immo duabus tertiis præfecturæ Strombergicæ, sed Lutrensi decederet integra; reliqua vero cum universo Simmerensi Principatu retineret, & quidem cum eadem suffragii, qua Simmerenses hactenus gavisi, potestate legitima: hac tamen sub lege, ut in primo, qui post hanc transactionem haberetur, Senatu prior Simmerensis sententiam diceret, posthinc vero Lutrensis atque Simmerensis, vicibus alternis k). Verum autem post aliquot annorum decursum mutata aliquatenus hæc transactio fuit,

h) Linea secundogeniti, scilicet Regis IOANNIS, in filio CHRISTOPHORO, Daniæ Rege, iam anno 1448. fuit deleta.

i) Non *Patrueli*, prout habet *Imhoffius* l. d.

k) Vid. *Ioannis* in append. poster. ad *Pareum* p. 546.; *Reigerus* l. c. §. 51. p. 163; atque ad eum idem *Ioannis*.

fuit, ita ut Elector Palatinus, duobus trientibus sive duabus tertiis præfecturæ Strombergensis Duci Simmerensi redditis, in societatem *iurisdictionis in Comitatu Sponhemiensi*, quoad quintam illam partem ipsi adsignatam, admitteretur. Atque vi huius pacti cum Elector incolas anterioris Comitatus in fidem suam adigeret sacramento, Marchiones Badenses actui illi repugnarunt, seque non nisi unicum *Con-Dominum*, vel dominii consortem, Principem videlicet Simmerensem, agnoscere denuntiarunt; nec non eamdem ob rationem a Cæsare commissionem, quam adpellitare solent, exorarunt, quippe qua Electori omnis iurisdictio in Sponhemiensi Comitatu abiudicatur, atque subditi ab iureiurando sibi præstito absolvuntur. Tandem autem per ultimam transactionem, *Crucenaci* initam & consummatam, Elector in *consortium Dominii* Sponhemiensis fuit receptus, ita ut anterior Comitatus tres Dominos æquali potestate gaudentes tunc agnoverit, usque dum, *Ludovico Henrico Mauritio Francisco*, ultimo Duce Simmerensi, fatis anno MDCLXXIII erepto, omnes eius ditiones cum Electorali Palatinatu rursum veluti coaluerunt, atque adeo tres etiam illi quincunces (Dreifünftheil) Sponhemienses ad unum Dominum redierunt; ita quidem, ut postmodum Electores Palatini imperium in huncce Comitatum cum solo Marchione Badensi diviserint l). Ceterum postea Galli, qui sese rerum dominos esse putabant, quum Veldentiæ Comitatum subegissent, cives etiam & incolas anterioris Comitatus Sponhemici, quasi idem a Veldentia dependeret, ad homagium Regi suo rite præstandum, per litteras, a clandestinæ Gallicæ ambitionis ministris in ipso oppido *Crucenacensi* publicis valvis adfixas, evocarunt quidem, sed tamen omni, prouti ius fasque fuit, rerum successu caruerunt m).

 §. VIII.

l) Conf. *Imbossius* l. d. pag. 81. seq; *Tolnerus* in hist. Pal. cap. II. p. 59. seq; *Finsterwald* l. c. pag. 405; cel. *Büschingius* in der neuen Erdbeschreibung P. VII. p. 1040, seq. & p. 1122, ed. Scaphus. 1768.

m) Apud eumdem *Imbossium* pag. 86.



§. VIII.

Insuper ad ulteriora præfecturæ huius incrementa referre sequentia merito possumus. Tandem enim anno MDCCVIII, d. XXIV Octobris n), commune in dicto Comitatu Sponhem. dominium desiit, & quidem ex partitionis pacto, secundum quod Marchio Badensis *Kirchbergam* ultra Navam, & *Sprendlingam* cum *fano S. Ioannis* cis Navam; Elector vero Palatinus partem anterioris Comitatus reliquam cum oppido *Crucenaco* separatim privatimque nanciscebatur. Quæ vero res sese sequenti habet ratione. Postquam nimirum anno seculi nostri octavo divisio anterioris Comitatus Sponhemici, cuius imperium inter Serenissimum ac Potentissimum Electorem Palatinum & Serenissimum Marchionem Badensem hactenus erat commune, per denominatos Legatos, & quidem a parte Electoris, per illustrissimum L. B. *Schelm* de *Bergen*, intimum Electoris Consiliarium, per ampliss. *Ioannem Henricum Otto*, Regiminis Electoralis Consiliarium & Cameræ Directorem, tandem per ampliss. *Philippum Petrum Flad*, Electoralis Cameræ Consiliarium; præterea nomine Marchionis Badensis, per illustrissimum L. B. *Carolum Ferdinandum* de *Plittersdorff*, Marchioni a consiliis intimis, item per ampliss. *Henricum Christianum Bralliard*, Consiliarium intimum aulicique iudicii Directorem, nec non per *Ioannem Carolum Sartorium*, Badensis Cameræ Consiliarium, facta & transacta fuit, omnes communi dominio subditi per eosdem Deputatos iureiurando solvuntur; immo homagium atque incolarum obsequii clientelaris obligatio, Serenissimo Electori Palatino præstanda, publice magnaque cum sollemnitate denuntiatur an. MDCCVIII, d. XXIV Octobr. qui erat dies Martis. In hac divisione *Crucenacensis* archisatrapia, *Sprendlinga fano*que *S. Ioannis* exceptis, Serenissimo Potentissimoque Electori Palatino; sed inferiores præfecturæ *Kirchberga*, *Coppenstenium*, & *Naumburgum* cum villis *Denzen* & *Reckershausen* extra Comitatum anteriorem, immo *Neuburgs-Weyher* in præfectura Germershemiensi, Marchioni

n) Non anno 1707. d. 24. Aug. uti falso habet MS. Crucen.

chioni Badensi conceduntur. Homagii præstandi sollemnitas *Crucenaci* suscipitur. Publicum huius actus instrumentum a Tabulario sive Grammateo fuit confectum. Quo facto laudati Legati semet in curiam, in foro stantem, & quidem in maius illius conclave conferunt, sex sedilia sedendo occupant, atque singulos anterioris Comitatus Sponhemiensis ministros, ecclesiastico, politico civilique ordini adscriptos, ad sese sollemniter evocant; evocatos autem a parte Marchionis, impubis Principis, cuius curam gesserat optima mater FRANCISCA SIBYLLA AVGVSTA, nata Dux Saxoniæ, generosus L. B. de *Plittersdorff* adloquitur, tractatum partitionis publicans, eos a prisco iureiurando liberos declarans, quin etiam ad nova officia diligenter exsequenda ardentius cohortans. Ad honorificam hancce compellationem respondet Palatinus Legatus illustris L. B. *Schelm* de *Bergen*, Legato Badensi gratias agens, atque ad officia fidei subditos humanissime invitans, litteris, plenam Electoris Palatini potentiam continentibus, a Tabulario rite prælectis. His ex more peractis, procedit Archigrammateus *Crucenacensis*, nomine Magistratuum Civiumque *Crucenacensium* rogans, ut ipsorum antiqua privilegia, quæ præ se ferens exhibebat, sarta tectaque perpetuo manerent. Cui responsa remittit ampliss. *Otto*, Consiliarius Regiminis, re iuste & optime deliberata, semper actum iri, quidquid esset iuris moribus constituti. Deinceps *Philippus Hieronymus Andreæ*, primarius ecclesiæ reformatæ Pastor & vicinarum Inspector, porro *Ioannes Georgius Kaeuffling*, Ecclesiastes Evangelico-Lutheranus, tandem R. P. *Elias*, Carmelita, Pastor Sponhemicus, qui simul ecclesiam Kirchbergensem administrabat, ecclesias suas quilibet in tutelam Procerum tradunt iisque totas decentissime committunt; quorum propositiones laudatus modo Consiliarius *Otto* excipit, iisque benevolam concedit audientiam. Omnibus hisce præmissis, sequens iurisiurandi formula coram prælegitur:

„Ihr saemtlich allhier versammlete Beamten, Geist- und „Weltliche Bedienten, sollet geloben und schwoeren dem „Durchleuchtigsten Fürsten und Herrn Herrn IOHANN



„WILHELM, Pfaltzgraff bey Rhein, des Roemischen Reichs „Ertztruchsæss und Churfürsten, in Bayern, zu Gülich, Cleve „und Berg Hertzog, Graff zu Veldenz, Sponheim und Marck, „Ravensperg und Moers, Herr zu Ravenstein &c. &c. &c. als „eurem natürlichen Erb- und Landsfürsten, und seiner Chur-„fürstlichen Durchleucht Erben getreu, hold und gehorsam „zu seyn, deren schaden zu wenden und zu warnen, nutzen, „frommen und bestes zu werben, und zu förderen, und alles „dasienige zu thun, was getreue Bedienten ihrem Erb- und „Landsfürsten zu thun schuldig und pflichtig seyndt, getreu-„lich, sondern gefehrdt.„

Respondent præsentes omnis ordinis clientes:

„Als uns vorgelesen, und wir wohl verstanden haben, „dem sollen und wollen wir alsso stet und fest und ohnver-„brüchlich und getreulich geleben und nachkommen, als uns „helffe Gott der Allmaechtige und sein heiliges Evangelium!„

Insuper Archigrammateus *Crucenacensis* nomine Magistratuum gratias persolvit Deputatis Badensibus, & Palatinos de meliori nota commendat. Præterea generosissimi Regiminis utriusque Legati theatrum, in foro erectum, ubi sex sedilia & mensa, calamis, atramento chartaque scriptoria instructa, conscendunt, ad actum publice peragendum. Quapropter & Palatina & Badensia mandata per *Lucam Mayerum* & *Valentinum Loricii*, librarios, adpensis sigillis probe recognitis, prælegunttur. Quibus ex consuetudine prælectis, memoratus L. B. *Schelm* de *Bergen*, ex statuto Palatino, iam paulo superius insertam iurisiurandi formulam curavit prælegendam, prælecta vero singuli præsentes tum *Crucenacenses*, tum vicini, fidem iuraverunt. Qui actus ultra bihorii spatium duravit. Deinde clientibus omnibus, qui maximo cumulati gaudio lætanter exultabant, sextarius vini panisque duorum trientium seu crucigerorum cuilibet distribuitur. Ceterum pro illustribus Delegatis, pro Archisatrapiæ præfectis membrisque magistratus oppidani duæ mensæ ingentes in ipsa curia fuerunt ad prandium stratæ, variis iisque lautissimis cibis & tragematibus sive bellariis oneratæ, vinis adpositis generosissimis, im-

mo



mo musicis symphoniis inter epulandum aures mirum in modum recreantibus sensusque titillantibus.

Pari ratione d. XXVII Sept. Marchioni Badensi religione sacramenti sese devinciunt cives *Sprendlingenses* & incolæ pagi *S. Ioannis;* quibus supremus mixti dominii caussidicus & procurator *Pistorius* & filius Pastoris Reformatorum *Ioannis Iusti Nisenii*, nomine patris, propter adversam valetudinem absentis, præiverunt. Idem actus d. XXX mensis eiusdem *Kirchbergæ* ceterisque locis publice fuit celebratus; ubi eædem propemodum, quæ *Crucenaci*, cerimoniæ observabantur. Incolæ pagi *Neuburgsweyher* sacramento Marchioni Badensi iurando demum pridie Calendarum Decembris adstringebantur; sed tamen hac sub lege, ut Elector Palatinus silvarum usum liberumque Rheni traiectum, & quidquid ab iis dependeret, ibidem sibi reservaret. Huius sollemnitatis testes requisiti subscriptique fuerunt sequentes: & quidem *Crucenaci*, *Ioannes Collmannus Creutzer*, Comitis Dhaunensis Secretarius & regionis Curator, & *Philippus Ludovicus Textor*, mercator Crucenacensis; sed *Sprendlingæ*, *Franciscus Boering*, L. Baronis de *Plittersdorff* conquisitor Crucenacensis, & modo memoratus *Textor;* tandem *Kirchbergæ*, *Casparus Gernandus Keller*, L. Baronis de *Schmidtberg* cellarius Gemündanus, & *Hubertus Schreiner*, apud L. Baronem de *Metzenhaussen* rei domesticæ dispensator o).

Post hancce ditionis Sponhemiensis divisionem Serenissimus & Potentissimus Princeps Elector IOANNES WILHELMVS cum Legatis suis rescriptum, *Düsseldorpii* d. XIV. Nov. an. MDCCVIII signatum, communicavit subsequens:

„Wir haben Vns ab Euerer sub dato 4ten lauffenden Mo„naths erstatteter unterthaenigsten Relation gebührend vor„tragen lassen, welcher Gestalt Ihr, zu folg dess mit dem Fürst„lichen

o) Hæc omnia decerpsimus ex instrumento publico, quod *Ioannes Diemer*, Apostolicus & Cæsareus publicus & iuratus, ad hunc actum per mandatum Electoris Heidelberga *Crucenacum* evocatus Tabularius, rite confecit, quodque msc. in Palatinis & Badensibus archivis adservatur.



„lichen Hauſſ Baaden errichteten beyderſeiths ratificirten Re-
„ceſſes, wegen Abtheilung der vordern Grafſchafft *Sponheimb*,
„auch derenthalben an Euch ergangener Verordnung, und zu-
„gefertigter Vollmacht, mit undt nebſt den Fürſtlichen Baa-
„diſchen Deputirten in die Statt und Oberamt *Creutznach*
„Euch begeben, und die Sach mittels reſpective Erlaſſ- und
„Aufnehmung der Vnterthanen in Vnſere privat Pflichten
„und Huldigung, auch gehoeriger poſſeſſionsergreiffung ſambt
„was dabey weiter zu beobachten geweſen, bewerckſtelliget;
„wormit dan in allem Recht beſchehen, und wollen Wir das
„vertroeſtete Notarial Inſtrument über den gantzen Actum
„gnaedigſt erwarten. „

„Was ins beſonder der Statt *Creutznach* geſuchte Confir-
„mation ihrer Privilegien belangt, da iſt wohl gethan, daſſ Ihr
„deren ſchrifftlichen Vorſtellungen, auch darbey der Ober-
„beambten bericht erfordert, und ermangelen Wir nicht, Vn-
„ſere Churpfaelziſche Regierung und Hoffcammer, ſo viel
„dahin einlaufft, darüber zu vernehmen, und ſo dan der Con-
„firmation halber, Vnſſ gnaedigſt zu reſolviren. „

„Wegen der Waldung hat es, weilen die 1165 Morgen,
„60 Ruthen, mithin der gantze Sohnwaldt Vnſſ Vnſſerem
„Churhauſſ, nebſt von Fürſtlicher Baadiſchen ſeithen cedirt-
„und abgetrettener vorhin vom Churhauſſ zu Lehen getrage-
„ner Iagdtbahrkeit verbleibet, dabey, nach Anlaſſ des darü-
„ber durch beyderſeiths Deputirte und Bevollmaechtigte un-
„terſchrieben: von Euch ſub lit. C. abſchrifftlich beygelegten
„Receſſes, ſein bewenden. „

„Was die Puncten wegen des Religions Weſſens betrifft,
„da wollen Wir, weilen die Baadiſche mit erfordelicher In-
„ſtruction und Vollmacht nicht verſehen geweſen, den von
„Euch mit Ihnen vollendts, nach Anlaſſ unſeres letzteren ſub
„dato 13ten Octobr. ergangenen Reſcripts, zu concertiren ſey-
„enden Erfolg gnaedigſt erwarten. „

„So viel die Gefaelle betriefft, laſſen Wir Vnſſ, daſſ umb
„ihrer richtigkeit willen ſelbige das zu auſſmachung eines
„gantzen Iahrgangs noch reſtirende Viertheil Iahr, auff dem

Fuſs

„Fuſſ der biſsherigen reſpective drey und zwey fünfftheil er„hoben, deſshalben auch an denen, zu Completirung des Baa„diſchen antheils cedirenden drey Orthen, Dentzen, Re„ckershauſſen und Neuburgsweyher die Gefaelle ſolch vier„theil Iahr über Vnſſ annoch verbleiben, gnaedigſt gefallen, „und wirdt, nach ausgang ſolchen Iahrs, wegen Einführung „der Licent, an deſſen ſtatt die Vnterthanen in der vordern „Graffſchafft Sponheimb die 25000 Gulden Verpflegungs Gel„der biſs dahin continuiren, die weitert notturfft zu verord„nen ſtehen. Dafern Ihr übrigens Euerer dieſsfalls haben„den guten Information nach, ein und anders an hand zu ge„ben wüſtet, welcher geſtalt das nunmehr Vns und Vnſſerem „Churhauſſ alleinig zuſtehende Oberambt *Creutznach* in meh„reres Auffnehmen zu bringen, und beſſer zu boneficiren, „wollen Wir Euerer unterthaenigſten Vorſchlaege darüber „förderſambſt gewertig ſeyn. Vnd Wir &c. &c. „

Hisce omnibus in ordinem redactis, ſerio cogitatum fuit & deliberatum, quomodo ſtatus oppidi *Crucenacenſis* melior multoque florentior reddi poſſet. Sed hac de re loco ſuo pluribus p).

Anno MDCCLXIX præfecturam *Crucenacenſem* aliquot Meiſenhemienſis præfecturæ locis, quæ CHRISTIANVS IV, Sereniſſimus Dux Bipontinus, Sereniſſimo & Potentiſſimo Electori noſtro CAROLO THEODORO, clementiſſimo & optimo patriæ Patri, tradidit per aliorum immutationem, adauctam fuiſſe, novimus. Anno huius ſeculi ſeptuageſimo primo laudatiſſimus Elector noſter & Sereniſſimus Marchio Badenſis dynaſtiam *Ebernburgenſem*, quam liberi Barones de *Sickingen* hacte-

(p) Nimirum infra §. XXV. Miror itaque, *Io. Hubnerum* in ſeinem Staats- und Zeitungs- Lex. ed. an. 1769. adhuc ſtatuere, quod altera pars urbis *Crucenacenſis* ad Electorem Palatinum, altera vero ad Marchionem Badenſem pertineat.



hactenus possederant, post longas gravissimasque controversias tandem per amicam recuperaverunt transactionem q).

§. IX.

Hinc recentior archisatrapiæ nostræ conditio eiusque termini negotio conspici queunt facillimo. Vniversa namque præfectura *Crucenacensis* etiamnum adhuc constat ex tribus reliquis quincuncibus anterioris Comitatus Sponhemiensis, ex minori præfectura Beckelnhemiensi, ex Bipontinis locis, per commutationem, ut modo (§. VIII.) vidimus, adquisitis, atque ex tribus quincuncibus dynastiæ Ebernburgensis. Semet autem ab oppido *Monzinga* r) inter Dunum (Dhaun) & *Sobernhemium*

(q) Huc scripta politica prorsus egregio iudicii acumine elucubrata spectant sequentia, nempe: (1) Anzeige derer zudringlichen Vnternehmungen der Reichs-Ritterschaft &c. aus Veranlassung der zur Grafschaft Sponheim zurükgebrachten Herrschaft Ebernburg an der Nohe &c. mit Beilagen von num. I-XXX. anno 1769. in fol. (2) Vertheidigter Grund des an die allgemeine Reichs-Versammlung genommenen Recurses &c. mit Beilagen num. XXI-XXXV. an. 1770. fol. (3) Vrgrund der sogenannten Documentirten Gegenanzeige der niederrheinischen Reichs-Ritterschaft &c. und Bestand des wieder das bisherige Reichs-hofräthliche Verfahren an die allgemeine Reichs-Versammlung gebrachten Recurses &c. an. 1770. fol. (4) Die Statthaftigkeit des Recurses &c. gegen die beiden Druckschriften der Reichs-Ritterschaft am niedern Rheinstrom unter dem Titel: Pro Memoria samt entdecktem Vngrund des vertheidigten Grunds: und, kurze Beleuchtung des Vngrunds der Documentirten Gegenanzeige. an. 1771. fol. (5) Prüfung der Freiherrlichen Sickingischen sogenannten Actenmaessigen Ausführung, und wiederholte Bewaehrung der Statthaftigkeit des Recurses &c. nebst Beilagen von num. XXXVI—XLII. 1771. fol. (6) Aufloesung derer Zweifel, welche in einer Freiherrlichen Sickingischen sogenannten weiteren Ausführung &c. vorgeleget und eroertert. 1771. fol.

r) Vid. infra §. XVI. A.

hemium s) juxta Navam fluvium usque ad *Langenlohnshemium* t), inter Bingium ipſumque *Crucenacum* noſtrum poſitum, extendit. Limites ipſius orientem vel oppidum Alceiam verſus efficiunt Naſſovica præfectura *Iugenhemium*, præfectura Badenſis *Sprendlinga*, Cæſareus Comitatus *Falckenſtenium*, *Biebelshemium*, dynaſtia quondam imperialis, nunc Palatina, *Brezenhemium*, advocatiæ Palatinæ locus *Planig* (Planich, Bleinich), Moguntina præfectura *Neu-Bamberg*, ad Palatinam advocatiam ſpectans equeſtris pagus *Fürfelden*, ditiones Rhenenſium Comitum de *Münſter*, & pagus Birckenfeldenſis *Alt-Bamberg*; inſuper ad meridiem ſive Lutram cæſaream verſus, Principatus Naſſovio-Weilburgenſis præfectura *Alſenza* & Bipontina præfectura *Meiſenhemium* cum *Moſchel*; præterea ad occidentem vel Birckenfeldam verſus, ipſum oppidum *Geminipontum*, Salm & Steincallenfels in *Staudernheim*, Steincallenfels in *Abtweiler*, *Bipontum* cum præfectura Meiſenhemienſi & Steincallenfels in pago *Boos* u), Bipontum cum *Moſchel*, *Rheborn* &c; in *Odernheim* Principes Salmenſes & Rheingravii Dunenſes cum communitate ſua in *Staudernheim*, *Metterſheim* & *Heynerhof*, atque cum nonnullis equeſtribus locis, v. g. Hunoldſteniano & Burſcheidiano pago *Merxheim*, pago *Lauſchied*, ad Feigneiam, Booſiam & Fürſtenwaerteram familias pertinente, nec non cum pago *Weiler*, inter Marchionem Badenſem, Comitem de Lay, L. Baronem de Schmidburg & L. Baronem de Steincallenfels v) communi; tandem ad ſeptentrionem Bipontina, Birckenfeldenſis & Badenſis præfectura *Winterburgum*, cum nonnullis locis equeſtribus, deinde archiſatrapia *Strombergenſis*, & Archiepiſcopatus *Moguntinus*. Verum autem limites uniuscuiusque loci, ſingulatim ſpectati, determinari longe accuratius poſſe non diffiteor.

D 2 Ce-

s) Rurſus infra ibidem ſub litt. B.

t) De hoc pago plura ſunt obvia in ſeq. §. XVIII. num. 24.

u) Ibidem num. 8.

v) Conf. cel. *Crollius* in cit. orat. de dioeceſi Beckelnhem. p. 4. ſeq. not.



Ceterum huic archisatrapiæ *Crucenacensi* hodie summa cum laude tamquam Archisatrapa præest illustrissimus & generosissimus Dominus L. B. *Carolus Philippus* de *Venningen*, Serenissimi ac Potentissimi Electoris nostri Camerarius, Consiliarius intimus, Electoralis Regiminis Palat. Præses, rel. optimus Musagetes. Dapiferatus hujus archisatrapiæ munus iam egregie administrat illustris Dominus *Carolus Theodorus* de *Stahl*, Consiliarius celsiss. Regiminis Palatini; rerum autem exteriorum præfectus sive advocatus & maioris præfecturæ Adsessor est Vir amplissimus *Ioannes Fridericus Reibeldt*, aulicæ Palatinæ Cameræ Consiliarius.

§. X.

Ex hisce igitur dilucide patescit, nonnullos w) vehementer errare, temere statuentes, archisatrapiam *Crucenacensem* esse positam in sic dicto Hunnorum pago, qui ab Hunnis, eo quondam traductis, vulgo der *Hunsrück*, *Hunnesruch*, seu *receptus* ac dorsum Hunnorum nuncupari suevit x). Rectius autem illi sentiunt, qui censent, sitam esse in confiniis istius pagi Hunnorum, id est, potiorem ipsius partem inter Navam fluvium istumque tractum interiacere, licet etiam minor eius portio cis dictum fluvium occurrat. Quidquid autem sit, nos quidem merito iureque optimo præfecturam *Crucenacensem* adscribimus veteri *pago Navensi*, qui Hunnico quidem proximus est, sed illo longe cultior longeque feracior; quippe qui & vinum minime contemnendum abundeque frugum & fructuum protulerat, atque villas non incelebres iam ab antiquo habuerat, antequam Hunni in viciniam inducerentur y). Idem *pagus*

w) V. gr. *Ios. Scaligerum* lib. I. lectionum Auson. cap. I. *Imhoffium* l. d. pag. 80, item auctores der neuen Europ. Staats- und Reise Geographie Vol. IV. cap. IV. p. 788, aliosque.

x) Vid. supra §. I, in primis *I. P. Crollius* in cit. orat. p. 2. seqq, & quæ nos dedimus in Simmera Palat. illustr. §. II. seqq. p. 2. seqq.

y) Conf. *Trithemius* in annal. Hirsaug. Tom. II. p. 616. & *Freherus* in orig. Palat. lib. II. cap. XI. p. m. 306. ed. Reinh.

gus Navensis olim tam occidentem quam septentrionalem attigit Ducatum Mosellanum z). Ad orientem flumini Rheno fuit confinis; sed meridiem versus, iam ante seculum octavum, immo in primo ipsius dimidio limitibus erat circumscriptus angustioribus, quam quibus postmodum. Nam tunc temporis ipsum Bingium, Graulshemium, Genzinga, Ibeshemium, Planigium, (Bleinich) *Crucenacum*, Alsenza, Tilkircha, Rockenhusium & Winnweilera, cum omnibus locis ad dextram Navæ ripam, & ad amnem Alsenzam iacentibus, ad pagum Wormatiensem pertinebant a). Verum autem de iisdem etiam locis deinceps non modo Bingium, Graulshemium, Genzinga, Planigium, *Crucenacum* & Alsenza, sed quoque longe remotiora loca reperiuntur in *pago Navensi*, v. gr. *Nierstenium*, Albicha, Lonshemium, Sulzhemium, Wolfshemium, Partenhemium, Iugenhemium, Zozenhemium, Woellstenium, Norhemium, Abbatis-Weilera, & Staudernhemium, quin etiam Kirchhemium iuxta montem Taunum (Donnersberg) & zella ad rivum Pfrimmam. Quorum locorum plurima quoque simul in pago Wormatiensi sunt obvia b). Caussam huius rei forsitan in ipsa dioecesium ecclesiasticarum ordinatione & constitutione, seculo quinto sub Papa *Leone* I facta, quærendam esse, nemo dubitabit. Quod ad *australem* pagi Navensis plagam attinet, ea orditur Oppenhemii ad Rhenum, & finitur post Scheidenburgensem lacum inter *Ombachium*, Kiebelbergam & Breitenbachium, ubi Moguntina, Wormatiensis & Metensis dioeceses, adeoque Nohgavia, Wormsgovia & Bliesgovia sunt inter se invicem coniunctæ. Sed iurisdictio ecclesiastica, in urbe Oppenhemio, Moguntinum Archiepiscopum inter & Episcopum Wormatiensem divisa est, ita ut pars oppidi eiusdem inferior, sive novum oppidum, in quo S. Catharinæ templum, ad Moguntinum, pars autem superior ad Wor-

z) Apud b. *Kremerum* in der Gesch. des Rheinischen Franziens p. 68—75.

a) Lege sis amplissi. *Lameium* in descript. pagi Wormat. ex diplomatibus, in act. acad. Palat. Tom. I. p. 273. 278. 279 & 281.

b) In iisdem act. acad. T. I, pag. 267—278.

Wormatiensem pertineat, prout in examine, anno MCCLVIII ex mandato Imp. RICHARDI feliciter instituto, fuit compertum c). Deinde ab Oppenhemio recta via, *Dexheim* inter & Dienheim, tendentibus, occurrunt *Dalheim* & Guntersblum, *Frisenheim* & Dolgesheim, *Odernheim* & Hilsheim, *Kingernheim* & Dorntürckheim, *Alzey* & Bloedesheim, *Frimersheim* & *Eppelsheim*, *Morsheim* & Esselborn, *Stetten* & Oberflersheim, *Zell* ad Pfrimmam & Niederflersheim, *Hargesheim* & Mellsheim, *Ottersheim* & Bubenheim, *Vmensheim* & Kindenheim, *Russingen* & Mertesheim, *Büdesheim* & Lautersheim, *Gellheim* & Kerzenheim, *Sippersfeld* & Stauf, *Hemspach* cum Hertlingshausen, *Münchweiler*, *Wartenberg*, *Rorbach* & Altzenborn, *Neunkirchen* & Enckenbach, *Otterberg*, *Otterbach* & Erfenbach, *Katzweiler* & Weilerbach, *Reichenbach* & Ramstein, *Münchweiler* ad Glanum & Niedermohr, *Ombach* & Kiebelberg, donec tandem prope Breitenbachium ad dioecesin Metensem pervenitur, adeoque ad pagum Navensem. Omnia loca ad dextrum sita latus, id est, hic memorata loca, distinctis *minoribus* signata litteris, adhuc ad dioecesin Moguntinam, proinde ad pagum Navensem, reliqua vero sinistræ parti adiacentia, ad dioecesin vel ad pagum Wormatiensem spectant.

Tali ratione *pagus Navensis* olim comprehendebat hodiernas Electoralis Palatinatus archisatrapias, nempe Strombergensem, Simmerensem, Lutreccensem, *Crucenacensem* & Oppenhemiensem, magnam partem præfecturarum Alceiensis, & Lutrensis, speciatim præfecturam minorem Wolfstenianam: Bipontinas archisatrapias Meisenhemiensem & Lichtenbergensem quoad partem maximam: omnia, quæ Moguntinus Elector in sinistra Rheni ripa possidet: præterea ad ulteriorem seu posteriorem Comitatum Sponhemiensem pertinentes præfecturas Herstenianam, Dillensem & Altenbacensem: anterioris vero Comitatus eiusdem præfecturas Kirchbergensem, Naumburgensem &

c) Apud de *Gudenum* in cod. diplom. Tom. I. p. 660, *Würdwein* Tom. I. p. 369; adde nostram comment. hist. de Oppenhemio, §. XXV. p. 74. seqq.

& Sprendlingensem: Trevirensis Archiepiscopatus præfecturam Schmidburgensem: Principis Salmensis & Rhenensium Comitum præfecturas Kyrburg, Wildenburg, Rhaunen, Hausen, Dhaun, Grumbach, Rheingrafenstein, Flonheim: Comitatum Falckenstein; Dynastiam Stauf, Boland, Reipolzkirch, & Hohenfels: Nassovias præfecturas Iugenheim, Wœllstein & Alsenz: Dynastias Altenbamberg, Ebernburg, Martinstein, Wartelstein, Hemspach, Wartenberg, reliqua d).

§. XI.

Insuper eidem pago Navensi adscriptus fuit priscus *Emichonis* Comitatus e). Ad eumdem pagum quondam referebatur etiam celeberrimum illud Dumnissum, cuius poëta Latinus f) iam meminit. Quod, OTTONIS III authentico diplomate satis superque testante, in instrumentis litterariis monasterii Ravensgiersburgensis olim adiervato, tamquam proprietatis suæ prædium, in Comitatu *Emichonis* situm, *Becelino* cuidam donavit Imperator g). Præterea *Kirchberga*, castellum & oppidum, imminenti colli impositum, & postea quoque haud ignobile titulo Comitatus, qui præter alia iura advocatiam cœnobii Ravensgiersburgensis habuit. Eamdem urbem, circa annum millesimum quadringentesimum octavum, defuncto *Gerhardo* Comite de *Kirperg*, (Kirchberg,) lege caducitatis ad Palatinatum recidisse, atque a RVPERTO, Rege Romanorum, sollemniter receptam, deinceps in iure Principum Palatinorum permansisse, legimus h). Huc præterea merito refertur *Gemundium*, (alias *Gemunda*,) vetusta a Romanis origine celeberrimum oppidum, a Nobi-

---

d) Vid. *Kremerus* l. d. pag. 147—152; ibidem p. 72 & 392; idem in den diplom. Beytr. p. 6. 8. & 140.

e) Idem ibid. p. 140.

f) Nimirum *Ausonius* in carmine, quod *Mosellam* inscripsit, sive edyll. X. V. 8.

g) Plura dabit Marq. *Freherus* in orig. Palat. lib. II. cap. XI. p. 307. seq. ed. Reinh.

h) Idem *Freherus* l. c. pag. 309.

Nobilibus de *Schmidperg* (hod. *Schmidburg*) poſtea poſſeſſum. Ecquis vero credat, illud Romano atque eleganti vocabulo *Caput Montium* antiquitus audiviſſe. Id equidem verba nos edocent ſequentia i): *Villa quædam haud procul urbe Pinguia* (Bingen) *ſita eſt*, Caput Montium *vocata, eo quod ibi montes per alveum Rheni fluminis tendentes initium habeant; quam vulgus corrupte* Camunti *nominare ſolet* k). Montibus autem illis Rhenum includentibus ſuperſcriptum; *Mons Lurlaberch* (hodie Lurleberg) l). Eidem pago Navenſi quondam etiam adnumerata fuit villa *Ingelnhemium*, palatio regio, ſede ipſius CAROLI *Magni*, multisque ibidem habitis ſynodis & conventibus longe famoſiſſima m). Et hæc quidem præcipua ſunt loca pagi Navenſis.

Quod reliquum, omnino ſatis erit, ceteras easque paulo obſcuriores dumtaxat nominare villas, quarum nomina ſunt ſubſequentia: *Alagaſtesheim*, *Bildichingen*, (Bildechingen) *Bingermarca*, *Diſſenheim*, *Gantſingen*, (hodie Genzingen) *Giſelſtetin*, *Gimminsheim*, *Graolfelsheim*, (hodie Grœlsheim, Grolsheim) *Kirchheim*, *Laubersheim*, *Longiſtheim*, (Langenlonsheim) *Lefritesheim*, *Munzach*, (al. Munzah) *Naarheim*, (al. Narheim & Norheim) *Nerſtat*, (hodie Nierſtadt) *Seufersheim*, (hodie Siefersheim) n).

Inſuper ad exitum Navæ fluvii, quem Rhenus apud Bingium (Pinguiam proxima ſecula ſcripſerunt) excipit, eſt profecto

---

i) In optimis illis annalibus Francorum Fuldenſibus ſub anno DCCCLVIII, a *Frebero* primum integre vulgatis.

k) Sic codex manu ſcriptus habet, ubi a *Pithoeo* fuerat editum *Cammunzi*: & ne ulla ſuperſit dubitatio, manu minime recenti fuit margini adſcriptum, *Gæmunde*.

l) Conf. *Freberus* l. d. lib. II. cap. XVIII. p. 371 & 372. & nos in Baccharato Palat. illuſtr. §. II. p. 4.

m) Fuſius hac de re ſcripſimus in comment. hiſt. de Oppenhemio §. VI. p. 16—23.

n) Vid. *Freberus* l. d. lib. II. cap. XI. p. 307—315.

fecto, quod pro Palatinis nostris ad animum vertamus. RVPERTVS enim ille notissimus, postmodum inter sanctos relatus, cuius pater eo loco Principatum habuit, & castrum oppidumque montanum inhabitavit, gente domoque Palatinus, & quidem Comes Palatinus Rheni, fuit, si fas est credere martyrologio Vsuardi ad d. XV. Maii: *Apud Bingam sancti* RVPERTI, *Ducis Palatini Rheni, & Confessoris.* Id quod illi potius credere malo, quam, quæ multo post vitam eius delineavit, *Hildegardi*, quæ ipsius originem a Ducibus Lotharingiæ repetit o). Cœnobium, postea celeberrimum, ibidem fundatum fuisse constat p). De quo sequentia legimus q): RVPERTI Mons *vulgo* Rupersberg *Virginum ordinis S. Benedicti congregationis Bursfeldensis parthenon prope Bingas ad lævam Navæ ripam in colle leniter assurgente, quem* S. Hildegardis *an.* 1148. *condidit, tristem plane sustinuit sortem tempore belli Suecici an.* 1632. *in cineres redactus. Inde sacer cœtus translatus est in* Eibingen *ad alteram Rheni ripam prope Rüdeshemium, ubi adhuc perstat. Ab eo autem tempore Rupersbergense incolis vacuum, ac suis hodie lacerum ruinis, funestæ cladis spectaculum exhibet* r).

§. XII.

Præcipua flumina, iucundo murmure labentia, quæ nobis iam sunt secundum ordinem memoranda, valles huius archisatrapiæ dissecantia, easque perodendo & findendo veluti formantia, tantum non omnia descendunt ex vicinis montibus silvæ *Sane*, (Soonwald) ex pago Hunniaco, ex rupibus, ex hibernalibus Lotharingiæ saltibus, ex terris desertis incultisque. En vobis eorum nomina!

A) Pri-

o) Idem l. c. pag. 316. seq.

p) Sic præter alios docet b. *Kremerus* in den diplom. Beytr. p. 39. seq.

q) Apud *Oliv. Legipontium* l. d. pag. 68.

r) Conf. *Crollius* in cit. orat. p. 42.



A) Primum omnium occurrit *Navus*, *Nava*, *Naha* s), Germanice die *Nahe*, *Nohe*, maximus post Rhenum & Neccarum in Palatinatu nostro fluvius, vel ipsis Romanis hoc nomine iamiam commemoratus, prouti statim videbimus. Is autem, ubi in silva *Hommerich* dicta, iuxta villas *Selbach* (Seelbach) & *Neunkirch*, (Neukirch) quæ Lotharingicæ sunt ditionis t), duobus exsurrexit capitibus, ac *Nohfeldam*, arcem *Birckenfeldam*, atque oppidula *Oberstein*, *Kirn*, *Dhaun*, *Martinstein* &c. præterlapsus est, tandem prope Dunam præter varios excipit amnem *Simmerbach*, Odernhemii vero *Glanum* & *Luteram*, atque sic fines diœceseos Beckelnhemiensis tum austrinos interluit, tum quos ab orientali latere habet, a terris Bipontinis disterminat; indeque per partes Comitatus *Rheingravenstein*, & per præfecturam *Crucenacensem*, (cuius caput *Crucenacum* ipse transit, ibique amnem *Ellerbach*, prope pagum *Genzingen* rivum *Aepfelbach*, prope *Brezenhemium* amnem *Guldenbach*, atque apud pagum *Grolshemium* rivum *Gaubeckelnheimer-bach* sinu suo amplectitur,) delatus, iuxta Bingium urbem ad plagam borealem in Rhenum, fluviorum regem, semet exonerat u). Ceterum aquas secum vehit lucidas pauloque asperiores; &, cum ripas habeat parum altas, sive restrictas, agros circumiacentes, sicubi ex nivibus aut pluviis excrevit, frequenter inundare solet. Adhæc, quemadmodum est cursu celeri rapidoque v), sic maxime quoque mutabili. Cuius rei evidens prope *Sobernhemium* documentum oculos omnium hodiedum incurrit w).

Varii

---

s) Sic vocatur apud *Phil. Cluverium* in introd. in univ. Geographiam, aucta studio & opera *Ioan. Bunonis* lib. III. cap. IX. §. V. p. m. 233. ed. 3. Brunsvig.

t) Pro quibus locis nonnulli perperam ponunt *Nabeweiler*; quod bene contra eos iam observavit laudatus *Crollius* p. 21. not. **

u) Vid. *Freberus* l. d. pag. 315. & *I. H. Dicelius* in dem Fluss-Lex. tit. *Nohe*.

v) Testante *Ausonio* l. c. ℣. 1.

w) Apud *Crollium* in cit. orat. p. 21. seq. conf. infra §. XVI. litt. B.



Varii pontes ſuper huncce fluvium ſtructi cernuntur, & quidem (1) primus in oppidulo *Kirn*, fixa Principis Salmenſis ſede; (2) ſecundus pons olim erat *Sobernhemii* lapideus operis haudquaquam contemnendi, circa annum 1426. ab Sobernhemienſibus, ope & ſumtu vicinorum aliorumque, bulla *Martini* V Pontificis x) excitatorum, fluvio impoſitus; quippe quem nunc totum *Nava* fluvius, converſo transgreſſus lapſu, pridem deſtituit; ita tamen, ut alveum veterem repetere ſenſim videatur. Ceterum pons idem adhuc in ſolo ſtat arido, &, licet durabilis durisque lapidibus exſtructus, ruina tamen collabitur. (3) Pons tertius eſt *Staudernhemii*, pagi Salmenſis & Bipontinæ minoris præfecturæ, qui per glaciei impulſum, ante viginti duos annos, & quod excurrit, dirutus, inque locum eius invalidus fuit ſubſtitutus. (4) Quartus, & quidem recens fabrefactus ad Salinaria ſupra *Crucenacum*, lapideis fulcris cum traiecto ligno innixus. (5) Quintus in media urbe *Crucenacenſi*, totus lapideus, ſeptem latis & ingentibus arcubus ſuffultus, atque *Eliſabethæ*, Dominæ Comitis Sponhemienſis, vel ipſius potius patris *Simonis* ſumtibus primum exſtructus, qui vetus orientale cum occidentali novo coniungit oppido. Tandem (6) ſextus eſt Bingii, in utraque tantum extremitate lapideus, ſed in medio ſublicius, eam ob rationem, ut, urgente neceſſitate, haud difficulter interrumpi, atque ab altera ripæ parte ſecuritas eo melius obtineri poſſit. Huncce pontem Navæ iuxta Bingium urbem imponendum curavit Imp. AVGVSTVS, & quidem ſtatim eo temporis articulo, quo nonnullas Germaniæ regiones in Romanæ provinciæ formam redegiſſet, adeoque annis aliquot ante diem CHRISTI natalem. Præcipua huius ſtrati pontis cauſſa fuit, ut via regia, a Treviris Moguntiam & in Alſatiam tendens, eo commodius inter ſeſe coniungeretur. Idem pons, qui primus omnium erat, in bellis vel motibus Gallicis rurſus abrumpebatur, ita ut Nava fluvius aut pedibus, aut equis, aut curribus eſſet tranſeun-

 dus

x) Cuius exemplum ex tabulario curiæ Sobernhemienſis nobiſcum communicavit *Crollius* l. d. pag. 22 & 23. not. *

dus y). Deinde vero in integrum restituitur. Quapropter etiam poëta Latinus in itinere suo Trevirensi per eum transiit, ut ipse canit:

Transieram celerem nebuloso flumine *Navam*,
Addita miratus veteri nova mœnia vico:
Aequavit Latias ubi quondam Gallia Cannas:
Infletæque iacent inopes super arva catervæ.
Vnde iter ingrediens nemorosa per avia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas:
Arvaque, Sauromatum nuper metata colonis:
Et tamen in primis Belgarum conspicor oris
Novomagum, divi castra inclyta Constantini z).

Insuper hic fluvius, cuius aqua dura, vivida, frigida gravisque, variis in locis arctus, anfractus vel sinuosus est, inter rupes & montes inclusus, atque ex aquarum silvestrium confluxu sæpius furenterque intumescens. Quid mirum igitur? si hac ratione plurimum detrimenti capiant ripæ, immo fertilis & pinguis limi loco hic campi & agri velut magna segete siccorum silicum, ad sternendas vias idoneorum, atque volatili arena crebrius obtegantur? Quid mirum? si aggeres, glaciei ruptores, chelæ, obiectacula, ceteraque aquarum ædificia penitus avellantur & diruantur. Præterea celerrimus iste *Navæ* lapsus ad varias, quæ ibidem sunt exstructæ, moletrinas movendas & agitandas aptissimus est; quin immo propter eumdem rapidissimum lapsum, quemadmodum ad prolixa salinaria, sic etiam maiori commodo minoribusque sumtibus ad opera fabricata & machinas gyrandas atque circumagendas, in magnum universi Palatinatus emolumentum, usurpari forsitan poterit. Nec dicam, quod per aquagium vel aquæductum profundiorem a Salinis usque ad Bingium negotiatio & mercatura

tura

y) *Tacitus* lib. IV. hist. cap. LXX. conf. supra §. II.

z) Apud *Ausonium* l. c. V. 1. seqq; conf. *Scaliger* in lectionibus Auson. lib. I. cap. I. p. m. 7 & 8.

tura totius archisatrapiæ, speciatim vero commercium urbis *Crucenaci* procul omni dubio in statum meliorem verti valeret. Id quod etiam anno huius seculi octavo & nono fuit serio tentatum a). Ceterum, licet maxima vecturæ terrestris sit difficultas, hodie tamen novimus, iam abhinc aliquot annos, *Crucenacenses* cives emolumenta Bingensium per istam vehementer deminuisse.

Nava præter alburnos, barbones aliosque cœnæ plebeiæ pisces, laudatioris quoque generis cupedias, nempe cyprinos, percas, lucios, immo truttas etiam & salmones, sciti admodum saporis advenas, aquarum dulcedine allectos, olim abundanter suppeditavit. Verum autem hodie, quod *Crucenacensibus* meis omnino cedit in præiudicium, propter chelas & obiectacula, a Bingensibus alte constructa, quibus piscium Rhenensium adscensus impeditur, piscatus Navensis maxime est exiguus, licet pisces isti pauci Navenses duram ob aquam vividamque in tota regione semper sint optimi, & præ Rhenensibus primas obtineant. Totum fluvii vadum meris iisque duris & cinereis lapidibus, immo silicibus albis, in quibus multæ strigæ crystallinæ sunt conspicuæ, stratum & obductum est. Achatæ quoque, iaspides, aliique duriores, nobiliores & pellucidi silices, quibus nomen indere nequeo, ibidem inveniuntur. Omnes hosce lapides cum scoriis metallorum ex tractibus hibernalibus secum rapit, & usque ad exitum suum in Rhenum *Nava* devolvit b).

B) Secundus primarius fluvius, quippe qui prope Odernhemium, circiter horæ spatio, tantummodo per solam præfecturam minorem, nempe Beckelnhemiensem, fluit, & tum Navam incurrit, vocatur *Glanus*, præcipuus Ducatus Bipontini fluvius; qui oritur in ipsius præfecturis Lichtenberg, Kielberg, & Landsstuhl, vel, ut accuratius scribam, ex fonte supra vel prope *Hechen* villam, quæ ad sextum ab urbe Biponto lapidem iacet. Quum vero villa *Hechen* haud procul

 distet

a) Qua de re infra §. XXV. pluribus.

b) De ingenti huius fluminis eluvie vid. infra §. XIII. num. 7. & §. XXXIII.



distet a villa *Waldmohr*, atque hæc multo sit illa notior, nonnulli *Glanum* prope eam nasci tradunt. Idem hic fluvius prope lacum, qui vulgo *der Vogelbacher-Wag* dicitur, nomine *Eichenschitt*, forsitan a saltu *Eichenschitt*, quem præterfluit, adpellatur. Dum præterea per fines veteris Comitatus Veldentini fertur, præter alios multos torrentes ac rivos, ad oppidum Lutereccam *Lutram* quoque amnem recipit. *Lutra* vero recepta, cum a sinistra S. Medardi curiam, vulgo *Medart*, a dextra Odenbacum oppidulum, atque, inde ad lævam radices montis *Keddart* præterlapsus, Meisenhemii mœnia, potissimum ab orientis solis partibus, per lapideum pontem adluit, & Odernhemii per lapideas pilas, quas pons amplectitur lapideus, haud multum infra montem S. Disibodi in Navam, & quidem ea parte, quæ solem spectat orientem, pleno influit alveo. Haud pauci scriptores ratione huius fluminis a recto aberraverunt c). Hic fluvius est Nava profundior, arctior & limosior, adeoque etiam in transitu traiectuve periculosior, intumescens autem præter paucos duros lapides puram tenuemque eructat arenam. Tumescentem huncce fluvium D. *Iutta*, Abbatissa Disibodenbergensis, nata Comes Sponhemiensis, secundum testimonium sanctæ suæ sociæ *Hildegardis*, Beckelnhemiensis, anno MCXXX sicco pede transiisse & rediisse perhibetur. Cœnobium autem *Disibodenbergense* in peramœno silvestrique monte, ad confluentes *Glani* Navæque fluviorum leniter adsurgente, Staudernhemio non procul, in quodam situm erat angulo d). Idem *Glanus* prædicatur, in alveo suo gerere carniolos, amethystos, achatas & lapides, qui a sertis vocantur *Straussteine;* quos autem videre mihi numquam licuit. Cursus huius fluminis non tam celer, non tam rapidus, quam Navæ, saltim prope Odernhemium, videtur.

c) V. gr. *Christoph. Cellarius* in geogr. nostri temporis p. 264. *Io. Hubnerus* in dem Real- und Staats Lex; *Frid. Spanhemius* aliique, quos lege apud *Crollium* in orat. de Meisenhemio, recitata a *Gabr. Brynolpho Sundahl*, p. 6. seqq. not. *

d) Infra §. XVI. litt. B. num. 3.



detur. Hinc etiam fluctus undarum tranquillius tardiusque volvuntur. Piscatum eiusdem Navensi copiosiorem & largiorem esse, docet experientia.

§. XIII.

Binis hisce maioribus fluentis, Nava Glanoque, diutius spectatis, spectabimus iam obiter cetera minora. Nobis autem ex istis minoribus occursat

1) Amnis, utpote cui a villa *Weinsheim*, quam influit, nomen est, *die Weinsheimer-Bach* vulgo nuncupatus; qui, e Sanæ saltu profluens, ad villam *Bockenaviam* progreditur, &, postquam locum, qui *Burg-Sponheim* dicitur, præteriit, prope villam *Rüdeshemium* (al. Rittesheim) rivum *Ellerbach* adpellatum, intrat, nomenque suum amittit. De reliquo fines agri Waldbeckelnhemiensis stringit, atque a terris anterioris Comitatus Sponhemiensis discludit e).

2) Secundus rivus est, *die Monzinger-Bach* dictus. Hic e silva Sanæ vel Saoni (der Saan- vel Soonwald) decurrens, oppidum *Monzingam* adluit, atque in Navam, paulo infra id oppidum, semet insinuat.

3) Amnis *Igelbach* originem habet in silva *Sobernhemiensi* iuxta arcem cognominem, eamque ruinosam, quæ ditionis quondam fuit Sickingensis, hodie vero Sobernhemiensium in bonis numeratur; quibus ipsam, pariter cum silva, *der Plocherwald* vocata, cum agris item pratisque, eidem contributis, anno MDLXXXV *Franciscus*, *Ioannes Suiccardus* & *Reinhardus* de *Sickingen*, liberorum, ab *Georgio Wilhelmo* de *Sickingen* relictorum, tutores, vendiderunt. Erat enim in rebus sive bonis, quæ proprii sunt iuris, & vulgo nominantur allodialia f). Hic amnis dictum irrigat territorium, aquisque suis auget, & tandem prope memoratam arcem Navæ immiscetur.

4) Quar-

e) Conf. *Crollius* in orat. de Beckelnh. p. 24.

f) Vid. idem l. d. pag. 25. not. *



4) Quartus rivus *Bozbach* oritur in Sobernhemienſium ſilva, a Monachis dicta *Münchwald*; qui ſæpius reſtagnat alveoque ſuo ripam ſuperat.

5) Rivus *Hanenbach* vocatus, agrum Staudernhemienſem atque Sobernhemienſem ſeparat, quin etiam haud raro redundat, ripas ſuas diruit, agrosque illabitur.

6) Torrens *Staudernheimer-bach*, qui Abbatisweileræ in ditione Steincallenfelſiana prope Meiſenhemium ortum ſuum habet.

7) Minime hic loci ſilentio prætereundus eſt apprime memorabilis amnis, dictus *die Ellerbach*, qui haud procul a pago Hunnorum *Ellern* exoritur. Is autem Walhuſa huc tendit; unde etiam illic locorum *die Wallhaeuſſer-bach* adpellatur, & per ſilvam Sanæ devolvitur. Variorum rivorum, pagos nempe Winterburgum, Bockenaviam g), Sponhemium, Weinshemium & Rüdeshemium præterfluentium, acceſſione, iuxta collapſum leproſorium ſive noſocomium *Crucenacenſe*, (guten leut-ſpital,) redditus uberior & abundantior, nonnullas agitat molas, ipſum *Crucenacum* dilapſus, eam urbis partem, quæ *Neapolis*, vulgo *die Neuſtadt* adpellitari ſueſcit, permeat, eamque urbem in duas partes diſſecat, ibidemque pontem habet lapideum; qui vero tam parum, quam ipſe rivus, obſervatur, quoniam ſuper ripæ pontisque ſtatum vel loca variæ domus cum aliis ædificiis utrimque ſunt exſtructæ. Tandem in urbe media infertur Navæ. Ceterum, quod hic in mentem revocare non abs re erit, is idem amnis eſt, qui anno ſeculi noſtri viceſimo quinto d. XIII Maii, tum ipſe ingenti procella, repente effuſa, auctus, tum vero rivi modo dicti Weinshemienſis, quippe qui, iſta vi aquarum maximo cum cæli fragore deiecta, in altitudinem prorſus inſolitam excreverat, confluentia nimium quantum inflatus, æſtuans veluti, lignaque in lignario collecta furenter abripiens, multique ponderis ſaxa ſecum trahens, tanta mole tantoque impetu ſemet in ipſam urbem intulit, ut omnino pergravem ædium

g) Non *Bodenau*, prouti ſcribunt nonnulli.

ædium, pecorum hominumque ſtragem ediderit, & tandem partem mœnium, ad feliciſſimum ſuum effluvium, avellens abruperit h). In quadam media pontis Navenſis pila, ſpeciatim in ſuperiori parte, hodiedum extenſa cernitur manus ferrea, tamquam ſempiternum huius cataclyſmi ſymbolum. Olim hicce rivus truttis, gobiis fluatilibus, cancris, anguillis, interdum etiam luciis abundabat; ſed rates, ad perniciem riparum & agrorum, ad pretium lignorum haud mediocriter augendum, ad detrimentum aurigarum, ad ipſius oppidi periculum, ingentibus in eo rivo tentatæ ſumtibus, ſemina piſcium minuerunt, immo propemodum prorſus deleverunt & exſtirpaverunt.

8) Octavum præterea huius ſupremæ præfecturæ fluentum eſt *Alſenza*, ſpectabilis amnis; quippe qui, in Comitatu Cæſareo Falckenſtein ortus, prope Rockenhuſium montem *Stehlberg* ſupra pagum Moſchel præterlabitur. In pago Alſenz, Altenbamberg & Ebernburg iungitur partim lapideis, partim ligneis pontibus. Tandem inter Ebernburgum arcemque Rheingravenſtein in Navam illabitur.

9) Nonus inſuper huius præfecturæ rivus, qui ſeſe pariter in Navam diffundit, ab accolis vulgo vocatur *die Aepfelbach*, apud antiquam ruinaque collapſam *S. Iacobi* Abbatiam ad montis Tauni (*Donnersberg*) radicem exortus, oppidula pagosque Rockenhuſium, Grehweileram, Steinbockenhemium, Neuenbambergam, Wœllſtenium, Schwabenhemium, Boſenhemium, per dynaſtiam Brezenhemienſem & Ippeshemienſem, permeat, & tandem prope Genzingam in Navam ſeſe exonerat. Piſces haud ſpernendos alit; ſed vero propter regionis planitiem, ſpeciatim autem propter alveum ex indigenarum pertinacia retentum, nimisque curvatum & arctum, immo propter ripas acclives cauſſam magnarum inundationum crebrius

h) Conf. *Heuſon* in der Beſchreibung der Creuznacher Waſſerflut, §. V. ſeqq. pag. 14. ſeqq; ubi quælibet diſtincte & articulatim exponuntur; apud laudatum *Crollium* p. 24. not. *



brius exhibet. Ceterum accolis omnino in commodum cedit, quod rivus hicce tantummodo fecundantem limum, nullos autem lapides e ſinu ſuo egerat. Vbique ferme locorum, pontes habet lapideos.

10) Hunc ſequitur decimus præfecturæ eiusdem amnis, cui nobile nomen *Guldenbach* inditum. Hic ortum ſuum debet iisdem, quibus rivus *Ellerbach*, locis montanis, nimirum prope notiſſimum illud *Argenthalium* in pago Hunnorum. Curſu ſuo *Strombergam* urbem adluit, ſemperque meridiem verſus progreditur, donec poſt multos anfractus inter *Brezenhemium* & *Langenlonſhemium* in Navam ingreditur. In pago *Heddeſhemio*, quod ab iſto rivo nomen gerit, quondam magnum pontem, eumque lapideum habuit. Verum autem, iſto deinceps per vim aquarum deiecto, nunc temporis loco pontis tranſitus iſtius ponticulo ligneo coniungitur; per quem nemo, potiſſimum aquis ripam exſuperantibus, citra vitæ diſcrimen tranſire poteſt. Idem amnis, undarum accurſu maxime ſtrepitans & prærapidus, varias bonorum agrorum partes ſecum violenter rapit, eorumque poſſeſſoribus loco agrorum advolutum lapidum ſiliceorum relinquit acervum, ita ut agros dumtaxat arboribus, quas amant rivi, conſerere poſſint accolæ. De cetero cancris & paſſim truttis abundans perhibetur.

11) Alius rivus, variis pro varietate locorum nominibus inſignitus, eſt ita cognominatus *die Kriegsfelder-* vel *Wonsheimer-* vel *Genzinger bach*; cuius prima ſcaturigo meridiem verſus eſt, nimirum *Kriegsfeldæ* apud *S. Albani* fanum & *Rothenkirchæ*, non procul a monaſterio *Sion* in Alceiana præfectura. Septemtrionem verſus ad Eckelshemium, pagos Flonheim, Arnsheim, Gaubeckelnheim, Wallerthum, Sprendlingen, Zozenheim & Genzingen, ubi molas agitat nonnullas, permeat. Tandem prope Grolshemium in Navam incurrit. In quolibet pago pontem habet lapideum; ſed haud raro ſeſe effert alveo.

12) Duodecimus amnis vernacule vocatur *die Erbach*, oriturque propter pagum cognominem, haud procul ab urbe Stromberga. Orientem verſus, per incultos, proclives & periculo-

riculoſos montes manans, Remmelshemium & antiquam feudi Sponhemienſis arcem præterfluit, atque tandem inter pagum Labenhemium & Münſteram prope Bingium rivum *Leyerbach* recipiens, Navam ingreditur.

13) Deinde Mettershemii rivus occurrit *die Kiesrother-* ſive *Baerweiler-Hottenbach*, Sobernhemii vero *die Waldbach* nominatus, qui ſæpe numero redundat. Olim pagi foſſas implevit; ſed nunc eiusdem portam præterfluit.

14) Hic ſubiungi denique poſſet rivus Roxhemienſis, pone Crucenacum, *die Katzen-bach* adpellatus; ſed de eo nihil prorſus habeo, quod ſcribam.

§. XIV.

Quod ad phyſicam ſive naturalem archiſatrapiæ *Crucenacenſis* qualitatem attinet, de ea ſequentia dumtaxat notabimus. Univerſa videlicet præfectura aqua maximam partem aſpera irrigatur. Ceterum aëre propter vicinitatem altorum ab omnibus partibus montium frigido, ſed ſalubri tamen utitur. Quoniam autem anni ſimul tempeſtas, non ager ſolus producit ſegetem, hinc tempeſtatem hisce regionibus quaſi naturalem propriamque paucis inquiremus. Tempeſtates equidem, ſicuti locis in omnibus montanis, propter impetum ventorum, nubes, quæ in aëre coguntur, urgentium, aliquo modo incertas eſſe, quin etiam in ſingulis ferme tractibus prorſum diverſas, experientia, optima harum rerum magiſtra, ſatis ſuperque teſtatur. Eiuscemodi tempeſtatum varietas, & ſitus montium, qui circa *Crucenacum* propemodum omnes ab occidente ad ſeptemtrionem, circa *Sobernhemium* autem ab occidente meridiem verſus tendunt; ubi tantummodo bini venti viribus ſuis omnibus ſemper efficaces in vallibus eſſe queunt, ſed reliqui in flatu ſuo ſuperne diſſipantur; hæc, inquam, omnia ſæpius in exiguis parumque a ſe invicem diſſitis tractibus, ſpeciatim reſpectu fertilitatis & bonitatis vitium & arborum pomiferarum tam diverſam efficaciam tamque diverſum velut apotelesma habent, ut agricolis, in plano, ubi tempeſtates ſunt certiores ſtabilioresque, habitantibus, frequenter hu-



manam excedere fidem videantur. Sic altero loco flores arborum frigore pereunt, in altero autem proventus eorumdem florum est uberrimus. Situs interim huius universæ archisatrapiæ singularia sua bona habet & prærogativas. In hac etenim præfectura sublimes petrosique montes, ex præcelso pago Hunnorum, ex frigidis Lotharingiæ finibus, atque ex aspera silvestrique Westrasia exsurgentes, velut evanescunt, & tandem in humilioribus iisque fertilibus collibus, usque ad planitiem Navensem & Rhenensem semet extendentibus, desinunt. Quapropter hæcce regio illud commodi præ regionibus aliis habet, ut sine externis impedimentis frumentum ex locis planis, e montibus lignum ac saginam, atque ex collibus longe generosius, quam ex planitie, vinum nanciscantur incolæ. Tellus quidem in se spectata, plurimam partem est rufa solidaque, minime tamen aratu difficilis. Rara, locis iuxta rivos exceptis, cernitur arena. Paludes ibidem exsistunt paucissimæ. Hinc etiam fruges fructusque sunt iucundi saporis optimique nutrimenti, quamvis raro tantæ magnitudinis tantæque existimationis, quantæ Mannhemii, Heidelbergæ, Francofurti. Propter vicinos frigidosque montes sativum tempus tempusque maturitatis & messis ultra duas tresve hebdomadas serius, quam in Rhenensi Nicrinaque regionibus, differendum est. In eodem tamen climate proventus agrorum omnino est uberrimus. Sic ibi fruges, ad gustum respondentes, copiosæ funduntur, nempe granum, hordeum, triticum, ador, secale vel zea, sed non eadem copia avenæ, viciæ, ciceres, lentes, olera, brassicæ vel lachanæ, rapæ, trifolia, herba Nicotiana, & lycopersicon tuberosum. Gregalia & serotina poma, tum granata, tum officulata cumulatim ibi crescuut. Quæ vero sane melius succedunt, eorumque proventus uberior est in gelidioribus, quam calidioribus agris, ubi flores nimium mature progerminant, atque inde per insequentes asperos ventos, e montibus vehementer spirantes, plerumque corrumpuntur & decutiuntur. Quod si pomaria & arboreta, vel potius arborei fœtus, immo ipsæ arbores, sicuti vineæ, tantum in declivibus collibus, ubi contra ventos defenderentur rapidissimos,

diſſimos, caute plantarentur, in his etiam terris res pomaria facillime verti poſſet in ſtatum multo meliorem. Braſſicæ ſic a floribus dictæ (Blumenkol) & aſparagi, qui fundum deſiderant flaccidum atque arenoſum, dumtaxat ab ipſa natura ibidem velut extorquentur. Inſuper vina in his oris naſcuntur generoſa. Vites autem, optimas uvas proferentes, in præfectura maiori maximam partem pedatæ ſive palis maritatæ, ſed in minori palis viduatæ conſpiciuntur. Cura pratorum pecorumque in anguſtum adducitur, ne dicam, negligitur; qua neglecta detrimentum haud exiguum capiunt agri. Hinc plurima regionis eius loca ſtercoribus carent, ita ut illud ex agris, quod ſane proferre poſſent, incolæ ſibi adquirere nequeant. Silvarum ſunt pauciſſimæ, quercetis exceptis, in quibus tamen arbores paulatim conſeruntur, quarum corticibus pro rhoë coriaria utuntur coriarii. Hinc ſaginæ, hinc ſilvæ cæduæ in poſterum prorſus deerunt.

Species rupium fœtusque montium, tum in minori præfectura, tum in univerſa ſeptemtrionali præfecturæ maioris plaga usque ad pagum *Langenlonsheim* ſunt arenaria ſaxa, ad ædificandum quidem aptiſſima, ſed mineris omnino vacua. A pago Dreyſa ad *Crucenacum* usque extenditur infra Norheim, Weinsheim, Beckelnheim & Auen tractus ſciſſilium lapidum, lithanthracibus ſive carbonibus bituminoſis haud prorſus abſimilium, ſimulque mineralium. Rurſus ab ipſo oppido *Crucenaco* cis Navam usque ad pagum Freylaubersheim, dynaſtiam Ebernburgenſem, pagum Neuenbamberg, montem *Lemberg* vernacule nominatum, & ditionem Bipontinam, ſemet extendunt dura, vivida quarziique fertilia montana, quæ vulgo *der Eichſtein* vocantur; atque eadem haud raro multa mineralia evidenter indicant, immo veteres easque deperditas fodinas non obſcure manifeſtant; potiſſimum in ipſo monte *Lemberg*, commodo nequaquam exiguo, hydrargyra vel potius mineræ hydrargyri deteguntur. In univerſum ex multis metallicorum foſſorum experimentis phyſici mineraliumque periti huncce canonem abſtrahendo, prouti loquuntur, deduxerunt: Na-



vam ſcilicet ſeparare metalla, hoc eſt, partem, ad orientalem Navæ plagam iacentem, alere non modo metalla, ſed progredientes quoque mineras, quas rimando ſequi & indagare poſſemus; ſed vero montana, ad ſeptemtrionem Navæ ſita, vel mineris prorſus eſſe vacua, vel ſaltem ratione fluoris ſubterranei, ex quo ſucci, metalla, lapides generantur, mutila.

Totius archiſatrapiæ commercium vel mercatura, quæ beneficio opeque fluminum Moſellæ Rhenique facilior commodiorque redditur, tantum vino, ſale, frugibus, farina, lana modicoque tabaco exercetur. De rebus aliis, quæ nullius propemodum momenti, hic loci nihil habemus, quod poſſemus commemorare. Pecuariam ſatis negligenter ibidem curari, res eſt teſtatiſſima.

Quod vero ſingulariter ad minorem præfecturam Beckelnhemienſem attinet, hæc cælo eſt ſalubri & temperato; immo maximam ſui partem nec amœnitate caret, nec rerum, ad victum cultumque neceſſariarum, copia. Valles, montibus & collibus intermixtæ, alendo pecori bonæ: gramen quippe aliasque herbas teneras ac molles abundanter ſubminiſtrant, & propter interlabentes rivulos i) ſatis riguæ ſunt; ut adeo paſtionem hic & agriculturam adfines eſſe videamus. In vineis autem, quibus colles circa *Monzingam*, *Sobernhemium* & villam *Nusbaum* abundant, ut magna diligentia ſollertiaque excultis, vinum præſtans vetuſtatemque ferens naſcitur. Horti, quos oppidorum villarumque ſuccidiam merito adpellari novimus, cinararum, aſparagorum, betæ, lactucæ, ceterorumque hortenſium oluſculorum producunt cumulum. Silvæ leporum volatiliumque prædam Sobernhemienſibus & Monzingenſibus præbent gratiſſimam, atque iucundam inferiendo voluptatem k).

Cete-

i) De quibus §. præcedente.

k) Plura nobis dedit *Crollius* in cit. orat. de Beckelnh. p. 25. ſeqq. ibid. in not.



Ceterum climata præfecturarum Crucenacensis, Oppenhemiensis & Alceianæ non multum inter se invicem differunt. Hinc de iisdem hæc legimus l): *Die Oberæmter Creuznach, Oppenheim und Alzei, diese so kostbare Kornspeicher, und herrliche Weinkeller, bestehen meistens aus lauter fruchtbaren und angebauten kleinen hügeln oder bergen, die als floezgebürge des grosen Vosagischen haupt gebürges anzusehen sind, mit darzwischen liegenden zimlich grosen ebenen und flaechen, die als thaeler zu betrachten. — — So ist der boden im Oberamt Creuznach mit verwitterten rothen sandstein und thon- mergel vermischet, mithin in beiden leztern Oberæmter* (Oppenheim und Creuznach) *besser sind. Würden aber diese kleine hügel gegen norden mit hohen bergen zugeschlossen seyn, so wie sie es durch das Vosagische gebürge gegen mittage sind, so würden dieselben noch edler und waermer seyn, ob sie gleich — alle fruchtbar genug sind, am holze aber eben daher den groesten mangel erleiden. Sie verstatten dem weinstock seine gute stelle und anpflanzung. Wann gleich der wein nicht aller orten so koestlich wird, insbesondere im oberamt Alzei, als in den andern beiden Oberæmtern, die dem Rheingau zugezehlet werden, so ist doch dieses land überhaupt sehr angenehm und gut, und wird durch seinen anbau taeglich besser gemacht. Waizen, Korn und Spelz, nebst dem wein sind die producten, die ausser lands geführet werden, und gegen den früchten diesseits Rheins in der güte einen grosen vorzug haben* m).

Quibuscum congruunt, quæ mecum humanissime communicavit venerandus Amicus, hisce verbis: *Das Oberamt Creuznach macht den besten und betraechtlichsten theil der vorderen Graffschaft Sponheim aus. Es wird von dem Nahstrom, der es durchfliest, in zween nicht sehr ungleiche theile getheilet, wovon der eine gemeineglich die Gauseite, der andre die Waldseite*

te

---

l) Apud. b. m. *Io. Dan. Flad.* in der Vorlesung von der verschiedenen Fruchtbarkeit der Pfalz am Rhein, und deren ursachen, in act. acad. Palat. Tom. I. P. II. phys. p. 432. seq.

m) Addatur *Finsterwald* vom Pfaelz. hausse pag. 913; ubi pro Bretzenheim falso legitur Bretzenstein, & p. 921.



te genannt wird. Die Gauseite wird von dem Oberamt Alzey, dem Kurmaynzischen gebiet und der Rheingraft Grehweiler begrenzet. Die Waldseite stost theils auf das Vnteramt Boeckelheim, theils auf das Badische amt Winterburg, theils auf das Oberamt Stromberg. An den natürlichen gütern der erde, die zum unterhalt und bequemlichkeit des menschlichen lebens gehoeren, fehlet beinahe kein einziges in der fruchtbaren und angenehmen gegend, die dieses Oberamt in sich fasset. Waldreiche berge und angebaute hügel wechseln mit den fettesten thaelern auf die anmuthigste weise, und verschaffen hier und da dem auge eine weite und ergoetzende aussicht in die schoenste und herrlichste gegenden Deutschlandes. In dem ganzen Oberamt, fürnemlich aber auf der sogenannten Gauseite, werden alle gattungen von früchten gepflanzet, vorzüglich kohlsaamen, wovon die einwohner in und um Creuznach einen sehr betraechlichen nuzen ziehen, waizen, korn, gerste und in geringerer menge spelz, haber, hanf und flachs. Das gartengemüß und obst waechset in überfluß und von vorzüglicher güte. Die hügeln sind groestentheils mit edlen Weinreben bepflanzet, wovon einige einen sehr süssen und lieblichen Wein geben, als der Bosenheimer berg, der hügel bei Creuznach, den man den Brückes nennet, und einige andere anhoehen. An feurigem und staerkerm Wein fehlet es auch nicht, und geringer landwein waechset in überfluß. Der ackerbau wird auch seit einigen Iahren mit mehrerem fleis und vortheil getrieben. Auf der Waldseite ist hier und da schoener Wießwachs, der auch auf der Gauseite nicht ganz mangelt, ob er gleich sparsamer ist. Die gebirgigte gegenden liefern hinlaengliches holz, welches vor anlegung der Salinen in überfluß war.

Hæc igitur archisatrapia, propter generosi vini copiam, & propter optimarum frugum fecunditatem, *Liberi Cererisque certamen* merito dici potest n).

§. XV.

n) Sic scripsit de pulcherrima Campaniæ plaga *Florus* de R. Rom. lib. I. cap. XVI. §. 3.



§. XV.

Antequam autem ad magis ſpecialia, præſtantiſſimam hancce maiorem præfecturam attingentia, transgrediamur, paucis hac occaſione præmonendum eſſe cenſemus, nimirum anno ſeculi noſtri decimo quarto quintoque, quoniam Principibus Iuventutis, ex ſereniſſima linea Neoburgica oriundis, tamquam legitimis Electoralis Palatinatus heredibus, deſtitutus fuerat Palatinatus, de pacto & convento, inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Electorem IOANNEM WILHELMVM eiusque Sereniſſimum fratrem unicum CAROLVM PHILIPPVM, tunc temporis Gubernatorem & Adminiſtratorem Comitatus Tyrolis, tranſigendo, ſerio deliberatum, atque his ſub legibus actum fuiſſe, ut nempe CAROLO PHILIPPO, cui ſereniſſima quædam Princeps in matrimonium collocanda, Crucenacenſis & Simmerenſis archiſatrapia, tamquam aliqua redituum neceſſariorum portio, ſive alimentaria portio Principibus privatis o) adſignata, quam vocabulo publici iuris, ex ævo medio deſumto, nominare ſolent apanagium p), in uſum emolumentumque traderetur q).

o) Principes privati apud *Salluſtium* in bello Iugurth. cap. V. ſunt, qui barbare hodie vocantur *appanagiati* vel *apennagiati*, abgefundene Herren, nicht regierende Herren; vid. I. F. *Noltenius* in Lex. L. L. antibarb. T. I. pag. 422.

p) *Apanagium* vel *appanagium* vocabulum eſt Francicum. Sumi ſolet pro ea bonorum parte, quæ liberis Regis Franciæ natu minoribus concedi ſuevit, poſtquam natu maximus, mortuo patre, regnum adeptus eſt. Eius autem ius & conditio hæc eſt, ut Rex directum Dominium ea in parte retineat, &, ſi poſteri virilis ſexus deficiant, ad regem bona redeant. Dictum autem eſt quaſi *Abbanagium*, B in P commutato, quaſi quis partem excluſoriam dicat, non a pane quotidiano, ſicut volunt nonnulli practici; conf. *Ioan. Calvinus*, alias *Kahl*, Wetteranus, I. V. D. & in acade-



tur q). Verum enim vero totum hocce negotium, auspicio fausto inchoatum, IOANNE WILHELMO Electore immatura morte anno MDCCXVI prærepto, minime fuit transactum, immo potius abruptum. Nam in dignitate & regimine, prouti iura consanguinitatis postulant, frater fratri successit.

§. XVI.

Iam obiter loca spectabimus, ad hanc archisatrapiam spectantia, eaque ordine significabimus alphabetico. Interim nonnulla præcedant oppida nec non monasteria. In oppidis autem occurrit

A.) Oppidum *Monzinga*, a Mannhemio viginti horas distans r), atque ad præfecturam Beckelnhemiensem spectans; cui iam anno MCCLXX adnumerabatur s). Non uno quidem nomine, sed varie scripto, passim occurrit; v. gr. *Montzegen*, *Montzega* t), *Munzichen* u); *Moncecha* etiam exprimitur in diplomate *Eberhardi*, Comitis Sponh. ecclesiæ anno 1047. dato v); *Monzecha* in tabulis *Adelberti* I w); *Munzecha*, in bulla *Eugenii* III Papæ x); *Monzeche* in tabulis *Collegii ad Mogun-*

academia Heidelb. quondam Professor, in Lex. iurid. p. m. 75. a. edit. 3. cum præfat. *Dion. Gothofredi* & *Herm. Vulteii*, Hanoviæ, 1619. fol; idem lexicon demum auctius fuit recusum Genev. an. 1734. fol. Vid. *C. G. Ioecherus* in dem allg. gel. Lex. P. I. p. 1582. seq.

q) Hæc didici ex commercio litterarum mss. quas adservat in thesauro bibliothecæ suæ generosissimus *P. W. L. Flad.*

r) Vid. die Pfaelz. aeuserl. Kirchenverfassung, p. 50 & 153.

s) b. *Kremerus* in den diplom. beytr. p. 151. & 219.

t) Apud *Trithemium* in vita Friderici I. p. 30 & 70.

u) *Kremerus* l. d. pag. 152. & 219.

v) Apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 232. opp.

w) Num. V. diplomatarii Disibodenbergensis p. 103 & 109.

x) Num. X. modo citati diplom. p. 129.



Moguntiacarum maximam y); *Monzengen* in litteris *Ioannis* Abbatis & conventus Disibodenbergensis z); *Monzingen* denique, quod vulgatissimum est, in litteris *Wernheri* Abbatis & conventus Disibodenbergensis a). A Sobernhemio, de quo statim, bis mille passus, paululum occidentem solem versus, sese hoc oppidum nobis sistit. Sed tamen, quo tempore ius civitatis obtinuerit, nobis incompertum est. Quod si vero coniecturæ locus, id iuris similiter, prouti Sobernhemium, ab Imperatore LVDOVICO IV impetravit. Saltem in litteris ADOLFI *Simplicis*, Comitis Palatini Rheni & Principis Electoris, anno 1322. signatis, *villæ* (eines Dorffs) titulo adhuc nuncupatur, uti mox patescet. Dextra ad rivum cognominem b) situm est, & quidem in valle admodum culta, montes inter collesque vini generosissimi perquam feraces. Est equidem istud non minus, quam Sobernhemium, perantiquum. Nam, quamquam nobis non certo constet, utrum sit illud *Munzach*, quod pago Navensi adscribitur c), id tamen apprime notum, locum esse vetustum, ac seculo decimo & undecimo iam occurrere. Sponhemiense quippe monasterium ibidem anno MXLIV iam varios habuit reditus, nimirum *aream cum ædificiis & duodecim iugera vinearum* d). Interim omnino putem, esse id *Munzach*, propter similitudinem nominis *Muzich*, *Munzig* e). Antiquitus fuit ditionis Moguntinæ. Verum autem *Adolfus*, Archiepiscopus Moguntinus, contra potentiam FRIDERICI I, Comitis Palatini Rheni & Electo-

y) Ibidem num. XXIV. p. 160.

z) L. d. num. XXIII. p. 158.

a) Rursum ibid. num. XXXIX. p. 183.

b) Qui vocatur *die Monzinger-bach*, & oppidum præterlabitur, immo paulo infra ipsum Navæ miscetur. Vid. supra §. XIII. num. 2. p. 39.

c) Apud *Freberum* in orig. Palat. lib. II. cap. XI. p. m. 315.

d) Teste *Trithemio* in chron. Sponh. pag. 237. & *Kremero* in den diplom. Beytr. pag. 12.

e) Supra §. XI. p. 32.



Electoris, *Diethero* fortiter adsistentis, auxilium Ducis Bipontini & Veldentini LVDOVICI *Nigri*, qui Meisenhemii tunc commorabatur, invocavit: d. XIX Novembr. an. MCCCCLXII. adsignans ipsi pro stipendio, quidquid ecclesia Moguntina habuit in Comitatu Sponhemiensi, *Beckelnhemium* videlicet castrum & villam, *Sobernhemium* oppidum, *Monzingam* oppidum, *Nusbaum* villam, *Vlmenam* oppidum, aliasque plures in circuitu iacentes villas, cum omnibus earum proventibus & utilitatibus, *sub certa pecuniarum summa*, redemtione vel reluitione salva f). Quæ omnia loca laudatus FRIDERICVS I, Elector, haud ita diu post, nimirum an. MCCCCLXXI, speciatim *Monzingam* d. XXIII. Aug. eiusdem anni, iure belli suo subiecit imperio g). Eadem *Monzinga* locis in iisdem est, quæ FRIDERICVS vendi & alienari, adeoque a Palatinatu dirimi noluit h).

Ceterum oppidum nostrum iniuria temporum, eadem, qua Sobernhemium, fortuna nunc est & conditione. Nam a Gallis eodem, quo illud, tempore, ignibus iniectis, haud parum fuit devastatum: nec visu quidem adituque dignum amplius hodie habet, præter speciosum multæ vetustatis templum. Quod, si fama vulgari standum, idem est *Willegisti*, al. *Willegisi*, Archiepiscopi Moguntini, opus; utpote in tabulis *Adelberti* I modo citatis memoratur hisce verbis: *Deinde, quia in nemore* Sone *dicto nihil habebat* (Willegisus) *acquisita huba una a quodam* Clerico, *nomine* Wiezelino, *in terminatione villæ* Monzecha *dictæ ecclesiam struxit & dedicavit, nomen ei* Gehinkirche *imponens.* Situm ceteroquin in colle leniter adsur-

f) Vid. *Trithemius* de rebus gestis Friderici I. pag. 29. seq. & *Kremerus* in der Gesch. dieses Kurfürstens lib. III. §. 18. p. 251. not. 5.

g) Idem *Trithemius* l. d. pag. 70; *Tolnerus* in hist. Palat. p. 74; & *Kremerus* l. c. lib. V. §. 16. p. 467; nec non *P. Hachenbergius* in vita Friderici I. lib. VII. p. 211.

h) b. *Kremerus* l. d. & quidem in cod. diplom. num. CLXVIII. ad annum 1472. pag. 456.

adſurgenti i). Habet quoque Curiam, aliquamdiu maxime laceram, ſed rurſus ad honeſtam deinceps ſpeciem revocatam. Mirum autem ut ne ſit ullum, nos arcis, cuius meminerunt nonnulli k), nullam hic facere mentionem. Quantum enim & nobis, & ipſis Monzingenſibus conſtat, nulla umquam hic loci ſtetit.

Inſuper non ſecus, ac vicinum Sobernhemium, privilegiis & immunitatibus, quibus olim fuit cohoneſtatum, etiamnum fruitur. Haud plane nullius erit momenti, hic loci paucis monere, Moguntinos Archiepiſcopos quædam horum privilegiorum oppidis *Monzingæ & Sobernhemio* conceſſiſſe; ſed quædam ſereniſſimos Comites Palatinos Rheni; hos autem ea, quoties alter alteri ſucceſſerat, auctoritate ſua ſollemniter corroboraviſſe. Iuvat hic tantummodo FRIDERICI *Victorioſi* tabulas, ad quas ſucceſſores illius ſuas compoſuere, ſubiicere; quæ ſic ſeſe habent:

Wir Friedrich *von Gots gnaden* Pfalz Grave bey Rine, Hertzog in Beyern, des H. Romiſchen Richs Ertzdruchſeſſ und Kurfürſte, *bekennen und tun kont offenbare mit dieſem brieff; alss wir itzont die Stete* Sobernheim *und* Montzgin *erobert, und zu unſern handen bracht; daruff uns die Burgermeiſter, Rat, und Burgere gemeinlich derſelben Stete, huldung, glübde, und eyde getan hant; da verſprechen wir Hertzog* Friedrich *Pfalzgrave obgemelt by unſern Fürſtlichen eren und würden, für uns und alle unſere erben, daſſ wir die vorgenante Stete by allen und iglichen friheiten, gnaden und gerichten, wie ſolches an iedem ende gegen inen und allen inwonern, geiſtlich und werntlich von alter by einem Stift von Mentz herkommen iſt, halten und laſſen; auch nit fürter überſetzen und beſchweren wollen; dazu ſie getrülichen handhaben, ſchweren und ſchirmen, als*

 andere

i) Conf. *Crollius* in cit. orat. p. 14. not. **

k) V. gr. auctor Lexici geographiæ veteris, mediæ & recentis, Lipſiæ an. 1731. in lucem editi, p. 885.

andere unsere burger und lute nach unserm besten vermogen, one geverde. Des zu urkunde han wir unser Secret ingesiegel vor uns und unsere erben an diessen brieff tun henken. Datum im felde vor Sobernheym *off* Sant Bartholomey *des heiligen zwelffbotten tag, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo primo* l).

De reliquo *Monzinga* celeberrimum est oppidum propter vinum; quippe quod tantæ generositatis, ut in ipsam orientalem Indiam pervectum, indeque revectum, ac *Monzingam* reportatum, vim suam pristinam gratumque retinuerit saporem. Hinc *recentis*, inquit Vir clarissimus m), *memoriæ res est, dignaque, nisi me fallit animus, quam paullo fusius, bona tamen fide, hic exponam.* Alexander *scilicet* Tilemann, *vinarius, ortu Monzingensis, qui fortunarum suarum sedem in Anglia collocavit, quingentas lagenas vini, anno* MDCCXII *Monzingæ nati, & ab se in Britanniam devecti, navarcho cuidam, in Indiam solventi, vendiderat. Quarum tres ab reduce cum recepisset, reperit, nec vim illius nec virtutem ullo evanuisse modo, quamvis circulum æquinoctialem, sub quo vina alioquin, si Rhenanum exceperis, ob maximos solis ardores, in vitium inclinant, ac vires amittunt, bis subierit. Quo mogis autem inopinabile id erat, hoc maiorem ei movit admirationem. Vt igitur Monzingensibus suis re ipsa planum faceret, reliquias istas anno* MDCCXVII, *cum Monzingam negotiorum suorum caussa excurrisset, secum attulit, atque amicis invitatis multa cum hilaritate propinavit.*

Bellicas aliasque Monzingensium calamitates non est, quod hic enarrem, alibi iamiam sufficienter enarratas n). Tandem oppidum nostrum suos etiam progenuit viros erudi-

tione

l) Vid. *Crollius* l. c. pag. 15. not. **

m) Nempe idem *Crollius* pag. 26. not.*; cuius verba hic repetere volui, quoniam laudata ipsius oratio in paucorum Lectorum meorum manibus est.

n) Apud eumdem *Crollium* p. 38; & apud *Finsterwald* l. c. pag. 892. & 490. seqq. ubi varia legi poterunt.

tione maxime conſpicuos, quos Muſæ ſuis artibus inſignibus inſigniter excoluere; de quibus autem loco ſuo o).

B.) A caſtello Beckelnhemienſi progredientibus, vel potius ter mille paſſus, & quidem auſtrum verſus, occurrit *Sobernhemium*, princeps minoris præfecturæ Beckelnhemienſis oppidum, a Mannhemio xx horas diſtans p). Nomen autem eiusdem varie ſcribitur: *Sovernheim* ſcilicet in diplomate *Ruthardi*, Antiſtitis Moguntini, anno MCV ſignato q); *Sovernehem*, nimirum in diplomate *Adelberti* I, Archiepiſcopi Moguntinenſis, anno MCXXX in litteras miſſo r). Eſt profecto multæ vetuſtatis oppidum, quin immo longe ſupra *Willegiſi*, Moguntini Archiepiſcopi, ætatem adſcendit; quamquam ius civitatis ſeculo decimo quarto demum, prouti mox videbimus, ſollemniter obtinuerat. Iacet vero in amœniſſima fertilique regione, & quidem ad ripam Navæ fluminis ſiniſtram. Muris turribusque quondam probe tutiſſimeque cinctum; adhæc burgo ſive caſtro mœnibus extra adpoſito, haud mediocriter fuit exornatum. Sed tamen turres murique in fine ſeculi ſuperioris a Gallis vi bellica ſunt deiecta, usque eo ut oppidum maxima ex parte priſtinum ſuum amiſerit ſplendorem. Ipſum quoque caſtellum nunc ſuis in ruderibus dirutum iacet, ab iisdem Gallis anno dicti ſeculi octogeſimo nono s) incendio deletum, atque cum ipſa urbe funditus exciſum t). Ceterum eamdem urbem Dominis *Cratziis* de *Scharpfenſtein*, qui poſtea ad Comitum dignitatem evecti fuere, ſedem olim præbuiſſe, ſatis ipſorum evincunt inſignia;

quippe

---

o) Nimirum infra §. XLV. ſeq.

p) Vid. die Kirchenverfaſſung p. 171 & 50.

q) Num. I. diplomatarii Diſibodenbergenſis pag. 9.

r) Num. VI. eiusdem diplomat. p. 113, apud celeb. *Crollium* in cit. orat. de diœc. Beckelnh. p. 7.

s) Apud eumdem *Crollium* l. d. pag. eadem not. ***; ubi per vitium typothetæ legitur annus 1699.

t) *Teutſchmuth* Franz. Attila in adpend. p. 590.



quippe quæ ſupra portam, adiectis ſimul anni 1563 numeris, etiamnum viſere licet u).

Quod ad publica attinet ædificia, ſpeciatim eccleſiaſtica, inter alia principe loco ſe nobis offert

1) *Templum*, ſatis amplum & duabus inſtructum turribus. Olim fuit collegium, ſicuti vocatur, Canonicorum, cuius tantummodo templum hodie reſiduum v). Communis apud Sobernhemienſes invaluit opinio, illud anno 1484. exſtructum eſſe. Argumenti loco eſt, quod ipſiſſimus hicce æræ vulgaris annus ſupra arcum chori extrinſecus legitur adſcriptus. Utrum vero firmiter id inde colligi queat, rerum peritioribus diiudicandum relinquimus w).

2) Præterea *Sacellum*, domicilio Equitum *D. Ioannis Hieroſolymitani* adſtructum, omnino commemorabile cenſetur. Id autem quando ſurrexerit, quando priſtinum itidem uſum, decusque, quo antea exciderat, feliciter receperit, perſpicue diſcere licet ex hac inſcriptione, quam ſupra arcum, qui chorum aperit, legimus:

ANNO DOMINI 1465 COMPLETA EST TESTVDO HVIVS SRVCTVRAE CVM FENESTRA DE ANNVNCIATIONE ET CONSECRATIONE TOTIVS ECCLESIAE PER ORDINATIONEM FRATRIS PETRI HEIDOLF, COMMENDATOR. PRONVNC. ORATE PRO EO DEVM.

ANNO 1664 HOC SACELLVM RELIGIONIS CATHOLICAE EXERCITIO RESTITVTVM, ET ANNO 1671 EX INTEGRO RENOVATVM FVIT x).

Inter

---

u) Apud modo laudatum *Crollium* l. c.

v) Conf. *Oliv. Legipontius* in cit. monaſt. Mogunt. p. 71. ſeq.

w) Apud *Crollium* l. d. pag. 8. not. *; ubi de priſcis eccleſiæ iſtius loci Rectoribus, iisque illuſtri ſtirpe ſæpius ſatis, agitur.

x) Apud eundem l. c. pag. 8. not. **

Inter ædes vero, quæ cuiusdam ſunt nominis, occurrit

1) *Curia*, publici conſilii ſedes, licet operis ſit non admodum viſendi. Hæcce, ex lapidibus fabricata, in foro ſita eſt. Inſignia Palatina, in ſolario adpoſita, quin etiam anni MDXCIX, quo procul dubio fuit reparata, notationem in fronte præfert. Ipſam autem multo ante iam ſtetiſſe, Moguntina indicio ſunt inſignia, foribus ædificii interioribus inſculpta. Ceterum, quæ bonorum partes ſint civium, hæc, quam in ea legimus, nos edocet ἐπιγραφή:

„ Cum pietate DEUM ſummum reverenter adora,
„ Atque Magiſtratum cum pietate time y).

2) Poſt hanc occurrit *Domus Equitum* modo z) laudatorum. (die Commenthurei). Quam aliquando flammis abſumtam, & cura *Ioannis Schnecki*, Prætoris quandam Sobernhemienſis a), reconcinnatam eſſe, hæc Latina & Teutonica commonſtrat inſcriptio:

SEPTEM CUM DENIS ANNIS, NVMERVM PVTO PARVVM,
EXIERANT, MEA CVM VISCERA FLAMMA RAPIT.
POST SED IOANNES SEXTO ME SCHNECKIVS ANNO
EMIT, ET IN TANTAM FECIT ABIRE DOMVM.
SECHTZIG SIEBEN DER MINDER ZAHL
BRANDT DIESER HOEFF GANTZ VBERAHL,
SECHS IAHR DARNACH HAT MICH BEREITT
IOHAN SCHNECK MIT SOLCHER HERRLICHKEIT b).

3) Domus itidem, quæ in reliquiis bonorum montis D. DISIBODI eſt, & vulgo *der Diſibodenberger-Hof* adpellatur; cui quoque ſacellum antiquitus adiunctum eſt; quod tamen

---

y) Vid. *Crollius* l. d. p. 9. not. *

z) Supra p. 56. num. 2.

a) Quem anno ſeculi XIV nonageſimo ſecundo defunctum, λόγος ei ἐπιτάφιος, in oppidano templo poſitus, loquitur.

b) Apud eumdem *Crollium* l. c. not. **



men postea profanos in usus conversum, hodie frumento condendo potissimum inservit c).

Hic loci nonnulla subnectemus de *cœnobio Disibodenbergensi*, vernacule *Disibodenberg*, contracte *Disenberg*, nuncupato. Hoc equidem vetustissimum, iam seculo VII fundatum, atque omnium, uti creditur, primum ordinis S. Benedicti in Germania monasterium, Moguntinæ diœcesis, in amœnissimo silvestrique monte, ad Glani Navæque fluviorum confluentes paulatim adsurgente d), non procul a *Staudernhemio* e), quondam in Sponhemiensi Comitatu, nunc in finibus Bipontini Ducatus positum, duobus a *Crucenaco*, atque uno a Sponhemiensi cœnobio milliaribus distans, originem nomenque suum debet *S. Disibodo*, Hiberniæ Episcopo; quippe qui, multis suorum iactatus iniuriis, exulatum venit in Germaniam circa annum 545, vel, sicuti aliis placet, 674; ubi post decem suæ peregrinationis annos, instituti Benedictini parta notitia, tandem in agro Moguntino subsistit. De cetero cœnobium istud varia habuit fata f).

Verum autem, ut in viam, unde digressus, regrediar, nec domus dictorum Equitum, nec villa D. *Disibodi* hodie spectabilis est, similiter ut eæ, quæ familiis nobilibus, ex plurimis, quas hocce oppidum olim habuit, adhuc sunt propriæ.

Ceterum *Sobernhemium* anno 1324 a LUDOVICO, Imperatorum huius nominis IV, ius civitatis obtinuit. Tabulas

---

c) Ibidem not. ***

d) Supra §. XII. p. 38.

e) Vid. infra §. XVIII. num. 39.

f) Plura dabit *Oliv. Legipontius* l. d. p. 19, seqq; cui addatur *Trithemius* in opp. hist. P. I. Lib. I. compendii annal. p. m. 54. edit. *Freheri* Francof. 1601. fol. nec non b. *Kremerus* in den diplom. Beitr. p. 19. not. 10.

las quoque, quibus civitatis iura consequutum est, e tenebris feliciter erutas esse novimus g). Ipsas autem repetere hic loc minime gravabor:

Nos Ludewicus *Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus notum esse volumus universis, quod intuitu Venerabilis* Matthie *Archiepiscopi Moguntini, Principis & Secretarii nostri karissimi, villam* Sobernheim *& eius districtum & territorium ad instar opidi nostri regalis.* Franckenvort, *& ipsius districtus ac territorii, auctoritate regia, meliori modo & iure, quibus Imperium hoc facere consuevit & potest, liberavimus & in his literis liberamus ad habendum ius civitatis, iudicii, atque fori, & alia, que dictum opidum* Franckenvort *ex regali seu imperiali liberacione ipsius recepisse dinoscitur & habet: dantes & concedentes eidem ville* Sobernheim *& eius incolis in rebus & personis omnem libertatem, que vulgariter* Friheit *appellatur, quam habet prefatum opidum* Franckenvort *& incole eius, qua eciam eandem villam* Sobernheim *auctoritate prædicta communimus præsentibus & dotamus. In cuius dicte liberacionis nostre perpetuam firmitatem præsentes literas conscribi & Maiestatis nostre sigillo fecimus communiri. Nulli ergo hominum liceat hanc libertatem seu liberacionem nostram in personis vel rebus incolarum predicte ville quoquo modo infringere, aut ei ausu temerario contravenire. Si quis autem contrafacere presumserit, gravem offensam nostram se noverit incursurum. Datum in* Bacharaco *quinto Idus Ianuarii anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quarto, regni vero nostri anno decimo* h).

Haud diu post impetratam civitatem limitibus etiam, intra quos civitates Rhenanæ, *Argentoratum* videlicet, *Spira*, *Wormatia*, *Oppenhemium* & *Moguntia*, curam publicæ securitatis adversus prædones, itinera publica vehementer infestantes,

g) Sistit eas G. C. *Joannis* in diplomatario spicilegii sui I. miscello num. XXII. p. 486.

h) Conf. *Crollius* l. d. pag. 10. not. *



ſtantes, in ſe ſuſceperunt i), comprehenſum fuit *Sobernhemium.* Ceterum privilegiis, minime contemnendis, ſpeciatim iure venandi, in Nava piſcandi, mercatu itidem, aliisque etiamnum gaudet. Quod ad venationem attinet, teſtimonio nobis ſunt litteræ, quibus LVDOVICVS HENRICVS, Dux Simmerenſium, non univerſæ tantum præfecturæ minori, ſed ſigillatim quoque oppido noſtro ius hocce venandi, ſibi, dum *Sobernhemii* ad tempus cum aula agebat, obſervanter conceſſum, benigniſſime reddidit, redditumque confirmavit k). Quod ad mercatum, habet quidem unum quot hebdomadibus, tres vero quotannis diebus ſtatis habendos. Fruuntur hoc privilegio iam ab anno MCCCCLXXX, quo PHILIPPVS, ſemptemvir Palatinus, egregium ſuæ erga Sobernhemienſes voluntatis argumentum ad perennem exſtare memoriam cupiens, id ſequenti eis indulſit diplomate:

Wir Philips *von Gottes gnaden* Pfaltzgraffe bey Rhin, Hertzog in Bayern, des heiligen Romiſchen Richs Ertz-Truchſaſſ und Chur-Fürſt, *bekennen, und thun kundt offenbahr mit dieſem brieff, daſſ wir den Ehrſamen unſern lieben getrewen Burgermeiſtern, Rath, Burgern und Gemeinden unſer Stadt* Sobernheim *umb getreue dienſt, und ihr fleiſſige unterthænige bitt, dazu ihres uſſkommens willen, dadurch die Stadt und lüte gebeſſern mögen, auch angeſehen gnad und friheit ſie von Romiſchen Kayſern und Königen haben; ſonderlich Kayſer* Ludwigen, *der die zeit Romiſcher König, Pfaltz-Graffe bey Rhin*

i) Fœdus quidem an. 1325 initum fuit, ſed an. 1332 a Cæſare LVDOVICO IV ſollemnibus tabulis confirmatum. Vid. *Lehmannus* in chron. Spir. lib. VI. cap. XXVII. p. 675. & cap. XXX. p. 680; id quod quoque animadvertit *Crollius* l. c. not. **; nos in comment. hiſt. de Oppenhemio §. XIV. p. 43.

k) Datæ ſunt litteræ zu Creutznach den 6. Aprilis des ein tauſend ſechshundert und ſiebentzigſten Iahrs. Iſtas integras attulit *Crollius* l. d. p. 11. ſeq. not. *

Rhin und Hertzog zu Bayern gewest ist: einen freyen Wochen-Marckt und drey Iahr-Marckt zum Iahre gegeben, erlaubt, und zugeordnet han; den Wochen-marckt wochentlich uff montag, und ob das ein gebann-feyer were, uff den nechsten wertag nach; und den ersten Iahr-marck den nechsten Wertag nach S. Michaels tag, *den andern uff* S. Fabian *und* Sebastian-tag, *und den dritten uff* S. Albans-tag *zu* Sobernheim *in der Stadt zu halten; dieselbe Wochen- und Iahr-märckt von ihnen auch gefriet han; und frien ihnen die in Krafft dieses brieffs für uns und unser Erben; dass alle die da suchen zu kauffen oder verkauffen in unserem und der Pfaltz frieden, tröstung und sicherheit hin, und die haben sollen, zum marck dabey, und wieder von dannen ahn ihr sicher gewahrsam, uffgeschieden der, die den lib verwerckt, oder falsch unrecht aich, als mass oder gewicht, den luten geben, oder unser offen finde, oder uff unsern schaden gewest, das noch nicht gerugt oder abgetragen were. Befehlen und gebieten hieruff ernstlich und vestiglich allen unsern erben, ambtlüten, dienern, knechten, burgern angehorigen und unterthanen, dass sie diese wochen und iahr-marckt von unseren wegen helffen schirmen und sichern nach ihrem besten vermögen, getrewlich und ohngefehrlich. Vrkund dieses brieffs versigelt mit unserm anhangendem insiegel. Datum* Heydelberg *uff montag nach* Iohanns Baptisten *tag im iahr ein tauffend vier hundert und achtzig* l).

Oppidum nostrum antiquitus ad Comitatum Sponhemiensem & Veldentinum iam pertinuit. Nam anno 1461. præter alia loca *Sobernhemium* LVDOVICO, Duci Veldentino, pro portione sua tradebatur m). Deinde iure belli ad Palatinos pervenit. Hinc hæc legimus: *Palatinus* (FRIDERICUS I. Elector) *movit exercitum contra Ducem* LVDOVICVM (Nigrum regni capitaneum, quem adpellant) *obseditque* Sobernheim *oppidum ecclesiæ Moguntinæ, ipsi* LVDOVICO *ab* ADOLPHO,

 PHO,

l) Apud *Crollium* l. d. pag. 13.

m) Vid. b. *Kremerus* in der Gesch. Frid. I. El. Pal. lib. III. §. 18. p. 251. not 5; acta acad. Theod. Palat. Tom. II, p. 301.



PHO, *Archiepiſcopo, pro certa ſumma pecuniarum impignoratum. Oppidani non habentes a Duce* LVDOVICO *defenſionis aliquod præſidium, cum tantæ multitudini nequaquam poſſent reſiſtere, in manus ſe obſidentis Palatini cum oppido tradiderunt anno prænotato* (1471.) *die S. Bartholomæi Apoſtoli, & ita ſalvi manſerunt ſub Palatinatu* n). Idem *Sobernhemium* in iis eſt locis, quæ laudatus FRIDERICVS I voluit, ut in poſſeſſione Palatinorum permanerent o). Verum autem ALEXANDER, Comes Palatinus, Dux Bavariæ & Comes Veldentiæ Moſellanus, LVDOVICI *Nigri* filius, Sobernhemienſes d. IX Sept. anno 1504. exagitando perturbavit. Nam *Alexandrini rurſus de oppido* Meiſenheim *turmatim exeunt, & circa nonam horam de mane in agrum* Sobernheimenſis *oppidi cum ſilentio irruentes omnia, quæ invenerant, pecora, nullo percipiente in oppido, ſecum ducentes ad* Meiſenheim *minaverunt. Eſt autem inter* Sobernheim & Meiſenheim, *unius duntaxat milliaris diſtantia* p). Poſtea Ducatui Simmerenſi fuit adnumeratum q). Ceterum in notiſſima illa propter Beckelnhemienſem præfecturum diſceptatione paſſim fit mentio oppidi noſtri r). De fatis bellicis, quibus *Sobernhemium* miſerrime conflictatum, alibi fuſius agitur s). Inſuper ager, Moersfeldam inter & *Sobernhemium* ſitus, quodam genere lapidum, qui

n) Conf. *Tritemius* in annal. Hirſaug. Tom. II. p. 475; idem in geſtis Frid. I. p. 69. ſeq. & p. 30. *P. Hachenbergius* l. c. lib. VII. p. 211; *Zeilerus* topogr. Pal. p. 82; & *Kremerus* l. d. lib. V. §. 16. p. 466. not. 1.

o) Lege ſis *Kremerum* l. d. in cod. diplom. num. CLXVIII. ad an. 1472. p. 456.

p) Hæc ſunt verba *Tritemii* in annal Hirſaug. T. II. p. 610.

q) Teſte *Tolnero* p. 74.

r) V. g. apud *Finſterwaldum* p. 490. ſeqq. & p. 892.

s) Vid. *Zeilerus* & *Tritemius* l. c. in primis autem *Crollius* l. d. p. 39. ſeq. in notis.

qui Margodæ gypſei nominari ſolent, redundat; quibus lapidibus in terram fertilem fatiſcentibus fecunditatem ſuam procul dubio debet hic ager t). Quod reliquum eſt, civitas noſtra ſuos eruditos partim progenuit, partim aluit u).

§. XVII.

Binis hiſce urbibus ſpectatis, nonnulla celebriora huius Archiſatrapiæ monaſteria veluti oculis colluſtrabimus. In quibus in occurſum nobis venit:

a) *Porta D. Mariæ*, in ſermone vernaculo ſimpliciter adpellata *Marienpfort*, ſive quoque *Marienpforter-hof*, ad præfecturam Beckelnhemienſem ſpectans, atque a Mannhemio duodeviginti horas diſtans v). In valle admodum profunda iacet, oppidique *Sobernhemii* fines, & quidem Sponhemium verſus, contingit. Quamquam autem nulla prorſus nunc ſit ſpecie, templo quippe & ædificiis partim ruinoſis, partim collapſis, ita ut eorum rudera tantummodo viſantur; fuit tamen olim, priusquam alienum a primo ſtatum ſubiret, cœnobium ſatis inclytum, a monachis, qui D. *Wilhelmi* inſtituta ſequebantur, indeque dicti *Wilhelmitæ*, per aliquod temporis ſpatium quiete inhabitatum. Cœnobii huius e ſuperiorum temporum ſcriptoribus unicus ferme mentionem, & quidem occaſione belli Bavarico-Palatini, facit Abbas Sponhemienſis, & quidem his verbis w): *Alexandrini quasdam in vigilia* Petri & Pauli *villulas Palatini circa* Sobernheim, *incendio concremantes*, *monaſterium* Wilhelmitarum, Mariæ

---

t) Sic docet ampliſſ. *Collini* in der mineralog. Reiſe cap. VI. p. 172-182; & celeb. *Io. Schwab* in diſſ. de lapidibus in ordinem ſyſtem. digeſtis §. XIV. p. 17.

u) De quibus infra §. XLV. ſeqq.

v) Die æuſſerl. Kirchenverf. p. 150.

w) *Trithemius* in chron. Sponh. p. m. 419; conf. idem in epp. Fam. lib. I. p. 493.

Mariæ porta *dictum*, *mane intraverunt cum curribus & equitibus*, *& quicquid poterant invenire*, *secum ad Meisenheim abducentes*, *ducentis aureis a Priore acceptis*, *pro securitate ab incendio cœnobium ejus servare promiserunt.* Rursus x): *Hic* (Alexander, Dux Bipontinus) *anno dominicæ nativitatis prænotato*, *in vigilia* S. Petri & Pauli *Apostolorum*, *Capitaneum suum*, *cum exercitu parvo rustico*, *& magis ad prædam idoneum* y), *quam ad pugnam*, *in terras misit Palatini*, *Spanheimensi coniunctas & vicinas Comitatui*, *qui monasterium* Wilhelmitarum, *quod* Mariæ porta *nuncupatur*, *parum distans a Spanheim*, *intrantis*, *crudeliter spoliaverunt.* —— *A Priore & fratribus memorati cœnobii* Wilhelmitarum *ducentos extorsere florenos*, *ut ab incendio*, *quod minabantur monasterio*, *temperarent.* Interim dubito nullus, quin idem sit illud monasterium, quod *domum de porta Mariæ iuxta Cruishoute* z), citra *Hagenobiam* a) vocari videas in catalogo *Domuum ordinis* S. Guilielmi *in tribus provinciis*, Thusciæ scilicet, Alamanniæ & Franciæ, *erectarum* b). Quo tempore autem, quave occasione profanos in usus sit conversum, mihi non satis compertum est. Id vero constat, superioribus temporibus numeratum fuisse in possessionibus inclytæ familiæ *Cratziorum* de *Scharpfenstein* c), postea ad bona generosissimæ progeniei de *Schellart* transiisse, vel potius Dominum de *Petri*, contracto cum Domina de *Schellart* connubio, illud sibi iure matrimonii vindicavisse d).

b) *Schwa-*

---

x) Idem in annal. Hirsaug. Tom II. ad an. 1504. p. 608. seqq.

y) Forsitan *idoneo*.

z) Quod vicinum omnino Cruciniacum est. Vid. infra §. XIX.

a) Rectius *infra Hagenoam*.

b) Quem catalogum ex msf. veteri codice phrontisterii Alostani nobis dedit *Guilielmus* de *Waba*, ordinis Ignatiani Presbyter, in *explanatione vitæ* S. Guilielmi *Magni*, lib. IV. art. XXIV. Sect. III. p. 341. seq.

c) Vid. supra §. XVI. B. p. 55.

d) Conf. cit. *Crollius* p. 19. & 20, & *Oliv. Legipontius* l. d. p. 57.

b) *Schwabenhemium*, ad diſtinctionem alterius *Schwabenhemii* præpoſituræ S. Maximini, quod vernacule dicitur *Sauberſchwabenheim*, noſtrum a monachis nominari vulgo ſolet *Pfaffenſchwabenheim*, cis Navam, a Mannhemio tredecim horas, ſed a *Crucenaco* horam tantum unicam diſſitum. Olim dictum fuit *Suaboheim*, de quo hæc ſcribuntur: *Teuthar quidquid in pago Wormat. in* Suaboheimer marca habuit, *pecuniam, veſtimenta & mancipia Laurishamenſibus legavit an.* VIII *Karoli regis; Erkanolfus duos manſos, in* Suaboheim *vendidit an.* XXV *Ludowici Imp. In notitia feudorum Rhingravicorum ſeculi* XII Schwabenheim & Sur-Schwabenheim *nominantur. Illud nunc* Pfaffen-Schwabenheim *dicitur; hoc ad Saluſiam eſt ſitum* e). Sic quoque occurrit *Schwabeheim*, & *Schwofsheim*, potiſſimum in litteris *Henrici*, Comitis Solmenſis, an. MCCXCIX datis f). Huius etiam iam antea fit mentio in litteris HENRICI II Imperatoris anno MXXIII g). Quondam habuit cœnobium regularium Canonicorum S. Auguſtini, an. milleſimo centeſimo triceſimo ab *Eberhardo*, vel, prout aliis placet, a *Meginhardo*, (Megenhard) Comite Sponhemienſi, *Stephani* filio, fundatum h), atque ab ipſo Eccleſiæ cathedrali Moguntinæ traditum, ſed hac ſub conditione, ſibi poſteriſque ſuis ut iurisdictionem, ius protectionis vel advocatiam tutelæ reſervaverit i). Hæc advocatia poſtmodum quoque permanſit in poteſtate lineæ *Crucenacenſis*, cuius Comites dicti monaſterii fuerunt advocati k). Iam antea, nimirum

e) Quod obſervat ampliſſ. *Andr. Lameius* in deſcript. pagi Wormat. in act. acad. Theod. Palat. §. XIV. p. 279. Tomi I.

f) B. *Kremeri* diplom. Beytr. p. 353.

g) Vid. eadem acta acad. Tom. III. p. 105.

h) *Tritbemius* in chron. Sponh. p. m. 245. & *Kremerus* l. c. p. 13.

i) Illuſtr. de *Gudenus* in cod. diplom. Tom. I. p. 89, nec non *Kremerus* l. d. p. 32. 307. & 353.

k) Apud eumdem *Kremerum* p. 111. not. p. 135. 279. not. & 246. *Zeilerum* l. c. pag. 24. Eccleſiæ eiusdem loci iam ſupra §. IV. p. 7. meminimus.



an. 1125 occurrit *Hermannus*, Præpositus de *Schwabenheim*, tamquam testis, in litteris *Adelberti*, Archiepiscopi Moguntini l). Idem cœnobium Moguntini anno 1279. sunt depopulati m). Anno millesimo quingentesimo quarto ab Hassis invaditur, atque monachis haud exiguum adfertur damnum. Id quod sequentia testantur: *Anno* MDIV. Schwabenhemium *cœnobium est fratrum Canonicorum Regularium S. Augustini de Windesheimensium observantia fratrum, quod Comites de Spanheim fundarunt, non longe ab eo loco situm, ubi inter* Stauronesum & Sprenlingen *castra posuerunt Hassi, in quod cum impetu irruentes non parva servis Dei damna fecerunt & incommoda. Iussu tamen Principis temperatum est, ne desolaretur in toto, pro qua liberatione ab incendio Prior loci ducentos auri nummos Landgravio dare compulsus est, non attenta paupertate seu inopia, qua fratres premebantur* n). Anno eiusdem seculi decimi sexti septuagesimo dictum cœnobium fuit exauctoratum o), atque in eiusmodi statu iacuit usque ad annum MDCXCVI; ubi tandem favore Serenissimi Principis Electoris IOANNIS WILHELMI, præviis ordinis supplicibus litteris, quippe quas R. P. *Martels* submississime tradidit, rursus est in præposituram, quam adpellitant, commutatum p). Huic præposituræ addicti fuerunt nonnulli Canonici, quibus concessa tum parœcia tum usus bonorum pro annuo Administrationi Ecclesiasticæ solvendo censu tributoque. Modo dictus R. P. *Martels* primus nuncupatur & constituitur huius cœnobii Præpositus, prouti testatur ipsius epitaphium, in templo, quod inter Catholicos & Reformatos commune est, obvium. Eodem in templo duo alia, ad familiam primorum fundatorum spectantia, leguntur: P. M.

---

l) Vid. *Trithemius* l. d. p. 240.

m) Eodem ibidem teste, p. 290.

n) Idem in annal. Hirsaug. Tom. II. p. 617.

o) Conf. celeb. *L. C. Miegius* in dem ausführlichen Bericht zufolge der præliminar-Anzeige, in adpend. num. II. p. 123.

p) *Oliv. Legipontius* l. c. p. 64.



P. M. WALRAMI COMITIS
IN SPONHEIM
DECANONIAE HVIVS FVNDATORVM
FAMILIA
ANNO MCCCLXXX IDIBVS FEBRVARII DEMORTVI
ET IN VETERI OLIM NAVI HVIVS ECCLESIAE SEPVLTI.

Ibidem ad ſiniſtram introitus lapis ſepulcralis ſeu cippus alius occurrit, in quo Comes quidam Sponhemienſis thoracatus, vel cataphracta ſive thorace ferreo indutus, cernitur exciſus cum epigraphe ſequenti:

Monumentum
P. M. Dni Comitis Iohannis
de Spanheim
de Canoniæ huius fundatorum
Familia
Anno MCCCCXI Calend. Martii in
veteri huius templi Navi ſepulti q).

c) *Sponhemium*, alias quoque *Spanhemium*, pagus, a Mannhemio duodeviginti horas diſſitus, ita nominatus ab antiquo caſtro *Sponheim*; unde & univerſus Sponhemienſis Comitatus nomen ſuum ſortitus fuit. *Sponhemium* itaque pagus eſt & caſtellum. De villanis Sponhemienſibus, iam anno 1193 notiſſimis, alibi agitur r). Decimis huius pagi iam antea, nimirum an. 1044, cœnobium, de quo ſtatim, fruebatur hodieque fruitur s). Idem pagus fuit an. 1331 devaſtatus t). Quod ad caſtellum, id an. 1242. d. XXVII Martii

I 2 *Sif-*

q) Quod ultimum invenitur apud *Kremerum* l. d. pag. 215; ubi plura eaque egregia de hoc monumento.

r) Videlicet apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 258, & *Kremerum* cit. pag. 55.

s) Prouti legimus apud eumdem *Trithemium* l. d. pag. 237. nec non cit. *Kremerum* p. 12.

t) Idem *Kremerus* p. 298.

Siffrido, Archiepiſcopo Moguntino, traditur in feudum u). Ceterum tamen inter lineam Starckenburgenſem & *Crucenacenſem* commune permanſit. v). Tandem an. 1292 pars huius caſtelli octava tranſiit ad Comitem *Eberhardum* w). Varia quoque beneficia caſtrenſia, quæ vocant, ibidem exſtiterunt x). Anno ſeculi decimi quarti triceſimo primo caſtellum hocce, potiſſimum externa eius ædificia, *Baldewinus*, Archiepiſcopus Trevirenſis, incendio delevit y).

Quod vero propius nos tangit, *Monaſterium Sponhemienſe*, unico ferme milliari ab ipſo *Crucenaco* remotum, pridem fuit perquam illuſtre. Nam anno 1044 *Eberhardus*, Comes Sponhemienſis, matre *Hedwiga* conſentiente, nominatim in loco, qui *mons campi* (der Feldberg) antiquitus dicebatur, fundavit eccleſiam, utpote quam *Bardo*, Moguntinus Archiepiſcopus, anno 1047 conſecravit. Hinc Abbas eiusdem monaſterii z) ſcribit: *Anno ab incarnatione Domini noſtri* IESV CHRISTI MXLIIII *illuſtris Comes Everardus, Comes de Sponheim, eccleſiam in loco, qui* mons campi *dicebatur antiquitus, fundavit, anno quinto Imperatoris Henrici huius nominis tertii, tempore Benedicti Papæ noni, ſanctam Eccleſiam Moguntinam gubernante Bardone venerabili epiſcopo, — qui & eandem Eccleſiam in honorem beatiſſimæ Dei genetricis & virginis Mariæ conſecravit* VIII. *Calendis Iulii, anno Domini* MXLVII. *Comes autem Everardus pro animæ ſuæ remedio, ad eandem eccleſiam contulit non pauca bona, quorum emolumento viverent, qui altari in eadem deſervirent. In primis decimam villæ Sponheim*

u) Vid. ill. de *Gudenus* l. d. Tom. I. p. 570; cui ſubjungatur laudatus *Kremerus* p. 83.

v) *Kremerus* l. d. pag 84. 110. & 279.

w) idem p. 174. 187. & 251.

x) Ibidem p. 280. & 327.

y) Idem p. 298.

z) *Trithemius* in chron. Sponh. p. m. 237.

heim a), *cum familia & dominicali terra in agris, vineis, hortis, pratis, pascuis, sylvis, cultis, incultis atque colendis, viis atque inviis. In* Pedersheim *quoque duos mansos. In* Rudesheim *prope* Creutznacht *tres mansos dominicalis terræ. Ibidem quatuor cum quarta parte, quos coloni possidebant. In* Hagenheim *duos mansos, & duo iugera vinearum. In* Basenheim *mansum, & sex iugera. In* Dromersheim *dimidium mansum, & quatuor vineas. In* Mannendal *mansum. In* Bockenaw b) *duos mansos. In* Awen c) *quatuor mansos cum quarta parte. In* Moncecha d) *aream cum ædificiis, &* XII *iugera vinearum. In* Werngisbach *duos mansos. In* Escelbrun *octo maldra tritici &* XVI *siliginis, de manso, qui vocatur Eberhardi. Hæc & quædam alia prædictus Comes ad ecclesiam a se fundatam contulit & clericos in eam quosdam, qui missas legerent, collocavit. Ius autem instituendi ad beneficia clericos in ipsa ecclesia sibi & hæredibus suis reservavit. Hanc quoque donationem solenniter factam sanctus Bardo, Archiepiscopus præfatus, confirmavit. Itaque per annos ferme* LXX *stetit ecclesia Sponheimensis, antequam in monasterium erigeretur. Erantque altaria in ea quatuor, quæ sacerdotibus sibi succedentibus per seniorem Comitem de Sponheim ex more conferebantur* e).

Anno MCI *Stephanus*, Comes Sponhemiensis, ecclesiam, in monte campi conditam, dignitate monasterii condecoravit, ipsumque monasterium monachis S. Benedicti concessit in usum; sed tamen morte præoccupatus, inceptum opus minime continuavit, proinde *Meginhardo*, filio natu maiori perficiendum commisit ædificium. Idem *Meginhardus* quoque, defuncto patre, sedulo inchoatum opus adgressus, intra paucorum annorum spatium consummavit. Quocirca laudatus

 Abbas

a) Vid. paulo supra not. S.

b) Infra §. XVIII. num. 2.

c) Ibidem num. 4.

d) Vid. supra §. XVI. p. 51.

e) Addatur *Kremerus* l. d. pag. 9. seqq.



Abbas f) inquit: *Anno Domini* MCI *indictione nona, Romanum imperium tenente Henrico Imperatore quarto, ecclesiam quoque Moguntinam gubernante Ruthardo venerabili Archiepiscopo, Stephanus Comes de Sponheim — ecclesiam suam in monte campi, a suis progenitoribus dudum fundatam, erigere in monasterium curavit. — Cœpit autem ædificare locos & mansiones pro monachis, secundum regulam S. Benedicti convenientia, anno prænotato; sed diversis occupationibus sese interficientibus præpeditus, inceptum opus non continuavit. Vnde — filium suum Megenhardum, paternæ substantiæ hæredem, ad se vocavit, eique, ut inchoatum pro cœnobio ædificium perficeret, commisit, & sic in Domino quievit* v. *Cal. Martii anno Domini* MCXVIII. *Megenhardus autem — opus dudum inceptum fortiter aggressus in paucis annis complevit. In medio ecclesiæ sub turri chorum pro monachis instituit, quem tabulatu lapideo duodecim Apostolorum Prophetarumque imaginibus — exornavit. Ad hoc sanctum opus Mechthildis uxor eius — cum magna alacritate multa beneficia contulit; & ipsum Comitem — — continuis precibus pulsare non destitit, monendo & obsecrando, ut operi cœpto finem imponere quantocius dignaretur. — — Rodolphus etiam Comes, frater Megenhardi, una cum Richardo, uxore sua, pro consummatione operis non modicos sumtus impendebat* g). Tandem templum cum monasterio, cuius quædam ædificia hodie supersunt, & cuius muris varia adscripta sunt historica monumenta, per *Boggonem*, (Buggonem, Burchardum II) Episcopum Wormatiensem, nomine *Adelberti*, Archiepiscopi Moguntini, sollemniter consecratum, atque tum in honorem B. V. Mariæ tum S. Martini, Turononsis in Gallia quondam Episcopi, dedicatum fuit anno MCXXIII. Quare modo memoratus auctor h) scribit: *Completo igitur tandem incepto ædificio, hoc est, ecclesia in modum crucis formata, claustro*

---

f) Nempe *Trithemius* l. c. pag. 237. seqq.

g) Conf. *Kremerus* l. d. pag. 25.

h) Videlicet *Trithemius* cit. p. 238.



ſtro & domibus neceſſariis, refectorio & dormitorio ad occidentalem plagam, clauſtro contiguis, magnificus Comes Megenhardus, antequam monachis cœnobium ad inhabitandum traderet, voluit eccleſiam, quam in multis reformaverat, de novo, ut moris eſt, conſecrari. Clericis itaque eiectis & alibi proviſis, Adelbertum, Archiepiſcopum Moguntinum, pro conſecratione eccleſiæ adiit, cui & votum cordis ſui ſuper introducendis monachis ad Sponheim revelavit. Qui reverendiſſimus Præſul bonum Comitis propoſitum plurimum commendavit; & quia per ſe venire ad conſecrationem, ut poſtulabatur, non potuit, venerabilem Wormacienſis eccleſiæ antiſtitem Boggonem, eo tempore multis annis a ſua ſede expulſum, quem apud ſe honorifice tenuit, loco ſui deſtinavit. Anno igitur Dominicæ incarnationis MCXXIII *in Dominica Quaſimodogeniti Buggo ven. Epiſcopus Worm. vice Adelberti — eccleſiam & monaſterium in Sponheim dedicavit in honorem b. Mariæ ſemper Virginis, — & S. Martini, — cum tribus altaribus, quorum maius in memoriam Dei parentis & S. Martini conſecratum. Aliud in abſide verſus meridiem conſecravit in memoriam S. Iohannis Evangeliſtæ. Tertium in abſide verſus aquilonem ad introitum clauſtri, in honorem ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum* i). Sollemnis donationis, coram *Adel-*

---

i) Non ſatis ſibi conſtans eſſe videtur *Trithemius.* Nam in chron. Hirſaug. ad annum 1124. p. 115. ſcribit: *Anno Volmari, Abbatis III, qui fuit Dominicæ nativitatis* 1124. *indictione ſecunda Meginhardus cum uxore ſua Mechtilde, & Rudolphus cum uxore ſua Richarde, Comites de Sponheim, eccleſiam ſuam in monaſterium conſecrarunt in honorem Sancti Martini.* Interim, cum ſequens codicis mſ. Moguntini locus, quem L. B. de *Gudenus* Tom. II. cod. diplom. p. 799. adlegat, nempe: *Collacio* (vicariatus Sponhemienſis) *ſpectavit ad Abbatem illius monaſterii fundatum a Nobili Comite de Sponheim Stephano anno* 1101. dedicatum 1123. Dominica quaſi modo Geniti per Buggonem *Epiſcopum Wormatienſem vice* Adelberti *Moguntini in honore* B. M. V. *& Sancti Martini &c;* cum, inquam,



Adelberto Mog. ſuſceptæ, qua Comes *Meginhardus* templum & monaſterium Ordini tradidit, litteræ datæ ſunt anno MCXXIV k). Advocatiam autem ſibi reſervavit laudatus Comes *Meginhardus*, alias contracte *Meinhardus* l). Deinceps idem *Meginhardus*, ut eo firmius iſtius loci bona confirmarentur & ſtabilirentur, Imp. HENRICVM IV adiit, & præmiſſorum confirmationem feliciter impetravit, ita ut ipſe locus in tutelam imperii fuerit receptus m). Abbas præterea *Bernhelmus* anno inſtitutionis ſuæ tertio pariter omnium præmiſſorum confirmationem, cum aliis quibusdam privilegiis, a Pontifice Romano accepit n). Fundatione & inſtitutione monaſterii, tam per ſedem apoſtolicam, quam per imperialem auctoritatem, ſufficienter confirmatis, monachi duodecim, qui de cœnobiis S. S. *Albani* & *Iacobi* prope Moguntiam, mandante ad Comitis *Meginhardi* rogatum *Adelberto* Archiepiſcopo, advenerunt, locumque incolere, atque habitacula, ſecundum regulam ſibimet neceſſaria, ordinare cœperunt. Horum monachorum octo fuere ſacerdotes, quorum non-

inquam, huiusce loci verba cum *Tritbemii* chronico Sponh. conſentiunt, hinc annus 1123. cenſendus eſt veriſſimus. Vid. *Kremerus* l. d. pag. 25 & 26. not. 17; ubi citantur *Schannat* in hiſtor. Epiſcopatus Wormat. p. 351, & *Brouerus* in annal. Trevirenſ. T. II. p. 19.

k) Quæ diſcimus ex ipſis confirmationis litteris, ab eodem Archiepiſcopo, hanc ob rem ſignatis; quas nobis adſervavit modo laudatus diligentiſſimus *Tritbemius* in chron. Sponh. p. 239.

l) *Tritbemius* l. d. p. 240; ubi apographum privilegii, quod ipſe Comes dedit, habetur de anno 1125; ſed vitio typothetæ legitur ibidem annus MCV.

m) Sic litteræ Imperatoris, datæ Moguntiæ VI. Calend. Martii an. 1125. teſtantur apud *Tritbemium* l. c; ubi rurſus falſo ponitur annus MCCXXV.

n) Litteris *Honorii* II. Papæ, datis an. 1127. teſtantibus, apud *Tritbemium* l. d. pag. 241.

nonnulli, priusquam adſcriberentur ordini ſacro, militiæ nomina dederant. Sunt autem horum nomina: *Bertholdus* presbyter, *Diemus* presbyter, *Adelbero* presbyter, *Anshelmus* presbyter, *Herbordus* presbyter, *Sifridus* quoque presbyter: *Benno* converſus, *Lupoldus* converſus, *Hartungus* converſus & *Emicho* ſimiliter converſus. Ceterum memorata *Mechtildis*, omnia, ad victum cultumque requiſita, præſtitit, atque in ædificiis cœnobii conſummandis fideliſſime fuit cooperata o).

Prædicti monachi ſibimet Abbatem & Paſtorem elegerunt *Bernhelmum*, dicti cœnobii S Albani monachum. Primus iſte Abbas ex Comitatu Sponhem. oriundus fuit; cuius pater *Eberhardus* ſub ſignis *Stephani*, Comitis Sponhemienſis, pluribus annis ſtrenue militavit. Mater vero *Hiltrudis* religionem CHRISTI ſtudioſiſſime coluit. Hi *Bernhelmi* parentes in vico Sponhemio ad caſtelli pedes habitaverunt. Filius autem cœnobio præfuit annis XVI. menſibus IX. diebus XVII. Scripſit in primis de inſtitutione puerorum librum I; introduct. in ſeptem liberales artes lib. I; contra quemdam Sophiſtam lib. I; contra Simoniacos libros III; comment. in eccleſiaſten Salomonis libros X; contra Iudæos lib. I; nec non alia nonnulla, quæ oblivione delevit ætatis iſtius negligentia. Moritur ad d. VI. Cal. April. anno MCLI. paſtoralis officii XVII nondum completo, ætatis vero LXXIV; magno cum honore ſepultus in medio chori p). Sub effigie ipſius in monaſterio hæc leguntur:

„ Bernhelmus, Abbas huius Sponheimenſis monaſterii,
„ antea Monachus monaſterii ad S. Albanum Moguntiæ,
„ tunc ordinis S. Benedicti cum aliis quinque ex S. Albano, & ſex item ex monaſterio S. Iacobi Moguntiæ fra-
„ tri-

o) Apud eumdem p. 238. & 241.

p) Rurſus idem p. 252. & *Kremerus* l. c. pag. 27. not. 19; ubi omnino egregia de *Bernhelmo* habentur.



„ tribus, huc miſſus, quibus Meginhardus Comes de Spon-
„ heim, fundator huius monaſterii, ipſum monaſterium
„ cum eccleſia & omnibus appertinentibus in perpetuam
„ poſſeſſionem tradidit; fuitque Bernhelmus primus Ab-
„ bas hic inſtitutus anno 1124 q). Præfuit annis 26. lau-
„ dabiliſſime. Sub quo Crafto, filius Meginhardi Comi-
„ tis, fundatoris huius monaſterii monachus factus, ei in
„ Abbatia ſucceſſit.

Secundus igitur huius cœnobii Abbas fuit *Crafto* I, *Meginhardi*, Com. Sponhemienſis, filius, utpote qui res ſuas feliciter adminiſtravit annis XXIV. menſibus II. diebus V. r). Nam diem obiit ſupremum ad d. V. Cal. Iunii an. MCLXXV, ætatis LVIII, terræ redditus in eodem ſepulchro, quo *Bernhelmus*. Super tumulum exciſi videntur verſus, qui, præmiſſis amborum in proſa nominibus, ita ſe habent:

„ Abbates clari, &c.

In monaſterio ſub ipſius effigie hæc legimus:

„ Crafto, Abbas ſecundus Sponheimenſis, filius Megin-
„ hardi Comitis, Fundatoris, & Monachus huius Spon-
„ heimenſis monaſterii unanimi conſenſu fratrum in Abba-
„ tem electus anno 1151. præfuit annis 24. & plurima bo-
„ na huic monaſterio præſtitit. in eodem ſepulchro cum
„ Bernhelmo prædeceſſore ſuo in medio eccleſiæ ſepultus,
„ cui Anſelmus ex S. Iacobo cum primis huc miſſus, po-
„ ſtea Prior huius monaſterii hos verſiculos inſcripſit:

„ Abbates clari, quibus accidit hic tumulari,
„ Ambo Dei chari, ſunt modo pace pari s).

Ceterum animus mihi non eſt, ad unum omnes Abbates hic loci enumerare; ſed huius rei cupidos alíorſum ablegare dubito nullus t).

Ius

q) Vid. paulo ſuperius not. 1.

r) Iterum *Trithemius* p. 252. ſeqq.

s) *Trithemius* l. d. pag. 255. & cit. *Kremerus* p. 38. not. 35.

t) Nimirum ad *Trithemium* in chron. Sponh. paſſim, & ad *Kremerum* l. d. pag.

Ius tutelæ vel advocatiam huius monasterii semper tenuerunt Comites Sponhemienses u). Verum autem anno 1299. lis & contentio propter eamdem advocatiam exoriebatur v). Illud tamen ius advocatiæ proprium permansit lineæ *Crucenacensi* w). Præterea castellum *Coppenstenianum* huic cœnobio traditur x). Postea pagus *Arienschwang* & villa *Auwen* eidem conceditur y). Anno 1193 & 1232 discordia respectu compascui iuris exarsit z); rursum cum Abbate *Willichone* a). Abbate *Joanne* defuncto, de novi Abbatis electione vehementer inter se invicem discordant monachi; quæ discordia, speciatim propter *Petrum* Abbatem, postmodum, scilicet an. 1271. pergliscebat b). Anno 1325. Comites Sponhemienses villam *Bosenhemiensem* monasterio donant c). Similiter an. 1331. monasterii curia in pago *Genzingen* ab omni liberatur servitio d). Insuper Comites Sponh. *Ioannes* II eiusque frater *Simon* III maxime munifici fuerunt in dictum monasterium. Nam ipsi portionem suam, quam in castro *Sponheim*, antiquissima illa Comitum Sponhemiensium domo natali, habuerunt, anno 1329 & 1335. in feudum concesse-

K 2 runt;

pag. 28 & 29. Habemus etiam chronicon Sponhem. msf. Germanice; sed idem ex ipso *Tritbemio* depromtum, immo contractum, & ad posteriora deductum tempora.

u) Apud *Kremerum* p. 30.

v) Ibidem p. 353.

w) Ibid. p. 110. seq. & 279.

x) *Tritbemius* l. c. pag. 253. & cit. *Kremerus* p. 42.

y) Idem *Kremerus* p. 56 & 65. seq. infra §. XVIII. num. 2.

z) Idem *Kremerus* p. 55. & 71. seq.

a) Ibidem p. 289.

b) Ibidem p. 119. seqq. & 122. seq.

c) Ibid. p. 290. & infra §. XVIII. num. 9.

d) *Kremerus* l. d. pag. 292.



runt, immo uterque Abbati *Willichoni* iusiurandum clientelare iuraverunt e). In collapsa huius cœnobii disciplina ecclesiastica restituenda & emendanda manus auxiliatrices porrexit FRIDERICVS I, Elector Palatinus f). Anno 1496. congregationi Bursfeldensi hocce cœnobium accessit. In eodem maxima cum laude floruit *Trithemius* maxime περιβόητος, Abbas vicesimus quintus, electus anno MCCCCLXXXIV g). Idem viguit usque ad annum 1568, quo *Iacobus Speira* (al. *Spira*), Abbas, ab ordine suo defecit h), ita ut illud etiam an. 1573 fuerit exauctoratum i).

Postmodum autem bona eius Ordini, vel potius S. Iacobi monti Moguntino, procuranda, sub lege certæ pecuniarum summæ quotannis exsolvendæ, concedebantur. Hinc etiam Abbas dicti Mogunt. cœnobii vulgo, sed vocabulo barbaro, vocatur bonorum *Admodiator*. Ordini tandem an. 1622. restitutum est, & quidem curis *Remigii Holzweiler*, S. Martini Coloniæ professus, suam ipsi operam commodante *Guilielmo Staden*, Agrippinate, eiusdem ordinis k). In regimine *Remigium* excepit *Iacobus Horns*, S. S. Theol. Doctor,

e) *Trithemius* in chron. Sponh. ad an. 1329. p. 310. & *Kremerus* l. d. pag. 291.

f) *Kremerus* in der Gesch. Frid. I. lib. VI. §. III. p. 520.

g) *Trithemius* l. c. pag. 394. seqq. & *Kremerus* in den diplom. Beitr. p. 28. infra §. XLV.

h) Idem *Iac. Speira* ultimus ante reformationem Abbas fuit, primus deinde Pastor, defunctus d. xxx. Nov. an. 1603. vid. *Ioann. Hoffmannus* in der Trarbach. Ehrensäule pag. 132. seq. apud *Kremerum* l. d. pag. 29.

i) Vid. celeb. *L. C. Mieg* in dem ausführl. Bericht &c. in den Beilag. num. II. p. 123.

k) Hic fuit tum eloquentia tum eruditione præstantissimus; qui præter alia præsertim edidit *tropbæa Verdugiana*, Colon. an. 1630. 4.

ctor, itidem S. Martini Coloniæ professus, d. XXIV. Iulii an. 1645. vita functus. Tum clavo vehementer nutanti manum admovit *Gerardus Karell*, Prior Corbeiensis. Huncce subsequutus est *Arnoldus* ab *Essen*, Tuitiensis cœnobita; quippe qui an. 1650. sigillum, quo huc usque Sponhemiensis communitas utitur, perficiendum curavit. Hic autem an. 1652. extrusus, sese Moguntiam recepit, creatus cœnobiarcha S. Iacobi in monte specioso, ubi d. V. Idus Octobr. an. 1664. fatalem vitæ suæ periodum clausit. Deinceps hæc Abbatia veluti cessavit usque ad an. 1687, quo R. P. *Elias Bingell*, S. Iacobi professus, eius vindicandæ provinciam in se recepit, atque demum d. VI. Ianuarii an. 1689. ope Gallorum, eam sui fecit iuris, anno inde secuto per Abbates congregationis Bursfeldensis, qui Tuitii convenerant, Abbas designatus. E vita discessit d. 20. Sept. an. 1721. ætatis septuagesimo septimo. Ipsi succenturiatus est *Romanus Traut*, qui an. 1728. imperium resignavit, illudque *Friderico Ettingshausen* tradidit; sed ipso anno 1732. d. XII. Decemb. fatis functo, Abbas S. Iacobi *Amandus Schell* perpetuam illuc suorum immissionem obtinuit. Post eum fuit cœnobio præfectus P. Augustinus *Schülein*; sub quo splendorem prisci æmulum exspectabant monachi 1).

In templo huiusce monasterii sequentia obvia sunt epitaphia:

I.

In lapide quadrato conspicua sunt insignia bina, ipsique insculptus vir cataphractus, & quidem flexis genubus, cum hac epigraphe:

ANNO DNI MDIV 15ζ1
IST DER VELTE MEINHARD VON KOPPENSTEIN MIT TOD
VERSCHIEDEN VFF IOHANNES TAG DECOLLA.
VF FRETAG NACH CORPORIS XTI EVA VON SCHMIDBVRG
EHLIH GEMAHL. D. B. G. G.

 II.

1) Conf. *Oliv. Legipontius* l. d. pag. 72. seq.



II.

Siste cursum Viator
Et respice tumulum
Amplissimi quondam
Consiliarii Palatini
Simmerensis Domini
Friderici Casimiri
Rœmesi cui nasci
In Ducatu Bipontino
Anno MDCXI
Denasci autem in hoc
Comitatu Sponheimensi
Anno MDCLXXII. contigit.
Recondit hic tumulus
Etiam Coniugem Eius
Iohannam, Carolum filiolum,
Filiam Annam Iulianam
Euphrosinam & Nepotem
Ioannem Richardum.
Quorum omnium memoriam
Hic habes. Abi nunc &
cogita mortem.
O! Fortuna Viris invida fortibus
Quam non æqua bonis præmia dividis.

III.

Anno 1688. den 18. Februarii starb die Wohlgebohrne Frau Charlotta von Damm gebohrne Paul von Rammingen, welche 1641. gebohren und am Pfalz Simmerischen Hoff bey der Durchleuchtig Frau Maria Eleonora gebohrne von Brandenburg und Oranien 47. Iahr Oberhoffmeisterin gewesen. Ihres alters 74. Iahr.



IV.

Quo viator? quid properas, siste gradum
& meditare generosissimi Domini L. B.
de Rochow. Friderici I. Regis Sueciæ & Hassiæ
Landgravii dum viveret Regiminis supremi
Appellationis & consessus Ecclesiastici raræ
eruditionis ac pietatis Consiliarii Hassiaci
gravissimi tumulum. Natus est Cassellis Cattorum
Die 24. Augusti 1699. patre Samuele Friderico de
Rochow Caroli I. Hassiæ Landgravii Consiliario
a secretis nec non Archisatrapa & matre Sophia
Iuliana de Amsdorff. Denatus vero de 4. Iulii
1736.
Vita mihi mors est, mors mihi vita nova.

In ipso monasterio sub effigie S. *Iutæ* m) hæc leguntur:

Sancta Iuta ordinis S. Benedicti soror Meginhardi Comitis Fundatoris Sponheimensis. in monte S. Disibodii Magistra S. Hildegardis Virginis & postea Abbatissæ in monte S. Ruperti prope Bingam, quæ S. Iuta multis etiam in vitam miraculis claruit. Inter cœtera aquam mutavit in vinum & liquidas clari fluminis undas. unde & non sine magna opinione sanctitatis ex hoc mundo transiit. Anno 1136. XI. Calend. Ianuarii n).

Sponhemiense cœnobium egregia prorsus *Bibliotheca*, quam *Anselmus* de *Bickelnheim* o) haud mediocriter adauxit, quondam reddidit longe celeberrimum. Hancce bibliothecam, iam a primis fundati monasterii natalibus satis locupletem, variis-

m) De qua infra §. XLV. litt. A.

n) Hæc humanissime mecum communicavit amplisf. Dn. *Cochemius*, iudicii aulici Palat. Consiliarius, fautor & amicus meus summopere devenerandus.

o) De quo infra §. XLV. litt. B.



variisque haud contemnendis voluminibus refertam, sub *Henrico*, Abbate huius monasterii duodecimo, turpiter dilacerarunt & destruxerunt monachi, pretiosa pro vili pretio volumnia divendentes, ut comissationibus suis & voluptatibus eo melius satisfacere possent p). Anno 1434. Abbas *Gobelinus* q) quædam pretiosa bibliothecæ volumina, quæ priores illi epulones intacta reliquerunt, secum abduxit; utpote quæ, in diversis circa Trarbacum locis distracta, numquam sunt ad monasterium reducta r). Verum autem postmodum a *Trithemio* maxima comparatur bibliotheca an. 1483. Nam eamdem, dum Abbas ordinatus fuit, emendare, atque in meliorem restituere statum omnibus viribus studuit. Vix etenim quadraginta octo volumina, imputatis ad unum omnibus, tempore ordinationis suæ fuerunt in hoc monasterio reperta, parvæ quidem æstimationis, & minoris ad veram solidamque eruditionem utilitatis, sicut ex repertorio, tunc confecto, patescit. Ipse vero, posteaquam huius monasterii regimen adeptus est, & multos & varios in omnibus scientiis artibusque libros paulatim cœpit studiosius comparare, Græcos atque Latinos tot & tantos, ut tunc temporis in universa Germania Bibliothecæ Sponhemiensi similis fuisse nulla diceretur, in qua tot rara, tot secreta, tot varia, paucissimis cognita, haberentur volumina. *Tantus enim*, inquit ipse bibliothecæ restitutor s), *hodie est in hoc monasterio numerus librorum, quod locus unus non sufficit ad eorum repositionem; plures enim sunt, quam æstimari queant.*

Tam celebris quondam hæc bibliotheca ubique gentium fuit, ut litteratissimi homines ad eam visendam undiquaque an. 1483. confluxerint. *Bibliotheca namque huius monasterii hodie in omni terra prædicatur in tantum, ut multi Principes,*

Epis-

p) Vid. *Trithemius* in chron. Sponh. p. 314.

q) De quo similiter inferius §. XLV. litt. I.

r) Apud *Trithemium* l. d. pag. 356.

s) Idem *Trithemius* l. d. pag. 396.

Episcopi, Doctores, Magistri, Nobiles, viri clarissimi, non solum e vicino, sed etiam e regionibus longinquis, — hunc locum visitare voluerint, inviserintque, quibus antehac nec nomen quidem cœnobii constabat: inter quos vel paucos commemorari non erit inutile, sub compendio. — Ioannes Camerarius Dalburgensis, — Ioannes Capnion Portzensis, Conradus Celtis Protucius, — Franciscus Bononius Tergestinus, — Iodocus Beyselidus, — Henricus Bunagius, — Ioannes Cuspinianus, — Andreas Stiborius, — Iacobus Wimfelingus &c. huius monasterii bibliothecam visuri advenerunt t). Sic anno 1496. IV. Nonas Iulii in eodem monasterio varii viri spectatissimi comparuerunt. Qua de re legimus u) sequentia: *Eodem anno* (1496.) IV. *Nonas Iulii hic in monasterio nostro, ad videndum bibliothecam nostram, quam fama ubique preciosam divulgavit, Iohannes Episcopus Wormaciensis, vir Græce & Latine doctissimus, Iohannes Reuchlin alias Capnion, legum doctor, Hebraice, Græce & Latine disertissimus, Ducis Wirtenbergensis Secretarius: Franciscus Bononius Tergestinus, poëta & orator Græce ac Latine peritus, reginæ Romanorum secretarius, Henricus de Bunawe miles, in omni facultate eruditus, Ducum Saxoniæ, Friderici & Iohannis secretarius, & Iohannes Vigilius, utriusque iuris interpres, Philippi Palatini Comitis secretarius, philosophorum omnium mecœnas. Hi omnes viri doctissimi, visa tanta multitudine rarorum voluminum in hoc paupere monasterio, nimium obstuperunt, ordinem preciumque eorum, & studium patris Trithemii industriamque collaudantes.* Pari ratione an. 1501. die XIX Novembr. qui erat festus S. Elisabethæ, PHILIPPVS, Comes Palat. Rheni & Dux Bavariæ, cum LVDOVICO & RVPERTO filiis, *Trithemium* conveniendi, monasterium simul librosque visendi gratia, *Sponhemium* venit v).

Anno

t) Apud eumdem ibidem.

u) Ibidem p. 408.

v) Rursus ibid. p. 415.



Anno 1502. idem *Trithemius* bibliothecæ libros recensuit, atque in ipsa mille sexcenta quadraginta sex volumina invenit; quæ omnia, quadraginta tantum exceptis, ipse tempore regiminis sui collegit. Deinceps in sermone Græco, cuius minime fuit imperitus, multa congessit volumina. Tum quædam idiomatis Hebraici volumina, hoc ipso anno comportata, recensuit; quorum singula seorsim in catalogo nominibus suis diligenter conscripta fuerunt w). Hæc bibliotheca, propter metum hostium, adversus PHILIPPVM, Comitem Palatinum, rebellantium, securitatis caussa, anno 1504. *Crucenacum* transportatur. *His auditis*, inquit ipse Abbas x), *Ioannes Trithemius*, *hostium metu perterritus*, *eodem die*, *in proximum Palatini secessit oppidum*, *quod* Stauronesum *vocarunt antiqui*, *a nostris autem* Creutzenacht *appellatur*; *introductisque paulatim libris*, *privilegiis*, *&* *cunctis utensilibus domus*, *ne paterent in prædam adversariis*, *mansit ibidem mensibus* V. *diebus* XIV. *usque ad finem belli* y). Sed tamen eodem anno *Trithemius* in vigilia S. Andreæ *Crucenaco* rediit in monasterium suum z). De eadem bibliotheca scripsit Abbas optimo suo dilectissimoque fratri *Ioanni Nutio* a): *Tempus omne studendi mihi paravit naviculam*, *iam venit hora tentationis*, *quæ necessariam indicit navigationem. Experiar oportet*, *quam scitus nauta evaserim*, *qui tot annis discendi laboribus non peperci.*

---

w) Ibidem p. 416.

x) Nempe *Trithemius* l. d. pag. 419.

y) Conf. idem in epp. famil. chronico Sponh. subiunctis, lib. I. ep. XIII. pag. 449.

z) Idem in chron. Sponh. p. 422.

a) In epp. fam. lib. I. ep. XXXIII. p. 470; data est hæc epistola d. XIII Aug. an. MDV; adeoque *Zeilerus* l. d. aliique eum sequuti, v. g. ven. *Kayser* in dem hist. Schauplatz der Stadt Heidelberg p. 160. humani quidpiam passi sunt, quoniam provocant ad epistolam, datam an. MDXV.

peperci. Amplius quam duo millia voluminum, non vulgarium, neque impreſſorum tantum, ſed rariſſimorum, ut ſcis & manifeſtum eſt, atque ſcriptorum calamo, cum maxima diligentia & graviſſimis impenſis in bibliothecam Spanheimenſem comportavi, quibus legendis & ſtudioſiſſime per annos ferme 23. revolvendis quid profecerim, hoc tempus expoſtulat declarandum. Doctrina enim viri, ut quidam ſapiens dicit, per patientiam dignoſcitur. Si ergo in tantis adverſitatibus patiens evaſero, ſatis me didiciſſe arbitrabor. Rurſum hæc bibliotheca meritis laudibus extollitur his verbis b): *Scio equidem, non paucos mirari, quod abbatiam dimiſi Spanheimenſem, quam libris & ſtructuris effeci pulcherrimam, usque adeo, ut in tota Germania nunquam reperiatur bibliotheca, in qua tot habeantur in omni ſcientia ſcripturarum nova ſimul & antiqua volumina precioſa atque rariſſima, non ſolum Latina, ſed Hebraica quoque & Græca, charactere ſcripta vetuſtiſſimo. Nam, ut vidiſti, plus quam duo voluminum millia ex diverſis mundi regnis rara & antiquiſſima comportavi, quæ omnia cum ædificiis & rebus variis amore pacis dimiſi. Si quis ex eorum amiſſione dolor animum pulſare cœpiſſet, mortis mihi ſimilitudinem formavi, qua non ſolum oblivionem librorum, ſine quibus aliquando vivere non potui, ſed etiam contemptum, ut dixerim ita, mihimet ipſi perſuaſi. Magno, fateor, bibliothecæ quondam tenebar amore, & cunctis mundi opibus libros meos anteferebam.*

Anno 1506. ob varias easque graviſſimas rationes c), præcipue propter iniurias monachorum, *Trithemius* noſter

 Abba-

b) In *Trithemii* epiſtola ad *Ioan. Brechtium*, Priorem monaſterii D. Matthiæ Apoſtoli extra muros Trevirorum, data ultima die menſis Octobris, anno Chriſtianorum M. D. VI. quæ reperitur in epp. eius famil. lib. II. ep. III. p. m. 513. Proinde ven. *Kayſer* aliique errorem errant. Nam litteras nec an. 1515. nec an. 1507. ſcriptas & datas fuiſſe, ex modo dictis liqueſcit.

c) Harum nonnullas legere licet in cit. epp. Fam. lib. II. ep. L. p. 513.



Abbatiæ Sponhemiensi valedixit, atque Herbipolitanam S. Iacobi ad Scotos in suburbio, per *Laurentium* Episcopum sibimet oblatam, d. xv Octob. accepit; quorsum etiam multa volumina mss. transtulit; quæ adhucdum hodierna die in bibliotheca cœnobii diligenter adservantur. Errant autem omnes, qui censent, hosce codices manu exaratos ex bibliotheca Sponhemiensi fuisse repetitos. Horum hæresin reiicit & refutat ipse Abbas in elegantissimis ad *Conradum Celtem Protutium* litteris, ubi nobiscum sequentia communicat: *Valeant nunc tenebriones & æmuli, quibus studia nostra sancta non placuerunt, & nos cum Psalmista læti cantabimus:* (Psalm. XXIII.) *laqueus inutilium occupationum contritus est, & nos liberati sumus. Neque enim facti me pœnitet, quia, locum adeptus quietum, iam primum mihi videor philosophandi nancisci exordium. Bibliothecam integram dimisi in Spanheim, cuius non magnifacio iacturam, cum iam tandem sine illa philosophari magna ex parte didicerim* d). Eadem propemodum in alio loco e) scripsit: *Quod superest, rerum nostrarum infortunium ac mutationem infirmi status nostri, & quæcunque nobis obviaverunt adversa, Te credimus ex Abbate S. Petri cognovisse. Contumeliam & gravem iniuriam passus sum a monachis meis in Spanheim, & quibusdam nebulonibus adhærentibus illis, quibus adeo in displicentiam & loci & gentis provocatus est animus, ut in nauseam procederet indignatio. — — Annis tribus & viginti maximos in Abbatia Spanhem. labores pertuli, pro quibus invidiam recepi æmulorum, quorum cedere temeritati satius duxi, quam ex cohabitatione continue pernitiosam tolerare vesaniam. Duorum milium reliqui volumina, vetusta, pretiosa, atque rarissima, quæ*

studio

---

d) *Trithemius* l. d. lib. II. ep. XXXIII. p. 545, seq.; in hac epistola, scripta & data ex Herbipoli prima die m. Iulii an. Christianorum 1507, abitus sui caussas, & calamitatis suæ historiam concisim delineatam recenset.

e) Ibid. p. m. 548. in ep. ad *Georgium* de *Rotenburgio*, Med. Doct. clarissimum, scripta ex Herbipoli 20. Iulii, an. Christi 1507.

ſtudio incredibili & amore ad Spanheim ego comportavi in tempore præſidentiæ meæ non ſine impenſis & laboribus multis, in omni varietate ſcripturarum, ſcripta complura, impreſſa etiam multa, Græca, Latina, ſimul atque Hebraica, quorum ante me ibi nullum fuit. Fractum animum fateor meum, tantam librorum ſupellectilem monachis indoctis ex aſſe contigiſſe & ingratis, quem totum redderem ſibi mortis me oportebat revocare imaginem. In alia inſuper epiſtola f) hæc legimus: *Eſt mihi cœnobiolum pauper & exiguum, ſed quietum, & philoſophanti ſatis accommodum; ſola me penuria moleſtat librorum, quibus, ut noſti, in Spanheim eram ditiſſimus.* Porro aliis in litteris g): *Bibliothecam pretioſam duorum milium voluminum, quam olim vidiſti, integram dimiſi in Spanheim, quia de monaſterii ſubſtantia comparata fuit. — — Quosdam vero libellos de rebus naturæ myſticis & archanis, quorum lectio non omnibus conducit, mecum detuli Herbipolim, qui ad Spanheim nunquam pertinuerunt. Græca quoque volumina centum & Hebraica præter Bibliam illam parvulam impreſſam, ſimul cum cœteris in monaſterio dimiſi. Comparavi autem poſtea mihi in utraque lingua volumina de pecuniis mihi donatis a Marchione Brandenburgenſi, &, ſi quibus indigerem amplius, mihi cum tempore providebo. Prior mihi in abbatia Spanhemenſi ſucceſſit, homo ſane, quem intus & in cute noviſti, qui non magnifacit ſtudium ſcripturarum, a quo, ſi vellem, libros Græcos vili pretio facile redimerem. Sed non placet mihi Spanhemenſi cœnobio ſuum auferre decorem, quem magno ſatis pretio comparavi.* Præterea rurſus alibi h) hæcce reſpectu librorum Græcorum & Hebraicorum

L 3 aliorum-

f) Ad *Iac. Wimphelingium*, ſcripta ex monaſterio d. 27. m. Iulii an. 1507. ibid. in epp. fam. p. 550.

g) Ad *Iac. Kymolanum*, Carmelitani ordinis Theologum & Mathematicum, datis ex Herbipoli 16. die m. Aug. an. Chriſtianorum 1507; ibid. p. 556.

h) Nimirum in litteris, ad *Ioan. Damium Curtenſium* ſcriptis ex Herbipoli 20. Aug. an. 1507; ibid. p. 558. ſeq.

aliorumque memorabilia habentur: *Retulit nobis lator præsentium frater Wilhelmus orphanus, — magnæ temeritatis historiam. — Dicit enim, Abbatem Bursfeldensem cum nescio quo alio nuper in Spanheim visitationis peregisse officium, & — præcepisse Nicolao abbati successori nostro certis sub pœnis, quatenus omnia linguæ Græcæ volumina scripta simul & impressa de monasterio studeat alienare, distrahere & vendere, quæ nos cum magno labore gravibusque expensis ex Græcia & Italia comportavimus. Quæ si vera sunt, te enim latere non possunt, maxime rogamus, quatenus ad monasterium Spanhemense quantocius accedas, & ipsa volumina Græca simul & Hebraica pro nobis compares, aut scire nos mentem Abbatis facias. Curabimus enim ex his, quæ nobis Principum sunt largitione collata, tantum comportare pecuniarum, quo libros redimamus venales. Quamvis non temere fidem dictis adhibere possimus. Quænam causa bonum Abbatem illum potuit permovere, ut libros iubeat venundari Græcos, in quibus nihil continetur mali. — — Magis autem credimus, illum pia consideratione motum, ut, quia neminem Græcarum literarum peritum in Spanheim reperit, propterea libros quasi inutiles arbitratus loco, vendi ac verti in usus fratrum necessarios precium mandavit. Quamvis ista venditio mihi non placeat, propterea quod omnes libros multis pecuniis comparatos per me ad perpetuum cœnobii Spanhemensis ornatum atque decorem, in ipso suo loco maxime vellem permanere. Scis enim, quod plus quam mille quingentos auri ducatos pro libris exposuimus in quatuor & viginti annis nostræ prælationis, magnamque & copiam & multitudinem eorum comportavimus in unum. Duo quippe millia numeravimus voluminum bibliothecæ monasterii Spanhemensis ante hoc triennium, quando Henricus de Bunau eques auratus Ducum Saxoniæ doctissimus orator fuit nobiscum, quorum nullum fuit in loco tempore introitus nostri ad abbatiam. — In omni facultate scientiarum multa volumina comportavimus non solum impressa, sed etiam pergameno scripta complura, preciosa & rara, ut confidenter ausim dicere, in tota Germania similem non esse bibliothecam, in qua tot, rara & pervetusta, reperiantur volumina*

in



in omni varietate scripturarum tam divinarum quam secularium: diversarum quoque linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ. Taceo reliquas consulto, quæ nostris utuntur characteribus, ut Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ, ac similes. Scio enim, quod Græcorum voluminum scriptorum simul & impressorum numerus centenarium excedit, pro quibus ut curam habeas te vehementer oramus. Et siquidem venales sunt, pro nobis comparentur. Dabimus enim iustæ æstimationis precium, quod nemo alius daturus est, cum hodie sciamus neminem in omni provincia Rhenensium Græcarum literarum studiosum & doctum. Sin vero libri non sunt venales, quam optime sumus contenti, quatenus in suo loco permaneant. Tandem eadem bibliotheca cum ipsius fundatore merito iureque optimo prædicatur in fratris Theodorici, monachi Fuldensis, litteris i). Hæc omnia ex scriptis ipsius *Trithemii* fusius indicare voluimus, ut inde patescat, quanti bibliothecam suam æstimaverit, & quanti pretii illa fuerit ætate ipsius.

Ceterum hanc bibliothecam ubique terrarum quondam fuisse fama celebratissimam, hæc verba nos edocent: *Maximum librorum in omni facultate thesaurum Spanheimensi bibliothecæ per annos, quibus præfuit, importavit, non solum arte impressoria, sed etiam manuscriptorum. Nam quum essem apud eum unius anni spatio, pro discendis ab eo litteris Græcis atque Hebraicis, duo millia numeravi bibliothecæ volumina, quorum ad minus octoginta calamo in pergameno & papyro decenter fuerunt conscripta. Audivi sæpius ab eius ore, quod plus, quam duo millia florenorum pro libris exposuerit: quos non de monasterii substantia, quæ valde semper fuit exilis, acceperat: sed quum multis & notus & carus esset Principibus, munera, quibus honorabatur ab eis, ut plurimum pro libris exposuit. Maximus enim librorum amator & cultor supra omnes, quos ego novi hodie in carne viventes. Dicitur autem a multis, quod eius suc-*

i) Hæ litteræ ad *Trithemium* datæ ex Fulda d. 28. m. Aug. an. 1507. obviæ sunt in cit. epp. famil. lib. II. ep. 54. p. 566. seq.



ſucceſſor, qui nunc & Abbas in Spanheim, volumina plura alienaverit; quod an ſit verum, certe mihi minime conſtat k). Rurſus ita laudatur: *Abbatis Spanheimenſis bibliothecam literis antiquis, optimis rariſſimisque in omni literatura libris decoratam vidit Pellicanus* l). Nam in reditu a Francofurtenſium oppido *Conradus Pellicanus* ſe contulit ad Abbatem Sponhemienſem, nempe *Nicolaum* de *Remich*, antea Priorem in conventu, poſtmodum *Io. Trithemii*, qui iam Wirzburgum translatus erat, ſucceſſorem: ibidem, nimirum Sponhemii, vidit inſtructiſſimam & nobiliſſime decoratam bibliothecam; ſed ei non datum erat diu ibidem hærere m). Hanc bibliothecam, an. 1504 in bello Bavarico ſecuritatis gratia *Crucenacum* translatam fuiſſe, ſupra vidimus; ſed tandem eamdem inde *Heidelbergam* an. 1601. fuiſſe transportatam, eiusque bibliothecæ inſertam, nonnulli, neſcio qua fide nixi, ſtatuunt n).

§. XVIII.

Quibus paulo ſpecioſius ſpectatis, ſupereſt, ut reliquas nonnullas in tranſitu conſpiciamus *arces & pagos;* in quibus ſe noſtris ſiſtunt oculis:

1) *Villa montis S. Antonii*, Germ. *Antonsbergerhof*, ad præfecturam Beckelnhemienſem pertinens.

2) *Auen*

---

k) Sunt verba *Ioan. Duracluſii* in epiſt. ad *Nicol. Hamerium Emelanum*, polygraphiæ libris VI a *Trithemio* emiſſis, præfixa. Conf. *Iac. Burckhardus* de linguæ Lat. in Germania fatis, P. II. cap. IV. p. 361. ſeq.

l) Apud *Ioan. Lomeierum* in libro ſingulari de bibliothecis cap. VIII. p. m. 182. edit. II. auct. Vltraiecti an. 1680. 8.

m) Vid. *Melch. Adami* in vit. Germ. Theol. p. m. 279. ed. Francof. an. 1653. 8. mai; conf. quoque de hac biblioth. *Io. Gottfr. Olearius* in biblioth. ſcript. eccleſ. Tom. I. p. m. 410. & *Thom. Pope Blount* in Cenſura ſcript. celebr. p. m. 503.

n) Adi ſis *Zeilerum* l. d. *Kayſerum* cit. p. 160; & ampliſſ. Dn. C. C. *Wundium* in progr. de biblioth. Heidelb. p. 21.

2) *Auen* ſive *Auwen*, pagus, filia eccleſiæ Monzingenſis, a Mannhemio diſtans horas viginti o). Primum *Willicho* I, Abbas Sponhemienſis, familiæ Coppenſtenianæ, ſpeciatim *Ioanni* dynaſtæ, huius pagi, ad cœnobium Sponhem. pertinentis, advocatiam tamquam beneficium fiduciarium conceſſit p). Iam antea hancce villam *Adelbertus* ſeu *Albertus*, Comes Sponhemienſis, Abbati *Ruperto* pro opera, quam fideliſſime præſtitit, ex Palæſtina rediens, donavit. Quapropter inquit Abbas eruditiſſimus q): *Adelbertus, Comes Sponhem. de transmarinis partibus reverſus, multorum ſanctorum reliquias ad nos detulit; & Rupertum Abbatem, quem interea procuratorem ſuum deputaverat, multis xeniis donavit: per cuius munificentiam* Auwen *villulam, non longe a* Monzecha, *cum familia, terra, iurisdictione, iuſtitia, paſcuis, ſylvis, aquis, piſcationibus, venationibus, & omnibus proventibus ſeu attinentiis ſuis in ius & proprietatem huius monaſterii perpetuam donavit, cum Sculteto, Scabinis & optimatibus* r). In eadem villa iam anno 1044. cœnobium Sponh. habuit quatuor manſos, quos vocant, cum quarta parte s). Occurrit etiam Nobilis quidam *Hans von Auwen*, qui an. 1471. a FRIDERICO I, Elect. Palatino, captus fuit t). An. 1500. contentio inter Auenſes & Trithemium exorta u).

3) *Bingert*, alias *Bingart*, pagus dynaſtiæ Ebernburgenſis, a Mannhemio XVI horas diſſitus v).

4) *Bo-*

o) Kirchenverf. p. 50. & 125.

p) *Kremerus* in den diplom. Beitr. p. 320.

q) Nempe *Tritbemius* in chron. Sponh. ad an. MCCIII. p. m. 261.

r) Addatur *Kremerus* l. d. pag. 65.

s) *Tritbemius* l. c. pag. 237; cit. *Kremerus* p. 129; & ſupra §. XVII. p. 69.

t) Conf. *Kremerus* in der Geſch. Frid. I. El. lib. V. §. XI. p. 452. not. 9.

u) Teſte ipſo *Tritbemio* in chron. Sponh. p. 412.

v) Kirchenverf. p. 126. & ſcripta Ebernburg. polit. paſſim; quæ indicavimus ſupra §. VIII. p. 26. not. 9.



4) *Bockenavia*, Germ. *Bockenau*, pagus, olim dictus *Buckenau*, *Buggenaw* w), undeviginti horas a Mannhemio distat x). Ibi iam an. 1044. Sponhemiense cœnobium possedit duorum mansorum reditus y). A *Baldewino*, Archiepiscopo Trevirensi, hic pagus incendio deletur z).

5) *Bœckelhemium*, vel potius *Beckelnhemium*, arx, Germ. *Schloss-Beckelnheim*, ad nonum lapidem a Mannhemio sita. Veteribus in monumentis nomen eius diversimode scribitur, v. g. *Beccillenheim*, *Beckelenheim*, *Beckelnheim*, *Bickelnheim*, *Beggelenheim* a). Hocce castellum, a Gallis in fine seculi superioris eversum, tametsi suis hodie horret ruinis, dignum tamen omnino est, cuius cadaver attente contemplemur. Præter enim quam quod in vetustissimis harum regionum burgis seu propugnaculis exstitit, caput huius diœceseos semper habitum est; unde quoque eidem nomen indidit. In arcendis hostium iniuriis, in regionibus tuendis, si quod aliud aptum esset, nostrum, tamquam ipsa natura & operum molitione firmissimum, curæ Burggravii, qui illustri genere spectataque in rebus bellicis sollertia plerumque vigebat, curæque nobilium defensorum, quos prisci dicebant *castrenses*, fuit concreditum. Ceterum etiam in veteri historia, non plane nullius est nominis. Castrum enim id ipsum est, ubi HENRICVS V, Cæsar, patrem HENRICVM IV, Imperatorem, quem ausu nefario deiicere solio, quid? imperio exuere, pertinacissimo proposito conceperat, anno MCV ipsis sacratissimis

w) Apud *Tritbemium* l. d. pag. 247.

x) Kirchenverf. p. 127 & 19.

y) Idem *Tritbemius* l. c. pag. 237. coll. 244. *Kremerus* in den Beitr. p. 12. supra §. XVII. p. 69.

z) Cit. *Tritbemius* ad an. 1334. p. 312. seqq. nec non *Kremerus* l. c. pag. 299. not. 264.

a) Huius arcis mentionem fecit celeb. *Georg. Christi. Crollius* in origg. Bipont. P. I. p. 444. seq.

mis CHRISTI feriis natalitiis inſtantibus, impia fraudulentaque ratione circumventum, aliquot dies in cuſtodia, eaque ſatis admodum arcta, habuit b). Inſuper ex litteris *Adelberti* I, Archiepiſcopi Moguntini, an. MCXXVIII datis, diſcimus, non modo *Beckelnhemium* noſtrum, pagi Navenſis caſtrum, quod poſtmodum cum univerſa Ducum hereditate ad familiam auguſtam Spirenſem pervenit, ſedem præbuiſſe *Conrado*, Duci Francorum, qui inde quoque cognominatus fuit *Cuno* (Conradus) de *Beckilnheim*, ſed ipſum etiam primum in matrimonio habuiſſe *Iuttam*, ex eaque genuiſſe filiam *Utam*, *Beckelnhemii* mortuam. c). An. 1278, *Henricus*, Comes Sponhemienſis, caſtellum ſuum *Bickelnheim*, *cum omnibus ad ipſum pertinentibus*, *Wernhero*, *Archiepiſcopo Mogunt. vendidit in perpetuum ius eccleſiæ memoratæ Mogunt. pro* 1400 *marcis denariorum Aquenſium. Quæ venditio Ioanni*, *Com. Spanhem. Henrici germano*, *usque adeo diſplicuit*, *quod non diu poſtea*, *licet cum damno ſuo non modico*, *bellum* Archiepiſcopo indixit d). Caſtrum & villam *Beckelnhemium* an. 1461, in ſchiſmate Moguntino, iure belli FRIDERICVS I, Elector Palatinus, ſibi vindicat e). An. 1462, *Adolfus* Epiſcopus idem caſtellum *Ludovico*, Duci Veldentino, tradit f). In bello contra Ducem *Ludovicum* rurſus ab eodem FRIDERICO, nimirum d. XXIV Aug. an. 1471 expugnatur. Hinc Abbas inquit g): *Caſtellum poſthæc* Bickelnheim *& utramquè*

 eius-

b) Vid. Annaliſta Saxo ad an. MCV. col. 607. & auctor annalium Hildeshem. Tom. I. ſcriptorum ill. *Leibnitii* apud *I. P. Crollium* de Beckelnh. p. 5. ſeqq. ibique in notis.

c) Conf. celeb. *G. C. Crollius* de Ducatu Franciæ Rhenenſis, in act. acad. Theod. Pal. Tom. III. pag. 425. & *Kremerus* paſſim in dem Rhein. Franzien.

d) Hæc ſunt verba *Trithemii* in annal. Hirſaug. Tom. II. p. 34.

e) *Trithemius* de rebus geſtis Friderici I. p. m. 30. ed. Reinh.

f) Apud *Kremerum* in der Geſch. Frid: I. El. Pal. lib. III. §. 20. p. 251.

g) *Trithemius* l. d. pag. 70.

eiusdem nominis villam, obsedit, expugnavit & cepit. Erat in ipso castello ex parte LVDOVICI *Ducis capitaneus seu vicem tenens, homo quidam patria Ringaugiensis, nomine* Conradus Schlarpp *ex Gisenheim oriundus, qui castrum custodiendum susceperat. Verum posteaquam Ducis sui auxilium implorasset, expectassetque aliquandiu, & nullum penitus adveniret; castrum in manus Palatini tradidit, & ipse cum his, quos secum habuit, peditibus, quo vellet, liber abire permissus fuit* h). Idem castellum iis in locis erat, quæ laudatus FRIDERICUS, Elector, a Palatinatu disiungi noluit i). Quod reliquum est, de hoc castro nobis egregia suppeditat Vir in re diplomatica versatissimus, nunc ἐν ἁγίοις k).

6) *Beckelnhemium*, villa, Germ. *Thal - Beckelnheim* & *Dorf - Beckelnheim* dicta. Si ad castrum modo commemoratum pedem referimus, infra ad radicem montis, cui castrum impositum est, ista nobis subit villula, paucorum quidem tectorum, veteris tamen ævi.

7) Ab hac villa, si paulo ad septemtriones progredimur, eam inter & cœnobium Sponhemiense iacet *Wald - Beckelnheim*, pagus, laxiore circumscriptus termino, fossa valloque an. MDIV iam cinctus; ita sane vetus; nec tamen prorsum obscurus; quin nec temporibus nostris plane ignobilis. *Wald-Beckelnheim* autem nuncupatur, ut a vico tractus Alceiani cognomine, nempe *Gaubeckelnheim*, discernatur. De utroque tum castello tum pago *Beckelnheim* alibi etiam occurrit mentio l). Eiusdem pagi parœcia non plane nullius claruit nomi-

---

h) Addantur *Kremerus* modo cit. lib. V. p. 467, *Hachenbergius* de rebus gestis Friderici I. Palat. lib. VII. p. 211. & *Tolnerus* in hist. Palat. cap. II. p. 74.

i) Teste *Kremero* in der Gesch. Frid. I, & quidem in cod. diplom. num. CLXVIII. p. 456.

k) Idem b. *Kremerus* in den diplom. Beitr. p. 125. seqq.

l) Apud eumdem *Kremerum* in cit. hist. eiusdem Elect. in cod. dipl. cit. num.

nominis. Curiæ enim Archipresbyteri subfuit. Quod ne quis in dubium vocet, operæ pretium erit inspicere tabulas *Gerhardi* II, Archiepiscopi Moguntini, an. MCCXCIX editas, quippe in quibus *Godefridus Archipresbyter in Beckelnheim* nominatim occurrit. A *Gerlaco*, Archiepiscopo Moguntino, Canonicis & Vicariis ecclesiæ Moguntinensis ob damna, quæ per ea tempora passi erant, an. 1351. in perpetuum fuit attributa m).

8) *Boos*, olim *Boys*, *Bois* & *Bus*, villa, minorem ad præfecturam pertinens, a Mannhemio undeviginti horas distans n), fluvioque Navæ adposita, vel haud procul a confluentibus Navæ Glanique sita, & quidem in via, qua Staudernhemio Beckelnhemium itur. Est multæ ætatis, & *Willigisi*, Archiepiscopi Moguntini, temporibus iam nota o). Hancce villam iure belli suam fecit FRIDERICVS I Palatinus p). Etiamnum ab eadem villa nomen habet gens *Boosiorum* illustrissima q).

9) *Bosenheim*, *Bossenheim*, olim *Basinheim*, pagus cis Navam, a *Crucenaco* haud longe, sed a Mannhemio septem milliaria dissitus r). Ibi cœnobium Sponhemiense varios iam an. 1044. habuit reditus, nempe mansum & sex iugera s), speciatim vero curtem vel aulam, quam an. 1325. Comites

num. CLXVIII. p. 456; in der Verordnung Frid. I. de anno 1472; subiungatur idem in den diplom. Beitr. p. 270. & 298.

m) Teste *I. Ph. Crollio* in cit. orat. p. 16 & 17. not. *; ubi plura exhibentur, aliorumque, præsertim *Zeileri*, notantur errores.

n) Kirchenverf. p. 127.

o) Vid. *Crollius* l. d. pag. 18. not. ***

p) Conf. *Hachenbergius* & *Tolnerus* locis cit.

q) Ita animadvertit *G. C. Crollius* in origg. Bipont. P. II. p. 240.

r) Kirchenverf. p. 19 & 127.

s) Apud *Tritbemium* in chron. Sponh. pag. 237. & *Kremerum* Beitr. p. 12.



Sponhemienses dono dederunt monasterio t). *Anno* 1504, inquit Abbas u), *curtis nostra* (cœnobii Sponhem.) *in Bosenheim incendio funditus periit, census & reditus nostri, frumentorum maxime, pro maiori parte vel ab hostibus* (Hassis) *consumpti sunt, vel propter maliciam temporum hominumque iu usus nostros minime pervenerunt. Omnia enim, per quæ vivere debueramus, rei familiaris commoda perierunt.*

10) *Villa S. Catharinæ, St. Catharinen-hof*, spectat ad Crucenacensem præfecturam, cuius reditus recipit Administratio ecclesiastica v).

11) *Cœnobii villa, Kloster-hof*, duodeviginti horas a Mannhemio distans, ad minorem præfecturam pertinet w).

12) *Ebernburgum*, præfecturæ Crucenacensis cis Navam castellum, a Mannhemio quindecim horas dissitum x). Fuit olim Dynastis de *Sickingen* oppignoratum, sed tamen ante paucos annos rediit ad Serenissimos Principes Electorem Palatinum & Marchionem Badensem y). Quondam iis adnumeratum locis, quæ a Palatinatu noluit alienari FRIDERICVS I Elector z). Hoc castellum ab aliis quoque laudatur a). Non iniustas de re ecclesiastica querelas contra Nobiles L. B. de *Sickingen* haud ita pridem iactarunt Evangelico Lutherani b).

13) *Feyl*

---

t) Vid. *Trithemius* l. d. ad hunc annum, p. 308, & *Kremerus* l. c. p. 290.

u) Nempe *Trithemius* in cit. chron. p. 422.

v) Kirchenverf. p. 129.

w) Kirchenverf. l. d.

x) Ibidem p. 131.

y) Legantur Ebernburgensia scripta politica cit. passim.

z) Conf. *Kremerus* in der Gesch. Frid. I. in cod. dipl. num CLXVIII. ad an 1472. p. 456..

a) Apud *I. H. Diccium* in descript. circ. Rhen. infer. p. 480.

b) Qua de re *Io. Ge. Keiflinus* libellum Germ. edidit, cui titulus: Gemitus pressorum in Baronia Sickingensi Evangelico-Lutheranorum &c. 1710. fol.

13) *Feyl* cum modo dicto *Bingert* pagus est Ebernburgensis dynastiæ, remotus a Mannhemio sexdecim horas c). De utroque passim agitur d). Hic loci, nimirum in pago *Feyl*, & quidem in veteri fodina reperiuntur lithantraces e).

14) *Frey-Laubersheim*, pagus cis Navam, ad Crucenacensem archisatrapiam eiusque ephoriam ecclesiasticam pertinens, abest a Mannhemio septem milliaria f).

15) *Genzingen*, alias *Gænsingen*, *Gænzingen*, antiquitus *Gantsingen* g), pagus, a Mannhemio septimum ad lapidem dissitus h). *Genzingas* marca cum Binga memoratur in LVDOVICI *Germanici* diplomate Prumiensi, anno XXXVII. regni sui Triburiæ dato i). Hic pagus olim etiam, & quidem iam anno CCCCXCVI. adnumerabatur pago Navensi k). Anno 1137. quidam Nobilis de Sponheim *Vdo* bona sua omnia, quæ in pago *Genzingen* habuit, monasterio Sponhem. donavit. Hinc hæc legimus: Anno MCXXXVIII *quidam nobilis de Sponheim, cognatus Bernhelmi Abbatis, una cum uxore sua nomine Iuditha pro remedio animæ suæ huic monasterio contradedit omne patrimonium suum, quod in Bockenaw & in* Genzingen *habuit, ecclesiam videlicet cum decimationibus & omnibus appendicibus suis, mancipiis, agris, vineis, sylvis, cultis & incultis, pascuis, pratis, molendinis, piscationibus, aquis, aquarumque*

c) Kirchenverf. p. 134.

d) In cit. scriptis Ebernburg.

e) Quod etiam nuperrime observavit ven. & celeb. noster *Ioan. Schwab* in diss. de phlogistis p. 48.

f) Kirchenverf. p. 135 & 19.

g) Vid. *Freberus* in origg. Palat. lib. II. cap. XI. p. m. 315.

h) In cit. Kirchenverf. p. 20 & 136.

i) Adi ampliss. *Andr. Lameium* in descript. pagi Worm. in act. acad. Theod. Palat. Tom. I. p. 273.

k) Conf. ill. de *Gudenus* in cod. dipl. T. II. p. 799. apud *Kremerum* in der Gesch. des Rhein. Franziens p. 148.

rumque decursibus, ad altare S. Martini in hoc cœnobio in Sponheim, coram multis testibus l). *Hac autem solenni donatione facta* — —, *Abbas Bernhelmus oblatorum bonorum possessionem in Buckenaw & Gentzingen pacifice adeptus est: ex quibus ecclesiam in Gentzingen cum decimationibus post annos* CXXXVIII *Petrus huius loci Abbas Canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ in perpetuum contulit in augmentum præbendarum suarum* m). Postmodum an. 1256. ecclesiam Genzingensem sibi postularunt Canonici Moguntini; sed *Ioannes*, Sponh. Abbas, huic petitioni vehementer obstitit. Nam *Gerardus, Episcopus Moguntinus, una cum Canonicis* Capituli *sui Abbatem Iohannem & conventum huius monasterii non parum molestantes, precibus & minis solicitarunt pro ecclesia in Gentzingen, quam omnibus modis in augmentum præbendarum cupiebant. Sed Iohannes Abbas consentire noluit, & tam minas quam preces eorum constanti animo contemsit. Verum post mortem eius tandem Petrus Abbas ipsam ecclesiam petentibus donavit* n). Anno 1331. die x Martii curia, quam Sponh. cœnobium in pago *Genzingen* tenuit, ab omnibus oneribus libera declaratur & immunis. Quapropter Abbas o) scribit: *Anno Willichonis abbatis nostri* XXII. *Iohannes Comes generosus de Sponheim ad instantiam Willichonis — curiam nostram in Gentzingen, & omnia bona ibidem, ad præsens monasterium pertinentia, ab omni servitio, precaria exactione, & quovis gravamine in perpetuum liberavit, pro se & cunctis hæredibus suis, cum consensu Simonis fratris sui, & Walrami filii eius, &c.* p).

Serenissimus Elector Palatinus CAROLVS LVDOVICVS de iure Wildfangiatus exercendo varias easque gravissimas

---

l) Sunt verba *Tritbemii* in chron. Sponh. p. 244.

m) Ibidem; ubi & litteræ *Adelberti*, Archiepiscopi Mogunt. quibus hancce donationem confirmavit, sunt obviæ.

n) Sic legimus apud eumdem *Tritbemium* l. d. pag. 282; conf. p. 285.

o) Idem *Tritbemius* l. c. pag. 311.

p) Addatur *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 292.

mas subiit tempestates. Nam eam ob rationem sibi vicinorum suorum invidiam odiumque conflavit. Inter alios Dux Lotharingiæ, qui tunc Comitatum Falckenstenianum, in Palatinatus complexu situm, obtinebat, vi armisque sese postulationibus Palatinis opposuit, exercitum per pagum Hunnorum ad Navam mittens; utpote cui obviam quidem ivit Elector, sed tamen, prælio apud pagum *Genzigen* inter Bingam & *Crucenacum* d. XXVI Sept. an. 1668. commisso, hostibus dare locum, atque Alceiam remigrare coactus fuit. Qua occasione memorabilis accidit casus, & quidem in damnum imprudentis hospitæ Weinhemiensis, diversorium ad *aurei hirci* signum incolentis; cuius rei apographum ex originali iam exhibuimus q). Quod vero post septem mensium decursum tamquam quidpiam novi repetebatur r).

16) *Gutenberg*, al. *Guttenberg* & *Gudenberg*, pagus pone *Crucenacum*, a Mannhemio distans novem milliaribus s); qui vero bene distinguendus est a castro Palat. Rheni *Gutenfels* iuxta Cubam t); nec confundendus cum *Gutenberga* in Ducatu Bipontino u).

17) *Hackenheim*, pagus cis Navam, a Mannhemio quatuordecim horas dissitus; est ecclesiæ reform. Bosenhemiensis filia v).

18) *Hah-*

q) Videlicet d. 22. Sept. an. 1779. in Weinhemio Palat. illustr. §. IX. p. 22. & 23.

r) Nimirum in den Rhein. Beitr. zur Gelehrsamkeit, V. Heft. d. 1. Wonnemonat 1780. num. V. Besondere Bestrafung unnüzer Worte im Iahre 1669.

s) Kirchenverf. p. 139. & 20.

t) Vid. *Tolnerus* cap. II. p. 62; nos in *Baccharaco* §. XVI. p. 28; quod castrum a nonnullis perperam vocatur *Gutenberg*.

u) Vid. *Finsterwald* l. d. pag. 187. 196. 662. seq. 737. 837. 862. 864. & 877.

v) Kirchenverf. p. 139 & 19.



18) *Hahnerhof*, præfecturæ Beckelnhemienſis locus, a Mannhemio novem milliaribus disiunctus w).

19) *Hallgarten*, itidem eiusdem præfecturæ locus, ab oppido dicto diſſitus ſedecim horas x).

20) *Hargesheim*, pagus, a Mannhemio quindecim horis remotus, cuius eccleſia filia eſt eccleſiæ Roxhemienſis y). Occurrit etiam alius viculus *Hargesheim* nominatus z).

21) *Heddorterhof*, ditionis eſt Odernhemienſis ad Glanum, ad decimum lapidem a Mannhemio diſtans a).

22) *Heimbergerhof*, præfecturæ Beckelnhemienſis; huius villæ longinquitas a Mannhemio eſt duodeviginti horarum b).

23) *Hochſtatten*, viculus pariter eamdem ad præfecturam pertinens, ſitus a dicta metropoli ſedecim horas c).

24) *Langenlonsheim*, antiquitus quoque ſimpliciter *Lonsheim*, ſed haud ſatis accurate, egregius omnino & peramœnus ultra Navam *Crucenacum* inter & Bingium pagus, a Mannhemio ſeptimum ad lapidem remotus, in eccleſiaſticis ad ephoriam Crucenacenſem pertinet d). Olim quoque nomen ipſius erat *Longiſtheim* e). Merito adſcribitur pago Navenſi; hinc legimus: *in pago Nahgowe in Longiſtheimer marca* f). Anno 1454. FRIDERICVS I, Elector Palatinus, ab *Agneſa* Iſen-

---

w) Ibidem p. 139.

x) Ibidem.

y) Ibidem p. 139 & 20.

z) Apud *Kremerum* in der Geſch. des Rhein. Franziens p. 151.

a) Kirchenverf. p. 140.

b) Ibidem p. 141.

c) Ibid. p. 142.

d) Ibidem p. 148 & 20.

e) Vid. *Freherus* in origg. Palat. lib. II. cap. XI. p. m. 315.

f) In cod. Laurish. Tom. I. num 2014. p. 357. apud *Kremerum* in dem Rhein. Franzien p. 148.

Isenburgensi, undecim mille Virginum abbatiæ Coloniensis magistra, præter alia emit pagum Engelstadium, in ipso pago (auf dem Gau) iacentem, cum cœnobii clientibus in hac regione, eiusque cœnobii reditibus in *Langenlonsheim* &c. g). Ceterum pagus noster nequaquam confundendus cum villa *Laonisheim*, *Lonesheim*, *Lonsheim*, infra in *Aribimesheim*, olim ad pagum Wormatiensem, nunc ad archisatrapiam Alceianam spectante; utpote in traditione Willeradis anno XXIV Karoli regis, cum Brunheim & Heimradesheim, finitimis locis commemoratur h).

25) *Langenthal*, viculus, a Mannhemio decem milliaribus circiter dissitus, licet templum habeat, ecclesia tamen est filia matris Monzingensis i). Supra Monzingam positus, huic quoque oppido contributus est. Idem iam occurrit in ADOLPHI *Simplicis*, Comitis Palat. ad Rhenum, tabulis, quibus anno 1322. *Ioanni*, Comiti silvestri, potestatem fecit, *Margaretæ* coniugi dotalitium scilicet prædium (Leibgeding) in possessionibus Monzingensibus & Langenthalensibus (*uf alle dem Gute und Luden, die er hat in den dorffern zu* Montzgen *und zu* Langenthal) constituendi. Eas tabulas alibi iam in scenam productas legimus k).

26) *Merxheim*, alias *Merixheim*, *Mertzheim*, villa, quam nonnulli l) diœcesi Beckelnhemiensi etiam adnumerant: procul omni dubio sequuti, quemadmodum adparet, inclytum illum Abbatem Sponhemiensem; quippe qui m) hancce

 villam,

g) Conf. *Tolnerus* in addit. & *Kremerus* in der Gesch. Frid. I. lib. VI. §. LX. p. 648.

h) In act. acad. Theod. Palat. Tom. I. p. 277.

i) Kirchenverf. p. 20 & 148.

k) Apud. celeb. *Ioannis* in addendis ad lib. IV. historiæ Palat. *Parei* sect. II. §. I. p. 614. seq. conf. *Crollius* in cit. orat. p. 18.

l) V. gr. *Zeilerus* in topogr. Palat. Rh. &c. p. 8. & *Tolnerus* in hist. Pal. cap. II. p. 74.

m) In annal. Hirsaug. ad an. 1471. p. 475.



villam, in Comitatu Sponhem. ſitam, una cum ceteris huius præfecturæ locis, a *Wernhero*, Archiepiſcopo Moguntinenſi, emtam eſſe ſcribit. Quem tamen hac in re falli, non eſt, quod dubitemus. In hanc autem nos opinionem deducit, quod in *Ludovici Nigri* Bipontini tabulis, an. 1472. editis, in quibus diœceſis huius, quam acceperat pignori, loca ſignate & ordinatim enumerantur, villa noſtra haud perinde, ut reliqua (Sobernheim ſcilicet, Monzingen, Beckelnheim, Nuſſbaum) occurrat. Accedit, quod ipſa n) anno 1504. iuris fuerit immediati, *Suidegeri* de *Sickingen*, Equitis aurati, nec non *Ioannis* de *Hohenſtein* o). Anno 1471. a FRIDERICO I, Electore, occupatur. Proinde hiſtoricus ſæpe laudatus p): *A Sobernheim movit exercitum ad Montzegen oppidum: quod brevi una cum* Merixheim *& Nosbaum in villis munitis in ſuam poteſtatem accepit: quæ ſimiliter fuerunt iuris eccleſiæ Moguntinæ &c.* q). Quemadmodum olim ad Ducatum Simmerenſem ſpectavit r), ſic hodie ſubeſt archiſatrapiæ Simmerenſi.

27) *Niederhauſen*, pagus, a Mannhemio novem milliaria remotus, in rebus eccleſiaſticis ſubiectus ephoriæ Sobernhemienſi s). Proprius olim fuit veteribus Veldentiæ Comitibus t). Deinceps iure hereditatis ad Duces pervenit Bipontinos. Tandem, commutatis nonnullis locis, ante annos aliquot Sereniſſimo & Potentiſſimo noſtro Electori traditur, præfecturæ Beckelnhemienſi tunc temporis inſertus.

28) *Nor-*

---

n) Ex ipſius *Trithemii* teſtimonio l. d. annal. Hirſaug. p, 611.

o) Lege ſis *Crollium* in cit. orat. p. 20. not.

p) Nempe *Trithemius* de rebus geſt. Frid. I. p. 70.

q) Addatur *Hachenbergius* l. d. lib. VII. p. 211.

r) Apud *Tolnerum* l. c.

s) Kirchenverf. p. 156 & 50.

t) Sic legimus in cit. act. acad. Tom. II. p. 245.



28) *Norheim*, olim *Naarheim*, & *Narheim*, pagus Ebernburgensis dynastiæ u), a Mannhemio sedecim horas dissitus v); utpote cuius in diplomate HENRICI II, Imperatoris, de sex mille DCLVI mansis abbatiæ S. Maximini, in beneficio acceptis anno MXXXIII, iam mentio iniicitur w). Antiquitus etiam ad pagum Navensem spectavit. Sic namque legimus: *In pago Nahgowe in Naarheimer-marca* x).

29) *Nussbaum*, antiquitus *Nossbaum*, similiter *Nussbach*, pagus ad minorem præfecturam Beckelnhemiensem, in ecclesiasticis autem ad paræciam Monzingensem pertinens, a Mannhemio horas distans duodeviginti y), situs austrum versus Sobernhemium inter & Monzingam; sed a Nava paulo remotior. Ceterum hancce villam iam anno 1277, eidem minori præfecturæ insertam fuisse novimus z). Eadem villa ab *Adolfo*, Archiepiscopo Moguntino, fuit an. 1461 oppignorata LVDOVICO *Nigro* Bipontino a). Deinceps vero belli iure sibimet ipsam adquisivit FRIDERICVS I, Elector Palatinus, anno 1471 b). Postmodum an. 1504 consumitur incendio c). Quod reliquum est, hæc villa nomen quondam præbuit Nobilibus nonnullis: e quibus *Emicho*, miles, nec non *Philippus* fratres de *Nussbaum* an. 1305 transegerunt cum

 D. Disi-

u) Conf. die Staatsschriften wegen der Herrschaft *Ebernburg*.

v) Kirchenverf. p. 157.

w) Vid. acta acad. Palat. Tom. III. hist. p. 105.

x) In cod. Laurishem. T. II. num. 2006. p. 355. testante *Kremero* in dem Rh. Franzien, p. 149.

y) Kirchenverf. p. 50 & 157.

z) Apud cit. *Kremerum* in den dipl. Beitr. p. 151 & 218.

a) Lege sis *Trithemium* de rebus gestis Frid. I. p. 30.

b) Conf. idem l. d. pag. 70. & in annal. Hirsaug. T. II. p. 475; *Hachenbergius* l. c; *Tolnerus* hist. cap. II. p. 74; & *Kremerus* in der Gesch. Frid. I. lib. V. §. XVI. p. 467.

c) *Trithemius* in ann. Hirsaug. l. d. p. 609.

D. Disibodi cœnobio, super xx medimnis siliginis, ab eo coëmtis d).

30) *Oberhilbersheim,* cis Navam, pagus, a Mannhemio ad septimum remotus lapidem, licet filia sit ecclesiæ reform. Engelstadiensis sub ephoria Strombergensi, pertinet tamen ad archisatrapiam Crucenacensem e). Moguntinum S. crucis capitulum FRIDERICO III, Septemviro, decimas, quas in isto pago habuit, cessit f).

31) *Odernhemium* ad *Glanum*, Germ. *Glan-Odernheim*, ita dictum, quoniam Glano fluvio adiacet, a Mannhemio distans viginti horas. Vocatur etiam apud nonnullos scriptores *Cotirodurum*, *Dreckodernheim.* Hunc locum veteres Veldentini Comites tamquam feudum, ab ecclesia Moguntina acceptum, possederunt g). Quibus autem ex locis Veldentinæ regiones constiterint, clarissime liquet ex hereditariæ successionis ordinatione, quam ultimus Comes Veldentinus haud pridem ante decessum suum, nempe die Mercurii ante diem festum S. Lamprechti episcopi, cum genero suo an. 1444 compactus est, & quidem in solida illa deductione h). Anno 1471. d. XXIII Aug. idem *Odernhemium* sese propter vim armorum

---

d) Sic videre est in diplomatario Disibod. num. 43. p. 188. apud *Crollium* in cit. orat. p. 18.

e) Kirchenverf. p. 158. & 51.

f) Vid. *Clingensporgius* in design. bonorum eccles. usui seculari restitutorum &c. ad an. 1567.

g) Conf. cit. acta acad. Pal. Tom. II. p. 245.

h) In der gründlichen Deduction des Ihro Kurfürstl. Durchl. zu Pfalz auf die eventuelle Succession in das Herzogthum Zweibrücken zustehende Primogenitur &c. in den Beilagen num. XXIV. p. 65. seqq. & in statu caussæ &c. P. III. n. XXVII. p. 54. apud *Kremerum* in der Gesch. Frid. I. lib. I. §. X. p. 21. in not; ubi etiam Odernhemium nostrum occurrit.

morum tradidit FRIDERICO I, Electori Palatino i). Anno 1504. a Palatinis capitur k). Idem oppidulum adhuc ante aliquot annos ad Ducatum pertinuit Bipontinum, sed per locorum quorundam immutationem ad Palatinatum nostrum pervenit, præfecturæ Beckelnhemiensi additum, eiusque ecclesia reform. subiecta fuit ephoriæ Sobernhemiensi l).

32) *Oberstreit*, viculus præfecturæ minoris Beckelnhemiensis, a Mannhemio dissitus novem milliaria m).

33) *Planich*, alias *Planig*, *Blenig* & *Bleinich*, pagus a planitie sic nominatus, cis Navam, a Mannhemio remotus quindecim horas, sed unicam dumtaxat a Crucenaco, ad cuius maiorem præfecturam quoque spectat. Idem pagus, ineunte seculo octavo, cum aliis locis, ad dextram Navæ ripam iacentibus, ad pagum Wormatiensem pertinebat n); sed pago deinceps adnumerabatur Navensi o). Anno 1348. Sponhemiense monasterium ibidem sibi curiam adquisivit. Nam *Wilhelmus*, *Abbas monasterii* p), *curtim*, *quam habemus in* Blenich, *cum omnibus attinentiis suis*, *agris*, *vineis*, *pratis*, *hortis*, *pascuis & domibus comparavit pro certa summa pecuniarum a* Clementia, Tilmanni *militis relicta vidua*, *consentiente* Georgio de Sawelnheim *genero eius*, *pro se & cunctis hæredibus suis*, *ut patet in literis consensus eiusdem desuper confectis*, *quarum datum est anno Domini* MCCCXLVIII, *in diebus Felicis & Adaucti martyrum.* Idem cœnobium ibidem varia quondam bona habuit q).

34) *Praun-*

i) Teste eodem *Kremero* l. d. lib. V. §. XVI. p. 467. atque in not. 4.

k) Apud *Trithemium* in ann. Hirsaug. T. II. p. 612; in chron. Sponh. p. 421; descript. circ. Rh. inf. p. 530.

l) Vid. die æusserl. Kirchenv. p. 50.

m) Ibid. p. 159.

n) Vid. *Kremerus* in dem Rhein. Franzien p. 147.

o) Ibidem p. 148. atque in den diplom. Beitr. p. 140.

p) Sunt verba *Trithemii* in chron. Sponh. p. m. 320.

q) Apud eumdem ibid. p. 356.



34) *Praunweiler*, ultra Navam, eſt parœciæ Bockenavienſis, ſed Crucenacenſis ephoriæ.

35) *Riedesheim*, alias *Rüdesheim* & *Rittesheim*, pariter ultra Navam pagus, a Mannhemio octo milliaria diſſitus, cuius Eccleſia eſt Weinshemienſis eccleſiæ filia. Hic locus, a Rüdeshemio in pago Rhenenſi e regione Bingii bene diſcernendus, ab Archiepiſcopo Moguntino deletur incendio r). Paſſim invenitur mentio variorum Dominorum de *Rüdesheim*, v. gr. *Dietheri* an. 1455 s); *Philippi* an. 1456 t); *Dieterici* an. 1460 u); *Reinfridi* & *Friderici* ſenioris an. 1471 v); *Bromſeri* de *Rüdesheim* & *Rudolfi* de *Rüdesheim* an. 1461 & 1462 w).

36) *Rotherhof*, a Mannhemio ad nonum lapidem diſtans, hodiedum eſt præfecturæ Beckelnhemienſis.

37) *Roxheim*, pagus, in ſiniſtra parte Navæ, qui a Mannhemio ſeiunctus quindecim horas, cuius eccleſia pertinet ad Inſpectionem Crucenacenſem. Pagus noſter ab altero *Roxhemio*, quondam *Roccheshiem* in pago Wormatienſi, cautiſſime diſtinguendus eſt x). Hic loci non omittendus eſt adverſæ fortunæ caſus, quo agitatus fuit Paſtor Roxhemienſis, nomine *David*. Quæ hiſtoria ſequenti modo narratur: *Eodem anno* (1241) *David Paſtor eccleſiæ parochialis in* Roxheim *Moguntinæ diœceſis, haud procul a memorato oppido* Crüzenach, *a ruſticis villæ* Sommerloch *prope* Waldenhauſen *curæ ſuæ commiſſis parochianis crudeliter occiſus eſt: propter quod a Sifrido*

r) Conf. *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 289.

s) Idem *Kremerus* in cod. diplom. hiſt. Frid. I. El. Pal. p. 118.

t) Ibidem p. 143.

u) Ibidem p. 199.

v) Rurſus ibid. p. 441.

w) Idem in der Geſch. Frid. I. lib. III. §. VI. p. 218. & lib. IV. §. VI. p. 326.

x) Vid. acta acad. Theod. Pal. T. I. p. 245.

frido Archiepiſcopo Moguntino fuerunt excommunicati, anathematizati ac maledicti: graviſſimasque impietatis ſuæ pœnas acceperunt: omnes enim, qui conſcientias ſuas contagione tanti ſceleris polluerunt, mala morte in brevi ſublati ſunt: quorum alii comprehenſi & rotati: alii per fugam lapſi male interierunt y).

38) *Mons S. Antonii, St. Antonigberg*, villa quidem ſupremæ præfecturæ Crucenacenſis, ſed oppiduli Odernhemii iudicio ſubdita, a Mannhemio ad decimum lapidem diſſita.

39) *Staudernheim*, pagus, a dicta metropoli duodeviginti horas remotus, ad præfecturam Beckelnhemienſem pertinet, & quidem ſitus in via, qua a pago *Bois* itur Beckelnhemium. Hæc villa ex altera parte Palatini iuris eſt, ſed ex altera quondam fuit in Dominorum de *Eltz* ditione; deinceps vero, ſaltim anno 1732, ſuberat imperio familiæ illuſtris de *Steincallenfels*; quippe quæ ipſam ab *Albertina Agnete*, Principe Arauſionenſi, *Wilhelmi Friderici*, Principis Naſſovio-Diezenſis, coniuge, herede ſororis *Mariæ*, *Ludovici Henrici* Ducis Simmerenſis, qui partem hancce ſibimet adquiſiverat, viduæ, numerata redemit pecunia. Quod dum refero, non poſſum, quin ſimul arguam nonnullos z), quod villam iſtam vocaverint *arcem*. Id namque nominis nec umquam habuit illa, nec ullo modo, cum & villa tantummodo ſemper fuerit, atque etiamnum ſit, nulla, quod ſciam, arce umquam inſtructa, meretur a). Ceterum pago Navenſi iam olim adſcriptam fuiſſe, conſtat b).

40) *Steinharterhof*, pariter cum præcedenti *Staudernhemio* ad minorem præfecturam ſpectat, pariterque ad nonum lapidem a Mannhemio diſtat c).

14) *Tres-*

---

y) Apud *Trithemium* in annal. Hirſaug. T. I. p. 574. ſeq.

z) V. gr. *Tolnerum* in hiſt. Pal. cap. II. p. 74; aliosque eum ſequutos.

a) Conf. *Crollius* in cit. orat. p. 18. ſeq. in not.

b) Teſte *Kremero* in dem Rhein. Franzien p. 149.

c) Vid. æuſſerl. Kirchenverf. p. 143.

41) *Treyszen*, alias *Dreyſſen* & *Dreiſen*, villa a ſæpius laudata metropoli ſexdecim horas diſſita, pertinet ad parochiam Weinshemienſem, adeoque ad Crucenacenſem ephoriam d). Hic monendum eſt, eamdem villam cum *Dreiſſa* monaſterio & cum *Dreiſa* ad Moſellam minime confundendam eſſe.

42) *Weinsheim*, alias *Weimbsheim*, olim *Winnesheim*, *Weinesheim* & *Winsheim*, pagus ultra Navam, a Mannhemio novem milliaria remotus, cuius parochia reform. ephoriæ Crucenacenſi ſubdita e). Hic, ab aliis eiusdem nominis bene diſcernendus, proprie ad Beckelnhemienſem ſpectat præfecturam. Eumdem præter alia loca iam anno 1277. fuiſſe *Henrico* iuniori, Sponhemienſi Comiti, tributum, novimus f). Anno 1334. a *Baldewino*, (Balduino,) Archiepiſcopo Trevirenſi, turpiter incendio conſumitur g). Iam ante annum 1432. cœnobium Sponhemienſe duas in pago *Weinheim* curtes habuit. *Bernhardi*, monaſterii Sponh. Abbatis decimi octavi, verba, quibus, paulo ante mortem ſuam, totum cœnobii conventum adloquutus eſt, omnino digniſſima ſunt, quæ hic loci repetantur: *Interim committo vobis, quatenus curtes illas duas in* Winsheim, *quarum alteram precio comparavi, alteram a fratris mei filio iudiciario edicto conquiſivi, poſt mortem meam ab iniuſtis poſſeſſoribus quantotius repetatis. Quod ſi ille de Coppenſtein ſe ius aliquod in eis habere prætenderit, noveritis allegationem eius eſſe falſam: ego enim, — in illa diſcordia, quæ fuit inter me & vos ante hoc ferme quinquennium (quam nobis Deus ignoſcat) nimia indignatione provocatus, ex vehementi commotione & diſplicentia animi mei feci, quod iure non potui, tradens illas ſine conſenſu veſtro (quod conſtare non poteſt) dicto Ieckel de Gemunden, quas Meynhardus de Coppenſtein iniuſto titulo nunc poſſidet*,

d) Ibid. p. 20 & 125.

e) Ibid. p. 20 & 177.

f) Quæ probat *Kremerus* in den diplom. Beitr. p. 151. & 219.

g) Conf. *Trithemius* in chron. Sponheim. p. 312 & 313; nec non *Kremerus* in den Beitr. p. 298.

possidet, ita mihi propitius sit Deus in hac extrema necessitate mea. Ecce dixi vobis rei totius ordinem, si vos alienatas curtes repetere neglexeritis, Deo respondeatis, ego animam meam exoneravi h). Easdem curtes anno 1448. *Conradus* Abbas omni cura repetere studuit. Tota vero historia hisce enarratur verbis: *Hoc anno (*MCCCCXLVIII.*)* Conradus *abbas curtes illas* in Winsheim, *quas abbas* Bernhardus *olim, — anno suo* XXVI. *sine consensu fratrum suorum alienavit, a Mainhardo de Coppenstein repetivit, conveniens eum coram advocatis* (Vogt vel Fauth) *Principum in* Creutzenacht, *Friderico de Lerenstein & Iohanne de Wachenheim, producens quorundam testimonia, qui revocationem* Bernhardi *abbatis iam mortui super iniusta alienatione earundem audierant. Vnde advocati, partibus auditis, commiserunt abbati, ut petitionem suam redactam in scriptis alia vice præsentaret, Mainhardusque similiter in scriptis responderet, quo facto, se velle, quod iustum esset, decernere. Fecit abbas, quod iubebatur, petitionemque suam contra Mainhardum advocatis præsentavit in scriptis. Verum advocati, sive curis nimiis impliciti fuerunt, sive parti adversæ (quod tum credebatur a multis) nimium inclinati, postulatione abbatis & conventus recepta, sententiam distulerunt, verbis bonis animum abbatis suspendentes de die in diem, iam hoc nunc illud pro impedimento allegantes, & sic negotium pendet usque in præsens* i).

43) *Zozenheim*, alias *Zotzenheim* & *Zutzenheim*, pagus cis Navam, ad lapidem septimum a Mannhemio disiunctus; cuius parœcia reform. subdita est ephoriæ Crucenacensi. Eadem villa iam antiquitus ad pagum Navensem referebatur, prouti ex charta *Adelberti*, Archiepiscopi Moguntini, de anno 1133. discimus: *Prædium quoddam .... quod situm est in villa, que dicitur* Zozenheim in pago Nachgowe *in comitatu Emechonis Comitis de Smedeburch* k). *Emicho*, Comes Leiningensis, & quidem ex *Albani* Weissenburgensis consensu,

O 2 RV-

h) Apud cit. *Tritbemium* l. d. pag. 353. seq.

i) Sunt eiusdem verba l. c. pag. 365.

k) Apud *Kremerum* in dem Rhein. Franzien p. 149.



RVPERTO I, Electori Palatino, præter alia loca pagum quoque *Zozenheim* oppignoravit l).

Hæc igitur ſunt præfecturæ minoris maiorisque Crucenacenſis oppida, cœnobia, caſtella, pagi villæque, quæ ſingula partim obiter, partim autem accuratius & intentius ſpectare nobis placuit.

§. XIX.

Præmiſſa hacce generali totius archiſatrapiæ deſcriptione, iam ſpeciatim contemplabimur CRVCENACVM, ipſius metropolin, olim Sponhemienſis Comitatus anterioris caput celeberrimum, conſuetam primum ipſorum Comitum, poſtea vero Principum Simmerenſium ſedem, antiquitus adnumeratam pago Wormatienſi m). Mediam iſtam urbem interluit *Nava* fluvius n), eamque in duas diſſecat partes; quarum dextra vocatur *priſcum*, ſiniſtra vero *novum oppidum*, per quod rivus *Ellerbach* dictus labitur o). Id quod ideo præmonendum cenſuimus, ut, quæ ſequuntur, eo facilius intelligi queant. Huius urbis nomen quondam fuit variatim ſcriptum: verbi cauſſa *Crütznach* p), *Crucenachen* q); in chartis antiquis *Crucinach* & *Crucenahe* r), *Creutzenacht* s), *Creutzenach* t), *Creuznahe*, hodie *Creuzenach*, *Creuznach*, *Kreuzenach*, *Kreuznach*. Olim dicebatur Græce *Staurone-*

ſus

---

l) Vid. *Chlingenſpergius* in deſig. feudorum pignoratitiorum ad dictum annum.

m) Sic legimus in actis acad. Theod. Palat. T. I. p. 279.

n) Supra §. XII. p. 35.

o) Rurſus ſupra §. XIII. num. 7. p. 40. ſeq.

p) Apud *Seb. Munſterum* in coſmogr. gen. lib. III. p. 493. edit. Lat. Baſil. an. 1559. fol.

q) In cit. act. acad. Tom. II. p. 255.

r) Conf. *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 114.

s) Paſſim apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 258. 340, & 419.

t) Ibidem p. 277.

ſus & *Stauroneſum* u), item *Stauropolis* v). Latine vocatur *Crucinacum*, plerumque *Crucenacum* w); in diplomatibus aliquando *Crucianiacum*, ſæpius *Cruciniacum*, ſicuti ſtatim pluribus, *Crüzenachum* x), *Crucenatium* & *Crucinatium* y). Hanc urbem antiquitus etiam Belgice *Cruishoute*, quaſi *crucis lignum*, fuiſſe nominatam, inveni z). Alii præterea vocant *Aram Crucis* a). Referunt namque, *Romulum* quemdam, Romanorum in Alamannia Galliaque Ducem, fratrem piæ Auguſtæ S. *Helenæ*, matris *Conſtantini Magni* Imperatoris, prope Rhenum, atque in Alamannia paſſim multa templa multasque ſacras ædes, potiſſimum adiuvante *Conſtantino Magno*, ædificaviſſe. Addunt inſuper, eamdem Auguſtam in urbe Nemetum, quæ eſt *Spira*, primam ædem ſacram exſtruendam curaviſſe, ibique conſtituiſſe Epiſcopum S. *Deſſium*, vel potius *Ieſſium* b), ante Sacellanum S. *Helenæ*; quippe quæ in eadem urbe thronum & ſedem, *Sanct-Helen-Brück* dictam, habuiſſe dicitur. Porro perhibetur, *Conſtantinum Magnum* in Sicambrorum finibus ædem ſacram in honorem ſanctæ crucis exſtruxiſſe, exſtructam autem *aram crucis* adpellaſſe, ipſamque epiſcopali eccleſiæ Spirenſi tradidiſſe; iuxta quam aram villa *Creuzenach*, quæ ſuum inde nomen acceperit,

u) Vid. *Trithemius* ibid. p. 419. & paſſim in epp. famil. & *Zeilerus* topogr. Pal. p. 22.

v) Apud eumdem *Trithemium* in epp. fam. lib. I. ep. XIII. p. m. 449; ibid. ep. XXII. p. 459.

w) Vid *Cluverius* l. d. lib. III. cap. IX. p. m. 233; ſed ibidem etiam in indice ſcribitur *Crüzenacum*.

x) Legatur celeb. *I. H. Hottingerus* in hiſt. eccleſ. N. T. part. IV. ſec. XV. p. 931. not. 9.

y) In der Europ. St. & Reiſe-Geogr. vol. IV. cap. V. p. 788.

z) Nimirum apud *Guilielm. de Waba* l. c. ſupra §. XVII. litt. b. pag. 64.

a) Videlicet in corpore antiquitatum Imperii mſ. p. m. 72.

b) Conf Lex. hiſt. in hac voce; ubi vocatur *Iaſinus* vel *Ieſſius*; de quo conſulatur *Lehmannus* in chron. Spir. lib. I. cap. IV. p. m. 7. a. & alibi.



rit, postmodum fuerit condita. Hancce villam *Pipinus*, Comes Palatinus Rheni, dum loco *Childerici* Rex nuncupatus, iure mercatus aliisque dotavit privilegiis; quæ deinceps CAROLVS *Magnus*, HENRICVS I c), & OTTO *Magnus* renovarunt, nec non adauxerunt; quarum immunitatum haud paucas easque egregias hæc civitas usque ad annum MCCCCX habuit. Episcopali Spirensi sedi fuit quidem aliquamdiu incorporata, sicuti loquuntur; sed demum anno 1277, RVDOLPHO Imperatore consentiente, Comitibus Palatinis Rheni venditur d). Hanc ædem sacram Crucenacensem aliquamdiu collapsam *Dagobertus* Pius vel Magnus reædificasse ibidemque fundavisse cœnobium narratur e). Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Iam vero quæritur, unde hæc urbs nomen suum nacta fuerit? Nonnulli f) putant, a templo parochiali in insula, quam *Nava* fluvius format, forsitan, vel potius a magna CHRISTI cruci suffixi statua, quæ procul dubio fuerit ibidem erecta, nomen antiquum *Stauronesi*, id est, *insulæ crucis*, (Kreuzinsul) exortum fuisse, quod successu temporis in *Critznach*, *Creitznach*, *Creutzenach* vel *Creutznacht* commutatum. Alii sibimet falsissime persuadent, id nominis fuisse deductum a quadam cruce, quæ in perpetuam infanticidii, anno 1432. a Iudæis perpetrati, memoriam in coemeterio retro chorum ad orientem statuebatur g). Quidam temere rursus existimant, urbem nostram a crucibus sanguinolentis, quæ per Germaniam generatim, speciatim *Crucinaci* etiam, ineunte seculo decimo sexto, adparuerunt, denominatam esse h). Insuper

---

c) Non *Magnus*, prout ariolantur nonnulli.

d) In corp. antiq. imp. p. m. 73.

e) Ibidem p. 93.

f) V. gr. *Zeilerus* l. d. pag. 22. seq. & auctor descript. circ. Rhen. infer. p. 476. seq.

g) Præter alios huius rei mentionem facit *Hottingerus* l. d.

h) Eiusdem rei historiam enarrat idem *Hottingerus* l. c. P. V. sec. sive cap. XVI. p. 18. 19 & 20; nec non *Schopperus* in cit. chorogr. p. 516.

ſuper alii dictum nomen a quatuor crucis CHRISTI particulis, anno 1200. *Crucenacum* in cœnobium R. R. P. P. Carmelitarum translatis i), derivare non dubitant. Verum enim vero hæc omnia admodum infirmis argumentorum tibicinibus fulciuntur. Iamdudum enim ante hoſce annos illud nominis invaluiſſe, mox k) videbimus. Quidquid autem ſit, ſi coniecturæ locus eſt, eiusmodi nomen haud dubie derivandum cenſemus ab aliqua cruce, vel in ipſa inſula vel iuxta *Navam* erecta; ad quam crucem poſtmodum ædificata villa, nominata *Crucenahe*, *Kreuznahe*, id eſt, villa ad crucem, ſive cruci proxima, (*nahe an dem Kreuz*). Alia huius denominationis coniectura proponetur inferius l).

§. XX.

Hancce deſertam incultamque Vangionum m) regionem, in qua *Crucenacum* ſitum, circiter quadraginta annis ante CHRISTI natalitium a Romanis occupatam, atque, quod veroſimile eſt, ſub AVGVSTI privigno *Druſo*, proinde paulum ante, ſeu circa tempus diei natalis CHRISTI, validiſſimo *caſtro Romano* munitam fuiſſe, iam ſupra n) in generali huius archiſatrapiæ delineatione commemoravimus. Ceterum de eodem caſtro hæc legimus: *Fuit autem caſtrum illud in planicie ſitum in eo loco, ubi nunc eſt eccleſia S. Kyliani, quondam parochialis: cuius murorum quædam particula noſtris ibidem adhuc videtur temporibus, reliquum vero loci ſpatium partim agricultura, partim vini cultura obtinuit* o). Tota huius caſtri forma in conſpicuis ſeu ſub adſpectum cadentibus ruderibus muri,

i) Vid. ſupra §. IV. p. 9.

k) Nimirum §. XXI.

l) Nempe in fine ſeq. §. XX.

m) Minime vero Nemetum, uti eſt in mſ. Crucenac.

n) Videlicet §. III. p. 5.

o) Apud *Trithemium* in annal. Hirſaug. Tom. I. ad an. 893. p. 43; conf. ſupra §. III. p. 5. &. §. IV. p. 9.



muri, hodiedum ab ethnicis *die Heidenmauer* cognominati, ante paucos annos adhuc adparuit. Eadem forma quadrangulum, circiter ſeptem agrorum iugera, præter orientalem aulam, complectentem, repræſentabat. Integræ nummis refertæ Romanis ollæ, quæ ibidem etiamnum quotidie, cum ſingulis quoque monetis, vomere eiiciuntur: ſtructura in ſe ſpectata murique fabricatio, dum ambas Navæ fluminis rivique Ellerbach valles intercludit: multa montanis in hiſce locis, potiſſimum in exſtruendis ſalinis, detecta Romanorum ſepulchra, urnæ, oſſa & monetæ, noſtram opinionem extra omnem dubitationis aleam collocant. Eſt omnino apprime dolendum, has urnas, tum ex iure quodam ſuperſtitionis, tum ex aviditate plebis, cybioſacten ſeſe gerentis, quantum ſcimus, ad unam omnes diffractas, perfractas adeoque mutilatas, ipſos vero nummos fabris ærariis, cingulariis, Iudæis, aliisque furfuris iſtius homuncionibus, viliſſimo venditos eſſe pretio, ſic ut eorum pauciſſimi ſuperſtites apud cives incolasque reperiantur. Multo magis autem deplorandum eſt & culpandum, quod rudera, pedes octo profunda, fodiendo haud inquirantur, quod eorum congeſtio vel agger lingonibus non exhauriatur, quod interna ipſorum ſtructura non obſervetur, immo quod nummi ceteraque monumenta minime indagentur. Quæ ſingula detegi profecto poſſent, quoniam totum caſtrum cadaveribus repletum eſt, adeoque ab incolis & militibus neutiquam deſertum, ſed potius impetu violentiæ captum. Quam præclara hæc veteris hiſtoriæ documenta forent & monumenta, quæ ex terra tali modo iam ſunt effoſſa & eruta.

Ceterum *Nava* fluvius, qui Crucenacenſes terminos, tum ſuperiores tum inferiores, nunc pervagatur, olim ab hodierni pontis ſalinarum ſtatu, dextrorſum vel orientem verſus, radicem colliculi leporini (*Haſenrechs*) præterlabebatur; ubi ſalinarum accolæ, adhuc in fontibus inquirendis occupati, in terræ profunditate duorum tabulatorum, integros eosque ex lapidibus ſculptos fontium pedes invenerunt; qui

vero

vero falcati, vel in formam arcus pro messoriis falcibus acuendis fuerunt formati, sed oblimati & attriti. A dicto colliculo, prouti nunc traditiones volunt, immo ipsissima telluris profunditas revera demonstrat, *Nava* hodiernam *Hackenhemiensem* portam præterfluebat, porro sese flectendo cursum dirigebat iuxta *castrum* vel *murum ab ethnicis* cognominatum, & quidem ab orientali plaga, in campi planitiem, atque tandem, *Genzingam* versus, in præsentem suum alveum. Brachium autem vel cornu fluminis, apud hodiernam Arausionensem aulam excedens seque separans, sese coniungebat cum rivo *Ellerbach*, ex altera valle demanante, rursusque iam modo commemoratum murum (*die Heidenmauer*), sed tamen occidentem solem versus, adluebat, atque tandem in longiori suo progressu semet cum principe fluvio seu patre suo commiscebat, nominatim in loco, qui vulgo *ardessa* vel *schistum rufum* (*die rothe Laye*) adpellitatur. Interim hic obiter monemus, ante secula aliquot iuxta prædictam aulam Arausionensem stetisse moletrinam, eiusque fluentum per loca, ubi hodiedum sunt portæ, horti viaque crucis vel compita (*Kreuzgass*), suum habuisse cursum. Vnde etiamnum in omnibus hisce locis subterraneum fluentum perpetuas aquarum scaturigines, humida loca, cellas uvidas rebusque condendis maxime nocivas & cetera plura præbet incommoda. Præter commemorata monumenta, ex eo quoque nostra haud parum stabilitur opinio, quod, in effodiendis fontibus, arbores integræ in duorum tabulatorum profunditate veluti stratæ locatæque, apud portam *Hackenhemiensem*, immo in ipsa urbis compita iam fuerint inventæ, quippe quarum situs certe nulli alii caussæ, quam priscæ magnæque aquarum inundationi, adscribi potest. Insuper avulsa *Navæ* ripa, speciatim e regione pascuorum pentecostalium (*Pfingstweide*) hodiedum adhuc cernitur, ibique ad ipsorum latus, altus unico tabulato, limo a vicinis montibus obductus, sed altior, quam præsens alveus, in duris lapidibus, in silicibus, in lapidibus carbonariis, in coctis lateribus, in achatis &c. subter terram cogno-



ſcitur: rudus, quo alveus *Navæ* profundiſſimus in ſolo vel vado ſuo quotidie quaſi ſternitur, huc quoque pertinet.

Caſtrum itaque, quod iam nunc ad orientem *Navæ* partem ſitum, olim ſtetit in quadam inſula Navæ; quarum inſularum nonnullæ tum in ipſa urbe, tum ab utraque urbis parte adhuc iacent. Tam ad ædificationem caſtri, quam ad ipſius etiam uſum, veroſimiliter bina fluminis cornua pontibus fuere coniuncta; quorum pontium fundamenta piſcatores, ut animo menteque conceperant, ante quinquaginta annos, & quod excurrit, in occidentali Navæ plaga, immo in ripis ipſius, obſervaverant. Ante hoſce pontes deinde homines conſidebant villasque exſtruebant, quarum unam *Sparhauſſen* adpellitatam fuiſſe tradunt. Iſtius generis homines, quod a veri ſpecie non alienum videtur, alimenta ſibi capiebant ex commeatu victuque in *caſtrum* importato. Iidem bini pontes, ſupra diviſum *Navæ* fluvium ſtrati, forſitan tam reſpectu protentæ in longitudinem inſulæ, quam cum utraque ripa copulabant, quam quoque reſpectu fluminis ipſius, quod veluti diſſecabant, ipſi *caſtro* nomen *Stauroneſi* vel *inſulæ crucis* (*Kreuzinſul*), caſtro autem cum villis ſibimet adnexis nomen *Crucis-Navæ*, *Crucis-nahæ*, *Cruce-nahe*, Lat. *Cruciniacum*, modo *Kreuznach*, adquiſiverunt. Priſtinas vero villas ibidem reapſe exſtitiſſe, comprobant tum ipſarum muri, ad orientalem fluminis plagam inventi, tum etiam exciſa eaque integra portarum limina, cardinum lapides, cardinumque foramina utrimque facta, in alta via *Boſenhemienſi* ſternenda haud ita pridem detecta. Inſuper easdem villas ad unam omnes iam tempore Romanorum ſtetiſſe, cadavera cum urnis nummisque iuxta muros hoſce reperta, evidenter evincunt p).

§. XXI.

p) Conf. ſupra §. XIX. p. 111; nec non §. III & IV. p. 6. & 9.

§. XXI.

Quidquid autem huius rei ſit, hanc urbem ſatis eſſe *antiquam*, immo iam initio ſeculi noni celebratam, ex variis iisque certiſſimis liquet documentis q). Eodem nono ſeculo Imperatores quoque in regione *Crucenacenſi* habuerunt bona menſarum, vel patrimonialia, prouti vocantur, quin etiam proprium *Palatium regium* r); quod deinceps ad Duces Franciæ pervenit s). Digniſſima memoratu ſunt, quæ antiquitatem loci ſufficienter comprobant, ſequentia: „CRVCENACHVS. Inter Epiſcopatus Wirceburgenſis poſſeſſiones, a Carolomanno, Pippini regis fratre, acceptas, Ludovicus Pius Francofurti an. 822 confirmavit eccleſiam S. Martini in villa *Crucenacus*, in pago Wormatienſi ſitam. Anno XXII eiusdem Imperatoris regii palatii Ingelheimenſis exactor in eadem pagi Wormatienſis villa *Cruciniacum* varia bona permutatione accepit. Triennio poſt Ludovicus hic in *Cruciniaco palatio* confirmavit commutationem bonorum inter abbatiam Fuldenſem & Bopponem comitem. *Crucenacha* inter villas ſuas indominicatas Carolus Craſſus cum *Ingilenheim* &c. commemorat an. 881. Arnolfus rex villam *Crucinaham* quoque recenſet in diplomate Wirceburgenſi an. 889. Pars oppidi cis Navam (t) recentior eſt u). „ Sic quoque idem Carolus Craſſus ex villa ſua indominicata *Crucenaha* nonam partem de omni conlaboratu, videlicet annona, vino, friſchlingis, argento &c. tradidit anno 882 eccleſiæ Francofurtenſi

P 2

q) V. gr. ex diplomatibus tunc temporis ſignatis. Vid. cel. *Heumannus* de re diplom. T. I. p. 249. & 257.

r) De quo mox §. XXII.

s) Lege *Kremerum* in den diplom. Beitr. p. 112.

t) Reſpectu ſcriptoris, ſed ratione ſitus noſtri trans Navam.

u) Conf. ampliſſ. *Andr. Lameius* in deſcript. pagi Wormat. in act. acad. Palat. T. I. p. 279. ſeq.



furtensi S. Bartholomæi v). Sic eamdem Caroli Crassi donationem, ecclesiæ Francofurtensi concessam, nempe nonam partem de annona, vino, frischlingis, sevo, denariis, deque rebus aliis in villa indominicata *Crucinaha*, OTTO II Imperator anno 974 confirmavit w). Pari ratione *Crucenacum* nostrum adhuc anno 1181. immo 1183 *villa* nominatur x). Ceterum hocce *Crucenacum* iam ætate CAROLI *Magni* satis superque fuit notum, quamvis iis temporibus non nisi *villulæ* nomine compareat, sitæ in pago *Hunnesrück*, vel potius in istius pagi confiniis y). Nam ad pagum spectavisse Navensem, affatim constat z). Quod reliquum est, antiquitate sua haud parum claruisse, ex historia LVDOVICI *Pii* Imperatoris patet, de quo scribitur: LVDOVICVM, *peracto Principum conventu an.* 819. *mense Iulio Ingelheimii, ubi cum* Juditha *uxore secunda nuptias celebraverat, cum eadem primum* Cruciniacum, *deinde* Bingium *petiisse, ibique cum uxore & liberis naves conscendisse, & Rheno secundo ad* Confluentias *navigasse, post in Arduenna sylva venationibus indulsisse* a). Ibidem quoque idem Imp. LVDOVICVS *Gerulfo* fideli suo quædam bona in pago Frisiæ Westracha, nominatim in villa Cumminge & Hunderi aliisque villis, circumquaque positis, ipsimet ablata restituit in diplomate, dato CRVCIANICO *in*

v) Vid. diploma *Caroli Crassi* Imp. de fundatione ecclesiæ S. Bartholomæi Francofurt. apud illust. de *Gudenum* in cod. diplom. Tom. I. num. II. p. 2. seq.

w) Consulatur ven. *Würdtwein* in diœc. Mogunt. T. II. p. 414. 417 & 473.

x) Apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 257. seq.

y) Vid. superius §. I. p. 1 & 2. §. X. p. 28.

z) Supra §. X. p. 28. seqq. *Kremerus* in dem Rhein. Franzien p. 68-75; in primis p. 147-152; ubi generatim de hoc pago, speciatim autem de *Crucenaco* p. 148. agitur.

a) Apud *Aventinum* in A. B. lib. IV. p. 290; conf. etiam annal. Francorum apud *Reuberum* ad an. 819.

in Palatio regio, anno imperii ſui XXVI, (id eſt, 839) VIII id. Iulii b).

Quapropter citra dubium ullum antiquo iſti muro (Heidenmauer) originem ſuam debet totum oppidum hodiernum, quamvis prima habitacula locis in iisdem, ubi nunc oppidum ædificatum eſt, certe non ſteterint. Nam, alveo fluvii mutato, domicilia quoque mutabantur, iuxta fluvium deinceps conſtructa. Vnde etiam multa vetuſta ædificiorum rudera hodiedum in hortis, ante portam Hackenhemienſem paratis, ſuperſunt. Inſequuta poſtmodum ſtructura *Palatii regii Francorum*, & quidem ad occidentalem regionem *Caſtri*, (quod tandem, tempore Spirenſis dominii, in ſedem Eccleſiaſticorum, & rurſus in templum cœnobiumque *S. Kiliani* c), commutatum fuit, nec non demum ante paucorum annorum ſpatium agris accommodatum,) in cauſſa fuit, cur incolæ propter alimenta neceſſaria cum ædificiis ſuis ſenſim avocarentur ab eo loco, atque ad iſtum locum, ubi nunc *vetus oppidum* conſpicitur, veluti invitarentur.

§. XXII.

Aliquam *Palatii regii* mentionem iam d) fecimus. Quocirca de iſto hic loci ſequentia dumtaxat ſubnectimus. Imperatores videlicet in regione *Crucenacenſi* non modo *regium Palatium*, ſed bona quoque patrimonialia habuiſſe, quæ deinceps ad Franconiæ Duces tranſierunt, iam abunde cognitum eſt. De eodem *Palatio* hiſtoricus e) ſcribit: „*Crucinia-*

 „*cum*,

b) In annal. Padernborn. p. 118; quibus addantur *Tolnerus* in hiſt. p. 60, & *Kremerus* in dem Rhein. Franzien p. 369.

c) De quo inferius §. XXIX. num. 3.

d) Supra §. IV. p. 9.

e) Nimirum auctor chronici Gotwicenſis lib. III. (alias Tom. I. P. II.) p. 466. Conf. *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 112.



„ *cum*, Germanice *Creuznach*, civitas Palatinatus inferioris „ ad amnem *Navam* ſeu *Novam*, *die Nahe*, in pago Hunnes- „ ruck, cum arce editiſſima, REGIO etiam PALATIO „ *condecorata*, cuius nobis mentionem facit *Diploma Ludovi-* „ *cianum* f); ubi ſubſcriptio ita ſonat: ACTVM CRVCI- „ NIACO PALATIO. Poſtea Ducibus Franciæ orientalis „ paruit, ſed ex Henrici IV. Imp. & Ducis Franciæ dona- „ tione Epiſcopatui Spirenſi collata, ab hoc autem emtionis „ & venditionis titulo ad Comitatum Spanheimenſem, cuius „ caput eſt, fuit translata. „ Alibi hæc habentur: *In Germaniæ, dulcis patriæ noſtræ, ampliſſimis finibus Terræ Rhenenſi* κατ' ἐξοχὴν *ſplendidum* des Reichs *nomen attributum, quam ſibi reſervarunt imprimis ex terris Germanicis Reges noſtri, & in qua regni ſedes Aquisgranum atque inſignia* PALATIA: *Ingelheim, Triburia* g), *Sala in Franconofurt*, CRVCINIACVM, *hodie Creuznach* h). Hinc etiam Imperatores ſæpius ibidem fuerunt commorati. Sic de LVDOVICO *Pio* ſcribitur: *Anno* v. *regiminis, id eſt, anno* CHRISTI 818. *per* Cruciniacum, *Bingiam, Confluentiam ad Ardennam ſilvam venationis cauſſa pervenit, mox Aquisgranum reverſus* i). Idem Imperator etiam fuit ibidem in *Cruciniaco palatio*, anno regiminis ſuæ xxvi, id eſt, A. C. 838. (839.) k). Vtrum autem

f) Quod ex traditionibus ineditis *Fuldenſibus* produxit *Eccardus* in probat. hiſtor. genealog. Marchionum Misnenſium num. VI. p. 257. & 258. Vid. *Kremerus* l. d.

g) Vid. noſtra comment. hiſt. de *Oppenhemio* §. VI. p. 17. ſeqq. & §. XI. p. 33.

h) Apud *Buderum* in progr. de verbi *Reich* ſignificatione p. 7; cui meretur addi catalogus palatiorum utriusque Franciæ in *Chriſti. Gottfr. Hoffmanni* Grundſætzen des Teutſchen Staatsrechts lib. IV. cap. I. p. 304.

i) Conf. *Heumannus* de re diplom. Tom. I. p. 249. nos ſupra §. XXI. b.

k) Vid. idem *Heumannus* l. d. pag. 257. ſupra §. XXI. pag. præced.

autem iam ſæpe memoratus murus, die Heidenmauer, extra *Crucenacum*, in dextra Navæ ripa Planigium verſus, huius *Palatii regii* reliquiæ ſint, prout alibi l) ſcribitur, aliquatenus dubitari poteſt. Antiquum namque *Palatium* regum Francorum, quod iam anno 800 & 900. nomen *Crucinaci* & *Crucenahe* geſſerat, proprie muro ab ethnicis ſic nominato minime fuiſſe ſuperſtructum, ſed iuxta eum potius ad occidentem ſtetiſſe, manifeſtum inde eſt, quod *caſtrum* veroſimiliter iam anno ſupra trecenteſimum triceſimo ſeptimo in Alamannicis & Francicis bellis devaſtatum fuit; alioquin tot Romanorum nummi, quin etiam ollæ ipſis impletæ, iuxta illud *caſtrum*, & quidem proxime in ipſa ſuperficie, non amplius invenirentur; quid? quod poſt ſubſequutam *Palatii* reædificationem non tantum varia partim integra partim mutila hominum cadavera, ſaltim in auferendo rudere, ſed nummorum etiam ollæ, in priſco rudere latitantes, attritæ detritæque fuiſſent.

HENRICVM IV Imperatorem an. 1065. villam ſuam *Crucenahe* cum *Palatio* eccleſiæ Spirenſi donaviſſe, ſtatim m) videbimus. Ipſum igitur *Palatium*, ubi LVDOVICVS *Germanicus* quoque ius dixit, & diplomata ſignavit n), tunc temporis adhuc ſteterat. Nec a temporibus Francorum & Spirenſium, nec poſtmodum ulterior dicti *Palatii* devaſtatio usque ad ævi medii finem uspiam commemoratur. Quid itaque veroſimilius, quam quod Canonici partem huius *Palatii*, quod univerſum ſibimet ipſis ineptum, atque ad uſus ſuos minime conveniens eſſet, tamquam domicilium nonnullorum Eccleſiaſticorum, qui loci præfecti iudicesque exſiſterent, adeoque ſicut antea fuit, tamquam prætorium vel quæ-

l) Nimirum apud *Kremerum* l. c. pag. 112.

m) Nempe ſeq. §. XXIII. conf. in initio huius §. not. f.

n) Vid. ſupra §. XXI.



quæstorium retinuerint; iuxta quod deinde *Ioannes* II, Comes Sponhemiensis, ecclesiam fundavit, eamque reditibus dotavit an. 1332. o). Vnde primam originem cœnobii *S. Kiliani* repetendam esse, nemo inficias ibit p). Tempore Regum Francorum, &, quod est verosimile, circa annum octingentesimum septuagesimum in divisione orientalis & occidentalis regni Francici, cuius limites pagus Navensis statuebat, castrum partim caducum & ruinosum, partim vero firmum & durabile, accepit nomen *Ostroburgi*, videlicet qua castrum in limite regni Ostrofranciæ positum, atque nomen antiquum *Cruciniacum* quasi per hereditatem nactum est; sed tamen loco eius in subscriptione LVDOVICI *Germanici* recentius *Palatium regium* adhuc exprimitur. E contrario nomen *Ostroburgi* dumtaxat ad priscum Romanorum castrum, minime vero ad recentius *Palatium* referebatur. Inde colligere licet, Imperatorem in *Palatii* villæque donatione castrum, qua regale imperii, sibi reservasse. Qua cum re quoque congruit, quod eius posteri rursus ædificare castrum cœperint, sed tamen, rogante collegio Canonicorum an. 1206. sub PHILIPPO *Suevo*, ab ædificando destiterint q), atque castrensem, quam vocant, iurisdictionem, decimas censusque Comitibus concesserint Rhenensibus, Rhenenses vero Comites tandem omnia tradiderint Palatinis, qui illud etiam adhuc sub nomine *Ostroburgi* possident. Anno 1176. *urbem novam* nondum exstitisse, & *urbem veterem* tantummodo fuisse *villam*, iuxta *Palatium* exstructam, tum ex antecedentibus aliquo modo dilucescit, tum ex sequentibus paulo clarius dilucescet.

§. XXIII.

---

o) Legatur *Kremerus* l. d. p. 310.

p) Plura dabimus infra §. XXIX. num. 3.

q) Conf. idem *Kremerus* l. c. pag. 113. in not. & p. 143. seq.



§. XXIII.

Ex præcedentibus igitur ſole meridiano clarius eſt, urbem hancce veterem, *villam* tunc temporis adpellatam, ad imperialia bona, ſpeciatim ad bona lineae Ducalis Francicæ patrimonialia, pertinuiſſe. Poſtmodum autem eccleſiae Spirenſi collegiatæ conceditur. Hinc hæc legimus: *Vt enim dona taceam, quæ Sigebodo & Conradus epiſcopi* (Spirenſes) *ab Henrico* III *cæſare optata tulere, Henricus* IV (Henrici III filius) *anno* MLVII *Conrado epiſcopo prædia duo, Eppingam in Craichgovia & Herxhemium in Spirgovia contulit; in gratiam Einhardi præſulis plures donationis tabulas conſcribi curavit, quibus ſubnixi Spirenſes jura in* Crucenacum, *villam regiam, foreſtum Luſshard, monaſterium regium patrimoniale S. Lamberti in Spirgovia ſibi tributa contendunt* r). Ex ejusdem Imp. LVDOVICI IV donationis litteris, quibus anno MLXV eccleſiæ Spirenſi urbem veterem *Crucenacum*, quæ tunc in bonis imperialibus, vel præſertim in Francicæ lineæ bonis erat, uti modo vidimus, tamquam propriam tradidit his verbis:

„ In nomine Sancte & individue Trinitatis. *Henricus* divina favente clemencia Rex. Cum omnibus Chriſti Eccleſiis munificentie ac pietatis debitores facti ſimus, illas maxime, quas patres noſtri edificarunt, edificatas tam propriis hereditatibus, quam rebus ad regni fiſcum pertinentibus ditaverunt, ditatas honore & amore extulerunt, & Nos ditare alias privilegio amore diligere equum & honeſtum duximus, unde omnibus Chriſti noſtrisque fidelibus tam futuris quam preſentibus notum eſſe volumus, qualiter Nos ad Eccleſiam Spirenſem a prioribus Auguſtis *Conrado* ſcilicet Avo noſtro & *Giſela* Avia noſtra Auguſta, *Hen-*

r) Apud celeb. G. C. *Crollium* de Ducatu Franciæ Rhenenſis in act. acad. Theod. Palat. Tom. III. hiſt. p. 431.



„ *Henrico* quoque felicis memorie patre noſtro in honorem
„ Sancte Dei Genitricis Marie conſtructam, ob perpetuum
„ illorum remedium noſtramque felicitatem, inſtinctu quo-
„ que fidelis noſtri *Adelberti Hammaburgenſis Archiepiſcopi*,
„ nec non ob fidele ſervicium *Einhardi* ejusdem ſedis Epi-
„ ſcopi, *villam noſtram Crucenacum dictam*, *in pago Nahegowe*
„ *in Comitatu Emichonis Comitis ſitam*, *cum Beneficio Eber-*
„ *hardi Comitis de Newenburg & omnibus appendiciis*, hoc eſt,
„ utriusque ſexus mancipiis, villis, vineis, agris, campis,
„ pratis, paſcuis, ſilvis, venationibus, foreſtis, terris cultis
„ & incultis, aquis aquarumve decurſibus, molis, molendi-
„ nis, piſcationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis,
„ mercatorum teloniis, monetis, queſitis & inquirendis in
„ proprium dedimus, confirmamus & in perpetuo iure poſſi-
„ dendam conceſſimus, ea videlicet ratione, ut predictam vil-
„ lam cum omnibus ad eam pertinentibus nullus Succeſſorum
„ noſtrorum Imperator ſive Rex, Dux, Marchio vel Comes,
„ aut aliqua alia maior vel minor perſona Spirenſi Eccleſie
„ auferre, alienare, vel ullo modo inquietare preſumat, ſed
„ prenominatus *Einhardus* Epiſcopus ſuique Succeſſores libe-
„ ram inde poteſtatem habeant tenendi, commutandi, pre-
„ cariandi, vel quicquid ad utilitatem eiusdem Eccleſie vo-
„ luerint faciendi. Et ut hec noſtra regalis traditionis confir-
„ matio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat tempore, ipſi
„ hanc chartam inde conſcribi, manuque propria corrobo-
„ rantes Sigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri. Signum
„ Domini Henrici quarti Regis. *Sigehardus* Cancellarius vi-
„ ce *Sigefridi* Archi Cancellarii recognovi. Data tertia Ka-
„ lend. Sept. Anno Dominice incarnationis Milleſimo LXV°.
„ Indictione tertia. Anno autem Ordinat. Dni Henrici quarti
„ Regis XII° Regni vero nono. Actum *Goslare*. In Dei no-
„ mine feliciter. Amen." s) Ex

s) Vid. *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 14. ſeq. & in adpend. diplom. num. II. p. 139. ſeqq. De his litteris habemus eiusmodi criterium ſeu notam characte-

Ex his, inquam, litteris, cuiuscumque etiam valoris ſint & auctoritatis, pateſcit, *Eberhardum*, Comitem Sponhemienſem, imperialia feuda, quæ *Crucenaci* poſſidebat, non reſignare tantum, ſed eccleſiæ quoque Spirenſi tradere ſimul debuiſſe t). Quapropter laudatus Imperator tum bona ſua regalia, tum beneficium *Eberhardi* Sponhemienſis, dicti Comitis de Neuenburg ſive Naumburg conceſſit Spirenſibus. Cum hisce conſentit chronographus u), ſcribens: LVDOVICVS IV *Imp.* CRVZENACH *cum omnibus ſuis appendiciis eccleſiæ Spirenſi in proprium dedit ac perpetuo iure poſſidendum conceſſit anno Domini* 1065. *Hæc omnia ſub præfato* Einhardo *Epiſcopo* (Spirenſi, Comite Cattimelibocenſi, qui anno 1067. obiit) *ad eius inſtantiam acta ſunt.* v) Ceterum vero hæc bona dumtaxat fuiſſe peculiares quasdam portiones, inde præter alia dilucеſcit, quod nimirum eodem anno dictus Cæſar eccleſiæ

 quo-

characteriſticam: " Habet autographum harum litterarum, quod in tabulario Bipontino latet, apertas notas falſitatis. Quæ enim membrana ante præcepto Henrici III. Cæſaris inſcripta erat, a malo artifice ita, credo, pumicata fuit, ut novas easque confictas litteras Henrici IV. ſuperinducere poſſet. Atque ita ſuperinduxit, ut nova Sigehardi cancellarii ſubſcriptio cum textu diplomatis eadem linea procederet, antiquior autem cancellarii ſubſcriptio: Theodoricus cancellarius vice Bardonis Archicancellarii recognovit, maiuſculis litteris loco conſueto expreſſa relinqueretur. Relictum pariter Henrici III. Cæſaris monogramma, idemque male confictum, cum ſigillo adulterino eiusdem cæſaris; adeo ut hæc tabula duplicatam teſtetur fraudem." Vid. *Crollius* l. d. not. c. Iisdem in litteris mentio fit Emichonis Comitis in pago Navenſi. Conf. cit. acta acad. Tom. II. p. 255.; ubi eædem litteræ non genuinæ, ſed ſpuriæ iudicantur.

t) Vid. *Kremerum* l. d. pag. 15.

u) Nimirum *Ioann. de Mutterſtatt* in chron. Spir. apud *Henr. Chriſti.* L. B. de *Senckenberg* in ſelectis iuris & hiſtor. Tom. VI. p. 165.

v) Addatur *Lehmannus* in chron. Spir. lib. V. cap. 89. p. m. 600.

quoque collegiatæ Trevirensi *aulam dynastiæ Crucenacensis, in Nohgovia sitæ*, donaverit, immo quod similiter Rex PHILIPPVS Suevus die 28. Novemb. anno 1206. *Conradum*, Episcopum Spirensem, singulari gratia benevolentiaque fuerit prosecutus, usque adeo ut illud prope *Crucenacum* in solo Spirensi, procul omni dubio a Comite quodam Sponhemiensi, prævia Regis venia, inchoatum castri ædificium prohibuerit, quin etiam, ut illud numquam in posterum inchoaretur, serio præceperit w). Comites namque Sponhemienses, non obstante *Eberhardi* renuntiatione, tunc alia bona in ipso oppido eiusdemque vicinia adhuc habuisse, prorsus est credibile. Forsitan dicti Comites in urbe nova, sive in sinistro fluminis latere, Spirenses autem in urbe veteri, extra quam ante aliquot annos rudera prisci castri regii cerni poterant, suas tenuerunt possessiones. Alioquin etenim ordinatio Comitis *Meginhardi*, anno 1125. d. XI. Aug. facta x), frustra omnino fuisset, nimirum ut natu maior filiorum, qui pariter dynasta Crucenacensis esset, perpetuam cœnobii Sponhemiensis tutelam & advocatiam gereret y). Quod reliquum est, Comes *Ioannes* de *Creutzenach* memoratur in mutua renuntiatione inter H. Archiepiscopum Moguntinum & I. de Riederen z).

§ XXIV.

Bonis suis circa *Crucenacum* immo in ipsa urbe sitis Episcopatus Spirensis usque ad annum MCCXLI fruitus fuit. Comites quoque Rhenenses *duos hortos in Crucenaco, item dimidium iugerum & domum in Crucenahe* ab ipso episcopatu in feudo habuisse, novimus. Verum autem anno commemorato a)

---

w) Supra §. XXII. p. 120. & *Kremerus* l. c. pag. 113. & in adpend. num. IV. p. 143. seqq.

x) Idem *Kremerus* §. XI. p. 27. seqq.

y) Conf. *Trithemius* in chron. Sponh. p. m. 240; ubi hæc ordinatio legitur.

z) Vid. ven. *Würdtwein* in subsid. diplom. T. V. p. 172.

to a) Episcopus *Conradus*, Comes Eberstenianus, ratus fuit, ecclesiæ suæ multo commodius & utilius fore, hæc si bona *Henrico*, Comiti Seynensi, pro mille centumque marcis argenti puri venderentur b). Probatissimus huius rei testis est iam laudatus scriptor Spirensis c), & quidem his verbis: *Item anno Domini* MCCXLI *sub venerabili Domino Conrado de Everstein*, *Spirensi Episcopo*, *cum consensu totius Capituli vendita sunt universa bona*, *quæ dictum Capitulum possedit in* Creuznach, *pro mille & centum marcis*, *puri argenti*, Comiti Senensi, *in quorum bonorum restaurationem comparata fuerunt alia longe maiora & utiliora prædia pro utilitate & usu ecclesiæ Spirensis* d). Idem testatur ipse Sponhemiensium Abbas e), *Eodem*, inquiens, *anno Episcopus Spirensis Conradus una cum Capellano suo* (Capitulo suo) *vendidit* Comiti de Seyna *omne ius proprietatis & possessionis*, *quas habuerunt ipse & Canonici Ecclesiæ Spirensis in* Creuznach, *pro mille & centum marcis*, *puri argenti*, *pro qua pecunia sibi convenientiora bona comparaverunt* f) Secundum chronologiæ ἀκρίβειαν prædictus Comes nullus esse potest alius, quam *Henricus Magnus*, Comes Seynensis. Inde merito coniicitur, hæc bona Seynensia in urbe *Crucenaco* simul ad illa allodia pertinuisse, quæ Domina Seynensis vidua possedit, immo quæ in cessione sua de anno 1217. sub generali nomine *bonorum*, *durante matrimonio*, vel, *communi pecunia adquisitorum*, comprehendit.

 Quo-

a) Quod factum alii perperam ad annum 1237. reiiciunt.

b) Pro Henrico apud *Tolnerum* in hist. Palat. p. 60. haud satis accurate memoratur Conradus, Comes Seynensis & Sponhem.

c) Nempe cit. de *Mutterstatt* apud illust. de *Senckenberg* l. d. p. 183 & 184.

d) Subiungatur *Zeilerus* in topogr. Palat; ubi de rebus, iam nunc certissimis, subdubitare videtur.

e) *Trithemius* in chron. Sponh. ad an. 1241. p. 277. edit. Francof.

f) Vid. *Kremerus* l. d. pag. 114. seq. *Tolnerus* l. c. pag. 60. aliique hanc in rem adlegant *Trithemium* in chr. Hirsaug. ad an. 1241; ibi vero nihil invenitur; sed addi tamen poterit *Seb. Münsterus* l. III. cosmogr. f. m. 596.



Quocirca quoque *Ioannes* I, Comes Sponhem. & Crucenacensis, natu maximus Comitis *Simonis* filius, ius hereditarium, quod soror ejus in urbem *Crucenacum* obtinuit, denegare nequivit, & quidem in diplomate, anno 1270. signato g).

Ceterum tam certum est, quam quod certissimum, ultra Navam, vel fluminis orientem versus, anno 1241. plane nihil exstitisse, nisi saliceta vel vimineta, in campo saligno fluctibus aquarum corrupto, quem mox Nava, mox amnis Ellerbach inundaverat. In eodem campo Sponhemienses Comites exstrui domum curarunt venatoriam, cuius quoad partem aliquam haud ita pridem rudera supererant; utpote quam domum, nunc haud procul a novo prætorio dissitam, architectus *Sengerus* anno 1772. tanquam domum castrensem inhabitare cœpit. Iuxta eamdem structum erat molendinum, quod tamen non diu post civibus vendebatur.

Anno 1270. factam fuisse quamdam ipsius *Crucenaci* castrique, ad Comites Sponhem. pertinentis, permutationem, constat h). Eodem anno vetus oppidum per matrimonium, cum femina Comite Seynensi initum, in potestatem Comitum Sponhem. transiit i). Circa idem tempus fundamenta urbis novæ, & quidem occidentem Navæ versus, collocantur; quae vero tunc dumtaxat partem, inter Navam rivumque Ellerbach sitam, excepta arce venatoria, trans rivum posita, complectebatur. In regionum divisione, *Simonem* III inter & *Ioannem* II, Comites Sponhemienses, instituta anno 1301. pro portione sua posterior accepit castrum & urbem *Crucenacum*, cum Sprendlinga, virisque castellanis ad eam pertinentibus, cum oppidulis, pagis & advocatiis utriusque cœnobii Sponhemiensis &

---

g) Apud *Lehmannum* l. d. & *Kremerum* l. c. pag. 15.

h) Conf. ill. de *Gudenus* in cod. dipl. T. III. p. 1140.

i) Lege sis *Kremerum* l. d. pag. 115.

& Schwabenhemiensis k). Anno 1312. III. Nonas Iulii Ravengirsburgensibus adsignatur vinea in limitibus Crucenacensibus l). Anno 1338. *Ioannes*, Sponhem. Comes, *Crucenacum* cum Schwabenhemio tamquam feudum obtulit *Balduino*, Archiepiscopo Trevirensium m). Anno 1380. *Simon*, Sponhem. Comes, *Dietherum* Camerarium Wormatiensem pro cliente fiduciario agnoscit n). Quomodo autem hoc oppidum, tamquam anterioris Comitatus Sponhemiensis metropolis, ad Palatinos pervenerit, suo loco o) indicavimus. *Crucenacum* olim, & adhuc anno 1572. variorum sedes fuit Nobilium, qui ibi communem inter se hereditatem *(Ganerbschaft)* habuerunt p). Non superfluum prorsus erit, ad originem huius denominationis illustrandam, sequentia subnectere: *Multi Nobiles, quibus virtutis potius, quam rapinæ studium erat, in societatem iunctis viribus familiisque coivere, structisque arcibus, aut iis a Principe impetratis, fœdus sive* fraternitatem, *ut vocant, certis legibus pepigere, quam conventionem* den Burgfrieden, pacem castrensem *nuncuparunt. Ipsi confœderati se* Ganerbios *vocarunt*, die Gan-Erben, *quasi* Gemeine Erben; *unde & ipsæ arces* Gan-Erb-Hæuser *dictæ, quales arx* Rotenburgensis *prope Noribergam*, Friburgum *in Wetteravia*, Salzburgum *ad Salam memorantur. De iis alibi Ius Saxonicum: Burglehen est huiusmodi feudum, ubi multi Nobiles vel Ganerbii,*

(ut

k) Vid. idem l. c. pag. 279 & 325.

l) Ven. *Würdtwein* in subsid. diplom. T. VI. p. 122.

m) Conf. *Ioan.* de *Mutterstatt* apud ill. *Senckenbergium* l. d. T. VI. p. 464.

n) Vid. diploma de anno Domini 1380. sub tertia post Martini Episcopi, apud de *Gudenum* in cod. dipl. T. V. p. 694; ubi etiam videmus, quænam tunc differentia inter pecuniæ valorem Crucenacensem & Wormatiensem fuerit.

o) Supra §. VII. p. 15. seqq.

p) Sic discimus ex diplomate, quod ita finitur: Geben zu Creuzenach d. 9. Sept. A. C. 1572. apud *Gudenum* l. d. Tom. V. p. 698. & p. 1092.

(ut nunc dicuntur) unum idemque castrum simul habent a Principe, & Domino, cujus est castrum illud q). Hæc autem *ὡς ἐν παρόδῳ.*

In viam ut redeamus, oppidum nostrum communis postea inter Electorem Palatinum & Marchionem Badensem fuisse regiminis usque ad seculi nostri decimi octavi initium, non est, cur hic repetamus r). Hinc etiam est, quare *Crucenacum* a nonnullis Geographis & Historicis vocetur *eine Ganerbenstadt*, quoniam communis erat & hereditatis & regiminis. Inde celeb. ille Iurisconsultus s) scribit, *Crucenacum* duos habere Dominos, nempe Electorem Palatinum & Badensem Marchionem t). Tandem oppidum nostrum eiusque regimen soli Serenissimo Electori Archi-Palatino relictam esse traditamque, supra u) fusius significavimus.

§ XXV.

C*rucenaco* autem in divisione Comitatus anterioris Sponhemiensis, superius iam commemorata v), solius Palatini Electoris imperio sollemniter tradito, Potentissimus ac Serenissimus Elector IOANNES WILHELMVS mandavit, ut nonnullorum consilia & proposita, quo pacto *Crucenacensis* urbis incrementa promoveri ulterius possent, colligerentur. Quapropter unus ab Electore Deputatorum w) sequentia proposuit, proposita scriptis consignavit, scripta vero tradidit:

1) Vt

q) Apud *Paul. Hachenbergium* in peculiari diss. hist. de origine illustrium Germanorum, §. XVI. p. 27.

r) Qua de re iam supra §. VII. p. 15. seqq.

s) Nempe *Besoldus* in thes. pract. in voce Ganerben p. 312.

t) Id quod quoque confirmat *Wehnerus* in pract. observ. pag. 198; ubi nostram urbem vocat Ganerbenstadt. Addatur *Zeilerus* l. d. pag. 24.

u) Nimirum §. VIII. p. 20. seqq.

v) Ibidem.

w) Qui erat Vir ampliss. *Philippus Petrus Flad*, Consiliarius ærarii regii curam habens; quem iam laudavimus supra §. VIII. p. 20.

1) Vt, propter amœnissimam regionem iucundissimumque urbis situm & alias favorabiles rerum circumstantias, *Crucenacum* tamquam viduarum Electoralium sedes eligeretur; item ut, ad commodum incolarum, ab Heidelberga procul remotorum, Regimen Electorale, præfecturis maioribus & minoribus *Crucenacensi*, Strombergensi, Lutrensi, Rockenhusiana, Otterbergensi, Simmerensi, Beckelnhemiensi, Lutreccensi, Wolfsteniana nec non Veldentina subditis & adiunctis, ibidem ordinaretur & instituëretur, siquidem iam olim hic Ducum Simmerensium fuerit domicilium.

2) Illustre Gymnasium erigendum, quod omnino spes adfulgeret certissima, fore, ut illud Francofurtenses aliique peregrini frequentarent.

3) Quum Elector Palatinus iam solus fluvii Dominus esset, inde plurimum expediret, Navam facere navigabilem, ut naviculis cymbisque frumenta, vina aliæque merces usque ad vicinum Bingium transveherentur, indeque rursum aliæ reveherentur merces. Id quod facilius & sine multis sumtibus fieri posset, si in fluvio delapidando vicini cooperarentur.

4) Vrbem esse opportunissimam, ut ibi manuum facturæ, quas adpellitant, instituerentur, & quidem ad ingens totius regionis emolumentum, quod existerent ibidem multa loca deserta domibusque vacua, quæ plures quam quingenti cives incolere possent.

5) Mercatum hebdomadarium, hactenus singulis Saturni diebus frequentari solitum, ad mercaturam promovendam, in quemdam alium diem transferendum esse, vel etiam alium cum mercatu pecuario instituendum, ut Iudæi, quorum haud exiguus in oppido numerus esset, eo melius eum visitare valerent; quippe quibus tunc peculiaris platea foret adsignanda.

6) Malo detrimentoque, quod circuitores vagabundi, sub peregrina iurisdictione viventes, indigenis adferre suescunt, remedium esse adhibendum.



7) Præter hebdomadarium mercatum rursus alios duos annuos de novo instituendos esse; utpote quibus ante bellica tempora Saxones, Francofurtenses, Moguntini, Wormatienses aliique mercatores ac negotiatores interesse solebant.

8) Cives Crucenacenses propter multa eademque præstantissima vineta potissimum iis antea gavisos fuisse privilegiis, ut ne œnopolæ cauponesque vina peregrina in domibus vinariis venderent. Quoniam autem hæc in desuetudinem abiissent, adeoque ista privilegia esse renovanda, priscaque mandata demum iteranda & revocanda. Qua re cives ad vitiaria, præsertim in collibus, qui vocantur *Belz*, *Brückes* & *Callenberg*, ubi vina generosissima nascuntur, recolenda perstimularentur, adeo ut inde peregrini vinorum mercatores Colonienses, Belgici ceterique vina repeterent. Hinc bona Principis & decimæ adaugerentur.

9) Curandum omnino esse, ut, in ferrariis præfecturæ Strombergensis officinis instaurandis, omnes operarii, quod *Crucenacum* propius sit, quam Bingium, inde quoque omnia, ad victum cultumque necessaria, repeterent; hinc etiam victualia sive alimenta viliori pretio æstimanda.

10) Mandandum, ut variorum præfecturæ Strombergensis & Crucenacensis pagorum incolæ mercatum Bingensem non visitarent, sed ut, prouti superioribus temporibus, ita & nunc Crucenacenses frequentarent mercatus, ibique merces suas venumdarent, sibique necessarias vicissim rursus emerent.

11) Trecentos vel quadringentos milites *Crucenacum*, tamquam in sedem hospitalem deducendos esse, proque iis tuguria in opportunis, quæ ibidem reperirentur, locis exstruenda.

12) Quum documenta præsto essent, quod ante bellum tricennale *Crucenaci* fuerint noningenti cives & quadringenti circiter inquilini, pro quibus etiam limites agrique sufficientes adessent, spem hinc futuram esse, ut, pace feliciter reddita, numerus eorum feliciter cresceret.

13) Vti-

13) Vtilissimum esse immo maxime necessarium, ut incolæ Crucenacensis præfecturæ atque ipsius urbis cives, qui propter communitatem cum Badensibus, ratione vectigalium, hactenus tamquam peregrini tractarentur, nunc & in posterum paribus iuribus cum aliis Palatinis fruerentur.

14) Oppidi moenia, ab hostibus deiecta, successu temporis reædificanda, atque, ut id eo facilius perfici posset, quidpiam pecuniarum ex vinariis exactionibus ad hunc usum contribuendum.

15) Oppido laudabile & utile futurum, si bona & exactissima respectu morum, in bellis vehementissime turpissimeque depravatorum, politica disciplina confestim introduceretur, introducta autem rigide observaretur.

16) Proponebatur, renovationem censuum esse suscipiendam.

17) An & quomodo pecunia tributaria, (Frongeld) ante bellum Gallicum solvi consueta, rursus ad priscam revocanda sit consuetudinem, nec ne?

18) In Archisatrapia optimam esse opportunitatem, rem ovariam egregie curandi, indicabatur.

19) Nuper haud procul ab oppido Stromberga metallorum mineras, in primis plumbi argentique divites, fuisse detectas, significabatur. Id quod a rerum peritis sedulo inquirendum, atque a talium operarum cupidis ulterius procurandum esset.

20) Tandem, quemadmodum ætate Ducis Simmerensis haud pauci equuli, quos equæ in pago Hunnorum pepererunt, Lithuanicis pares habebantur, ita in silva maximam commoditatem esse ad equariam curandam, referebatur, adeo ut ex hac re non parum commodi exspectari posset x).

---

x) Eiusmodi consilia & proposita, chartis consignata, data fuere Crucenaci d. XXVII. Novembr. 1708; quæ humanissime mecum communicavit generosissimus Dn. *P. W. L. Flad.*



§ XXVI.

Verum enim vero ad magis antiqua redeamus, ulteriora incrementa civitatis & privilegia nonnulla ſpectaturi. Quemadmodum igitur, prouti modo vidimus, ætate recentiori ſerio cogitatum fuit & deliberatum, ut *Crucenacum* in priſtinum reſtitueretur ſplendorem, ita iam ab antiquiſſimis temporibus fuit longe celeberrimum, immo muris turribusque communitum. Proinde non Sponhemienſes tantum Comites, ſed poſtea Duces quoque Simmerenſes ibidem domicilium, vel potius regiam ſedem habuerunt. Nam anno 1309. oppidum noſtrum ſibimet tamquam ſedem elegerunt dicti Comites y).

Iam ante hocce tempus, nimirum anno 1279. tribus lanionum Crucenacenſium egregia nanciſcebatur privilegia, & quidem propter auxilia, quæ *Ioanni* cognomine *Claudo*, Comiti ſuo, ſub ductu ſtrenuiſſimi, ſed conflictu Genzingam inter & Sprendlingam proſtrati cuiusdam *Michaëlis Mortii*, præſtitit; ubi laniones Comitem ſuum, in minus ſecundo prælio, cum fratre *Henrico* Beckelnhemienſi & *Wernero* Archiepiſcopo Moguntino tunc commiſſo, præſertim diſſidiis gravibus de diœceſi Beckelnhemienſi exortis, ab hoſtibus undiquaque circumcinctum, adeoque tantum non captivum, e manibus hoſtium eripuerunt, licet fideliſſimi fortiſſimique ducis ſui *Michaëlis* aliorumque iacturam fecerint. *Michaël* autem, viginti Moguntinis manu ſua trucidatis & peremtis, quamvis uſu pedum fuiſſet privatus gravique abdominis vulnere prorſum exanimatus, ſeſe tamen antea dedere hoſtibus noluit, quam videret, Comitem Dominum ſuum extra teli iactum eſſe. Inde genubus innixus, quinque alios Moguntinos interfecit, &, tandem voti ſui compos factus, viſcera, quæ huc usque pileo ſuo comprimens retinuit, profundens, animam efflavit. In loco, ubi prælium conſertum, in perpetuam

---

y) Vid. b. *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 310.

petuam *Michaëlis* memoriam lapidea columna cum insculpta ipsius effigie fuit erecta; cujus fragmenta hodiedum supersunt. Ipse vero locus, nomine ipsius insignitus, etiamnum vocatur *campus Michaëlis Mortii*, *das Michel-Mord-Feld.* Ex quo facto tribus lanionum singularibus ornabatur immunitatibus. Qua de re Abbas Sponhemiensis z): *Anno Petri Abbatis nostri* XV *atrox bellum inter Wernherum Archiepiscopum Moguntinum & Iohannem Comitem de Sponheim iuxta* Gentzingen *non procul a* Sprenglingen *factum est propter castellum* Beckelnheim, *quod* Henricus *frater* Iohannis *Comitis de Sponheim eidem Archiepiscopo — — sine consensu fratris vendiderat, & ab utraque parte multi fuerunt occisi, vulnerati & capti. Inter alios fuit quidam macellarius de* Creutzennacht *dictus* Michaël Mort *vir fortis & audacissimus, qui pro parte Comitis domini sui tam fortiter contra adversarios pugnavit, ut quasi alter Maccabæus perenne sibi nomen laudis apud posteritatem promeruerit. Nam in medio hostium constitutus, a dextris & sinistris gladium vibrans, tam fortiter in illos sæviebat, ut ipse solus plures quam XX. occideret, sibique viam per medium illorum mucrone pararet. Tandem multitudine hostium superatus, ac pedibus læsus, in terram corruit, resumtisque illico viribus & stans in genibus, cum surgere non posset, se fortiter defendens ac trepide circumvibrans gladium, adhuc quinque alios prostravit, & plures e circumstantibus vulneravit. Postremo autem non habens adiutorem, cum sui partim fugere cœpissent, gloriose occubuit. In tantæ fortitudinis memoriam lapis in eodem loco erectus cum eius insculpta imagine, usque in præsentem diem cernitur. Cæterum etsi ambiguo Marte diu pugnatum fuerit, tamen victoria tandem Archiepiscopo cessit. Ibi de parte Comitis Iohannis capti sunt ab eodem Archiepiscopo omnes Rheni,* (Comites) *Comes de Liningen, Comes de Veringen, cum multis aliis nobilibus: & ipse Iohannes Comes de Sponheim equi subsidio fugiens vix evasit. Erat autem uno pede claudus, qui cum propria manu fortiter pugnaret, ab hostibus*

R 3

z) Nempe *Tritbemius* in chron. Sponh. ad an. 1279. p. 289. seqq.



bus circumvallatus & comprehensus est: Quod cernens supra dictus Michaël Mort *cum cæteris macellariis de* Creuzennacht *audacter — — super hostes irruit, & dominum suum proprio sanguine liberavit. Pro tanto beneficio Comes postea macellarios in* Creutzennacht *proprio & singulari privilegio remuneravit* a)

Audiamus & alium historicum b), rem paulo aliter & magis concisim narrantem hisce verbis: *Michaël* (Mord, lanio in Critznach) *magna corporis & animi fortitudine erat præditus. Itaque Cæsarum castra secutus, magnum sibi in militia nomen comparavit. Postea vèro in patriam reversus lanii artificium exercuit, atque honeste in* Critznach *oppido vitam transegit. Pertinebat locus ille ad ditionem Moguntinensem* c). *Accidit autem, cum Wernherus Comes a Falckenstein Moguntinensis præsul esset, ut Iohannes Comes a Spanheim ipsum bello peteret,* atque *illius diocœsim invaderet. Itaque Wernherus copias contraxit, atque hosti obviam procedere statuit. Inter suos quoque hunc* Michaëlem *habuit, qui reliquos, hostium vires formidantes, animose ad virtutes adhortatus est. Cum autem prælium iniretur, atque Episcopi res in magno periculo esset,* Michaël *ille sua sponte ad primos ordines accessit, in hostem prosyliit, atque undiquaque stragem faciendo triginta hostium sua manu confecit. Vnde illi eius fortitudinem conspicati, aliis relictis, hunc unum armis petendum duxerunt. Interea Moguntinis sese recreandi spacium datum, qui* Michaëlis *exemplo hostem aggressi, insignem victoriam adepti sunt* d). Michaël *tamen in medio hostium pugnans fortiter occubuit. Accidit ea pugna anno* 1270. e).

Wern-

---

a) Conf. idem in chron. Hirsaug. ad h. a. pag. 36. seq. & *Kremerus* l. d. pag. 156. seqq.

b) Scilicet *Henr. Pantaleonem* in prosopogr. virorum illust. German. P. II. p. m. 241. seq. edit. Basil. an. 1565. fol.

c) Hoc falsissimum esse, nemo non videt.

d) Hæc ita narrantur, quasi Michaël a partibus Moguntinorum stetisset.

e) Non an. 1270; sed an. 1279, ut supra vidimus.

Wernherus autem in huius viri memoriam laniis in Critznach *aliquot privilegia & immunitates concessit, quibus etiamnum utuntur* f). Hæc autem tribus lanionum *Crucenacensium privilegia*, quæ hodie sunt amissa, præter alia, quantum comperimus, eo constabant, ut liberum iis œnopolium, immunis pecorum invectio &c. concessa fuerint; hi vero vicissim obligati erant, equos alere, iisque vehentes, sed tantummodo bellicis temporibus, vices angariorum, quos vocant, præstare. De nonnullis aliis civium immunitatibus alibi egimus g).

Anno MCCCXLIX *Crucenacum* iure civitatis donatur. Quapropter eodem anno prima vice vocatur *oppidum* h). Iam antea videlicet anno 1303. Comites Sponhemienses in eo loco, ubi postea fuit Ducis Simmerensis & Principis Arausiaci, deinde Regis Borussici, nunc Electoris Palatini locus, castellum habuerunt i), quod adhuc anno 1393. steterat k); & quod postea Palatina Simmerensis-Arausiaca Domus propter vetustatem diruit, dirutam autem de novo exstruxit. Idem castrum, in primis montanum, privilegiis fruebatur præstantissimis; utpote quæ cum reliquis feudorum castrensium, quæ pleraque circa Simmerensem arcem iacent, iuribus atque immunitatibus RVPERTVS *Pipan* eiusque coniux ELISABETHA dicto anno 1393. confirmarunt, & quidem feria quarta ante Dominicam *Esto mihi.* Verosimiliter autem eiuscemodi privilegia concedebantur eam ob rationem, ut homines ad ædificia in hisce

---

f) Ex supra dictis probatum fuit, non Moguntinum Præsulem, sed Comitem Sponh. Ioannem talia largitum esse privilegia.

g) Supra §. XIX. p. 110. Privilegia civitatis de anno 1615. legi poterunt in Informatione facti wegen der von Kurpfalz erregten Strittigkeit, und verübten Thaetlichkeiten gegen Pfalz Simmern, litt. e).

h) Apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 322.

i) Vid. *Kremerus* l. d. pag. 369.

k) Qua de re conf. inferius §. XXVIII. num. 3.



hisce tractibus struenda aliquatenus adlicerentur, quin etiam ut viri castrenses, equestri dignitate condecorati, vel alii quoque Nobiles ad eorum invitarentur securitatem. Iura autem & privilegia, quorum pleraque hodiedum sunt sarta tectaque, feudorum castrensium, quæ *Crucenaci* tenentur, sequentibus consistunt articulis:

1) Huc pertinet oenopolium ab omni exactione vinaria liberum;

2) Libertas venandi piscandique, non in limitibus tantum *Crucenacensibus*, sed in pagis etiam villisque totius archisatrapiæ;

3) Omnia frumenta, quæ vir castellanus vendit, vectigalis expertia censentur, & pro quovis eorum medimno dumtaxat duo solvuntur denarii.

4) Omnia frumenta cum vinis, quæ in usum castellanorum advehuntur, apud telonii exactores, portis adsidentes, sunt immunia; quin immo, si necessitas postulat, consulum litteræ, vel signa vectigalis (Zollzeichen), non sunt tradenda.

5) Quod si quis materia seu lignis, ad ædificandum necessariis, in silva Sane indiget, ipsi sine pretio conceduntur, & pro iure caudiceo, quod vocant *das Stammrecht*, nihil solvere tenetur.

6) Omnes sues, quibus castellani pro familia vel oeconomia sua habent opus, in silvæ Sane quercetis, quæ glandibus abundant, gratis & sine mercede pasci queunt.

7) Hæ sedes castrenses ab omni civitatis dominatu sunt prorsum liberæ, nec ullum cum civitate rebus in iudicialibus habent negotium.

8) Vinorum omnium, quæ in castellanorum vinetis extra limites Crucenacenses proveniunt, libera est in urbem invectio.

9) Tandem, ut cetera levioris momenti taceam, castellanis quoque licitum est, vina, quæ honor & potus requirit,

(vulgo

(vulgo *Ehr* - und *Trinkwein*) pro familiis ſuis forinſecus emere.

Anno 1266. die Ceciliæ (d. XXII. Nov.) Sponhemienſium prædium clientelare inter lineam Starckenburgenſem & Crucenacenſem fuit quidem diviſum l), ſed tamen pars eiusdem maior ceſſit Crucenacenſi m). Interim reſpectu horum clientum fiduciariorum ſeu beneficiariorum anno 1286. feria quinta proxima poſt Margarethæ Virginis (d. XVIII. Iul.) novus factus eſt contractus. Tunc namque *Ioannes*, Comes Crucenacenſis, beneficiarios, qui agnato ſuo *Henrico*, Starckenburgenſi Comiti, tradebantur, a iureiurando, quo, durante dominio communi, clientes obſtricti fuerunt, abſolvit n). Inſuper anno 1301. in craſtino adſcenſionis Domini (d. VIII. Maii) ſpeciatim de caſtrenſibus Crucenacenſis lineæ feudis tranſigitur o). Rurſus eodem & ſequenti anno 1302. feria quinta poſt octavam epiphaniæ Domini, inter fratres Sponhemienſes *Simonem* III de Caſtellaun & *Ioannem* II Crucecenacenſem initum, hisce ſub legibus, ut feuda ſcilicet inter ſeſe communia ſimul poſſiderent p).

§ XXVII.

Præcedentia maiori luce ut illuſtrentur, ſubiungere ſequentia placet. Anno videlicet 1291. LVDOVICVS II, Elector Palatinus, ab *Henrico*, Comite Sponhemienſi, quidquid bonorum Cubæ, quin etiam in pagis Werth, Zell, Derſcheid & Schœnbronn habebat omnino liberum, ſibimet adquirit q). Anno 1296. Elector RVDOLPHVS I ab *Eberhardo*

l) Conf. *Kremerus* l. c. pag. 85. & 142.

m) Ibidem pag. 98.

n) Rurſus apud eumdem p. 168. & 244.

o) Ibidem pag. 280.

p) Ibidem p. 335. ſeqq. & p. 337. ſeqq.

q) Vid. *Chlingenſpergius* in deſignatione allodialium & allodialibus per conſtitutiones imperii, & iuxta Germaniæ iurisprudentiæ regulas accenſeri ſolito-



hardo, Sponh. Comite, partem caſtri *Alsheim* ſibi comparavit r). RVPERTVS I, Elector Palatinus, an. 1376. adquirit a Cunigunda Sponh. femina Comite de Reineck partem eius in *Altenburg* s). Idem an. 1377. a Comite Sponh. comparat ſibi partem eiusdem ſimiliter in dicto *Altenburg* t). An. 1388. *Simon*, Comes Sponh. eidem RVPERTO arcem *Stein* tradidit u). RVPERTVS III anno 1400. adquirit a *Conrado* Sponh. quartam partem, quam in oppidulo *Wolfſtein* habuit v). LVDOVICVS III, Elector Palatinus, an. 1422. a *Ioanne* Sponh. adeptus eſt quartam partem Sponhem. Comitatus. An. 1461. *Adolphus*, Archiepiſcopus Moguntinus, FRIDERICO I, Electori w), cedit, quidquid Eccleſia Moguntina habuit in Sponh. Comitatu, nempe *Beckelnhemium* caſtrum & villam, oppida bina *Sobernhemium* & *Monzingam*, *Nusbaum* villam, *Vlmenam* oppidum &c. An. 1462. *Carolus*, Marchio Badenſis, quidquid in Comitatu Sponh. tenuit, ſub redemtionis titulo tradidit eidem FRIDERICO. Anno 1471. idem FRIDERICVS exercitum ſuum movit adverſus Beckelnhemienſes villas maiorem & minorem, easque octava obſidionis die cepit. Deinceps eodem anno Sobernhemium, tunc eccleſiæ Moguntinæ oppidum, urbem Monzingam, pagos Merxheim & Nusbaum, caſtellum Beckeln-

---

ſolitorum, urbium, oppidorum, prædiorum urbanorum & ruſticorum, alio titulo, qui feudi maſculini nomine a Sereniſſ. Domo Electorali Palatina poſſeſſorum, emtione, donatione, teſtamento, aut alias adquiſitorum; ad dictum annum.

r) Ibidem ad dictum annum.

s) Ibidem ad an. 1376.

t) Rurſus ibidem ad an. 1377.

u) Ibidem ad an. 1388.

v) Ibidem ad memoratum an. 1400.

w) Non *Ludovico* IV, Electori Palatino, prouti legimus apud *Chlingenſpergium*.

ckelnhemium, arcem Landsbergam, oppidum Moſcheln cum arce, villam Boos &c. obſedit atque occupavit, factaque inter ipſum & LVDOVICVM, Ducem Bipontinum, concordia, concluſum fuit, ut iſta omnia caſtella, oppida & villæ perpetuo deinceps ad Palatinatus dominium pertinerent x).

Anno 1345. *Ioannes* Raugravius Electori RVDOLPHO II vendit caſtrum ſuum *Rheingrafenſtein*, illudque ab eo in feudum recipit y). An. 1349. *Hermannus* de *Sobernheim* & *Philippus* de *Cronenberg* eidem Electori caſtrum ſuum, tamquam beneficium caſtrenſe, ſubiiciunt z). Anno 1356. *Ioannes*, Comes Rhenenſis, acceptis ab Electore RVPERTO I mille florenis, ei ſubiicit arces ſuas Rheingrafenſtein, Dhaun & Grumbach. An. 1358. *Ioannes*, Sponhemienſis Comes, acceptis ab eodem Electore quinis florenorum millibus, eius fit cliens fiduciarius, & pro eadem ſumma telonium Cubanum ipſi oppignorat. An. 1503. Dominus L. B. de *Sickingen* Electori PHILIPPO ſubiicit caſtra Landſtuhl & Ebernburg. An. 1541. Dominus de *Sickingen* Electoribus Trevirenſi & LVDOVICO V. Palatino & Landgravio Haſſiæ pro indiviſo, ſicuti loquuntur, ſubiicit arces Ebernburg, Landſtuhl & Homburg, easdemque in feudum recipit a).

Anno 1454. Dux & Rectrix & conventus undecim millium Virginum Colonienſium Electori FRIDERICO I vendunt pagum Engelſtadt & reditus, quos in pagis Langenlons-

 heim,

x) Conf. idem in eodem articulo ad dictos annos. Adde, ſi placet, quæ ſupra ſcripſimus, §. V. p. 11. §. XVI. p. 51 & 52. & p. 61. ſeq. §. XVIII. num. 5. pag. 91. ſeq. num. 8. p. 93. num. 26. p. 99. nec non num. 29. pag. 101.

y) Apud eumdem *Chlingenſpergium* in deſignatione iurium territorialium, civitatum, oppidorum, villarum aliorumque locorum, libere & absque feudi nomine a Sereniſſ. Domino Carolo poſſeſſorum, ad dictum annum.

z) Ibidem ad an. 1349.

a) Ibidem ad prædictos annos.

heim, Winternheim, Schwabenheim, Hessenheim & Werstadt percipiebant b). An. 1560. Decanus & Capitulum Moguntinense FRIDERICO III Electori vendunt decimas suas Sobernhemienses. Eodem anno sub eodem Electore facta est in universo ferme Palatinatu religionis immutatio, atque omnium bonorum ecclesiasticorum occupatio, eodem FRIDERICO procurante; in cuius gratiam eiusmodi bona abdicarunt plurimi, sive ad Protestantes, sive in alias regiones, promissis annuis stipendiis, abituri; quorum bonorum hic sequitur enumeratio, & quidem speciatim in archisatrapia Crucenacensi: nimirum abbatia Sponhemiensis; abbatia Schwabenhemiensis; abbatia Laureshemiensis ordinis præmonstratensis; abbatia Kirbergensis; Capitulum Crucenacense; Prioratus, quem vocant, S. Catharinæ; Prioratus S. Ioannis c); sed cœnobium Schwabenhemiense demum anno 1570, & Sponhemiense an. 1573, exauctoratum fuit d).

An. 1247. *Mechtildis*, Domina Comes Seynensis, cessit & donavit *Ioanni Henrico*, *Simoni* & *Eberhardo*, Comitibus Sponhemiensibus, Blanckenberg castrum & oppidum cum feudis, castrum Freurberg, quatenus feudum est, castrum Seyn cum rebus eo pertinentibus, castrum Halckenrodt cum feudis, castrum Sassenburg cum beneficiis, Comitatum Hadamar, advocatiam aræ Vbiorum, sive Bonnensem e). An. 1416. *Elisa-*

---

b) Apud eumdem in design. bonorum eccles. seculari usui restitutorum, quorum Serenissimi antecessores per cessionem possidentium, aut alio quovis modo proprietatem sunt adsecuti, ad an. dictum.

c) Ibid. ad memoratos annos.

d) Vid. Vir longe celeber. *Lud. Christ. Miegius* in dem ausführl. Bericht, in den Beilagen, num. II. p. 123.

e) Conf. *Chlingensperglus* in design. feudorum hereditariorum, ditionumque & prædiorum a divisione anni 1444. in gratiam FRIDERICI Simmerensis, aut posterorum eius in feudum evectorum pure, & absque mentione lineæ

Elisabetha, Comes Sponhemiensis, donat LVDOVICO III Electori quintam partem in arce & urbe *Crucenacensi*, in castro & valle Ebernburg, in castro Arienschwang, in Castro & valle Gutenberg, in oppido Naumburg, in castro valleque Coppenstein, in castro & urbe Gemunden, in oppido Kirchberg cum universis ditionibus. Anno 1402. Stephanus, RVPERTI III Cæsaris & Electoris filius, uxore ducta *Anna*, *Friderico*, ultimo Comite Sponhemiensi & Veldentino, nata, prædictos Comitatus & alia loca quam plurima in Palatinam transtulit ditionem. An. 1373. *Cunigunda* Sponhemiensis arcem suam in pago *Weinsheim* f) RVPERTO I, Comiti Palatino concedit. An. 1376. eadem eidem partem suam in Altbeimburg oppignorat. An. 1379. WENCESLAVS Imp. donat *Elisabethæ*, RVPERTI I Electoris coniugi, partem vectigalis Vdenhemiensis. Anno 1391. *Ioannes*, Sponh. Comes, subditis & clientibus suis præcipit, ut, si ipsi Comites sine liberis masculis decesserint, filiæ suæ *Elisabethæ*, RVPERTI II Electoris sponsæ, subiiciantur, tamquam veræ ac legitimæ Dominæ; quippe quam deinceps Præfectus & viri castellani Crucenacenses semet veluti Dominam suam observaturos pollicebantur. Id quod etiam præstabant Præfecti & castellani in Kirchberg, Vianden, Castellaun & Winterburg. Anno eodem *Mechtildis* Sponhemiensis, Comes limitanea Badensis, eidem RVPERTO II cedit arcem suam Berisheim. An. 1406. *Elisabetha*, *Henrici* Comitis vidua, pagum Eich eidem oppignorat. g)

An. 1338. *Ioannes*, Comes Sponh. eiusque uxor obtulerunt *Balduino*, Archiepiscopo Trevirensi, mediam partem

neæ masculinæ concessorum, aut sequioris sexus beneficio comparatorum, & quidem ad annum 1247.

f) Vid. supra §. XVIII. p. 106. seq.

g) Apud *Chlingensperginm* in cit. design. ad dictos annos.



castri Dille, & quidquid habebant in pago Dille, Leinsheim & Dreisse, in oppido *Crucenaco*, in pago Schwabenheim, claustro Altenfeld, & Pferdenfeld, capella prope Kirchbergam, in Kirn, Winzen, Rodern, Gemünde, in molendino zu den Hecken, in Kerweiler, Dilledorf, in curia ante castrum Dille, molendino & valle &c. h). Anno 1463. *Carolus*, Marchio Badensis, cedit Electori FRIDERICO I quincuncem Sponhem. Comitatus i). In dispositione FRIDERICI I de anno 1472. *Crucenacum* tamquam pars Electoratus Palatini adscribitur Electori PHILIPPO k). Anno 1477. idem PHILIPPVS emit arcem Sobernhemiensem l). Anno 1380. *Ioannes*, Comes Sponhemiensis in gratiam Electoris RUPERTI primi m) cedit oppignorationem arcium Ladenburgensis & Steinensis, quas a Capitulo Wormatiensi traditas possidebat n) An. 1544. sub FRIDERICO II, Comite Palat. Rh. & Electore cum Archiepiscopo & Capitulo Moguntino conventio inita, qua sancitur, urbes in strata montana sitas, uti & Sobernhemium, Monzingam & Beckelnhemium, ipso Electore vivente, non esse reluendas o). An. 1573. FRIDERICVS III Elector civibus Crucenacensibus oppignorat insulam ibidem p).

Ceterum

---

h) Apud eumdem in feudorum oblatorum design. ad annum prædictum.

i) Conf. idem in feudorum emtorum design. ad an. dictum; ubi autem non recte Friderici II fit mentio.

k) Vid. *Kremerus* in der Gesch. Frid. I, & quidem in dipl. num. CLXVIII. pag. 454.

l) Apud *Chlingenspergium* l. d. ad annum memoratum.

m) Non Ruperti secundi, ut quidam falsissime scribunt. Nam is tunc temporis nondum fasces regiminis gessit.

n) Lege *Chlingenspergium* in design. feudorum pignoratitiorum, ad an. indicatum.

o) Ibidem ad an. 1544.

p) Ibid. ad dictum annum.

Ceterum hic obiter monendum eſt, *Crucenacum* circa annum MD iam fuiſſe Principum & Ducum Simmerenſium ſedem, arce nova, quæ poſtmodum Boruſſica nominata, hodie vero deiecta, inſtructam, ipſique velut adſtructam oppido. Tunc omnino civitas, quæ nunc vix ac ne vix quidem ſeptingentos cives numerat, florentiſſima fuit & frequentiſſima, ita ut mille octingentique cives in ea alerentur, ne de celeberrimis iam dicam mercatibus, quos multi peregrini negotiationis exercendæ gratia frequentare ſolebant.

§ XXVIII.

Iam contemplaturi ſumus ædificia, quippe quæ in regia, eccleſiaſtica, publica nec non civilia dividi commodiſſime queunt. Quod igitur ad regia attinet ædificia, huc potiſſimum ſpectant:

1) *Caſtrum* Romanorum antiquiſſimum, atque olim longe ſplendidiſſimum q). Hic loci ſuperioribus tantummodo ſubnectimus, nimirum Rhenenſem Comitem *Wernerum*, *Hildegardis*, Comitis Sponhemienſis, coniugem, adhuc anno MCCCXC *Oſtroburgum* cum omni iurisdictione, tributis & cenſibus atque univerſis decimis poſſediſſe. Vetuſtiſſimum iſtud caſtrum anno 893. a Normannis diruitur. De quo ſæpius laudatus ſcriptor r): *Porro Nortmanni a Bingionibus moventes exercitum caſtellum Ducis quondam S. Ruperti, quod* Oſterburgium *dicebatur, in Nagavio ſitum iuxta villam* Stauroneſum, *vulgariter* Creuzenach (alias *Crüzenach) capientes ſimili furia deſtruxerunt, omnesque in circuitu vicos in favillam redegerunt.* Hodie vero ibidem ſunt agri, liberi quidem, ſed civibus in uſum pro cenſibus quibusdam conceſſi.

2) *Palatium regium*, olim pone cœnobium S. Kiliani poſitum s). Nunc in ipſius loco ſimiliter agri, ad civitatem Crucenacenſem pertinentes, coluntur.

3) *Arx*

q) Supra §. III. p. 6. ſeq. §. IV. p. 9. §. XX. p. 111. ſeqq. §. XXII. p. 119.
r) Nempe *Trithemius* in annal. Hirsaug. Tom. I. p. 43.
s) Plura de eo dedimus ſupra §. XXI. p. 115. ſeqq. & §. XXII. p. 117. ſeqq



3) *Arx* quoque munitiſſima olim, & quidem iam ſeculo nono, *Crucenaci* conſpiciebatur, quæ vocatur *editiſſima* t). De hac arce legimus ſubſequentia: *Primo quod ipſa diſpenſatione oſtenſa, ad aliquem locum veniemus, qui nobis* (Ioanni II Comiti Sponh. & Crucenacenſi) *& predictis Epiſcopo* (Friſingenſi Emichoni,) *prepoſito* (Friſingenſis eccleſiæ Gerardo) *& Friderico* (Comiti Silveſtro, fratri Suſannæ Kyrburgenſis) *videbitur expedire, & ibi predicte* Suſanne *ſecuritatem preſtabimus ſufficientem, vel eius amicis*, quod eidem in donacionem propter nuptias aſſignabimus caſtrum noſtrum Crucenachen, *cum reditibus trecentarum marcarum denariorum Colonienſium, tribus Hallenſibus pro denario computandis, in locis vicinioribus & commodioribus ipſi caſtro pro utilitate Suſanne predicte, quos redditus una cum dicto caſtro tenebit ad tempora vite ſue, ſi nos Iohannem ſine heredibus decedere contingeret, niſi illi, ad quos de iure bona prefata devolvi debent, una cum caſtro ipſa cum tribus millibus marcarum colonienſium denariorum tribus hallenſibus pro denario cumputandis redimere velint, quod eis licebit, que tria millia marcarum, ſive bona cum eis comparata poſtmodum cum caſtro prefato ad eos devolventur, ad quos bona noſtra de iure debent pervenire. Promiſerunt inſuper predictus Epiſcopus, Prepoſitus & Fridericus Comes Silveſter tunc nobis preſtare idoneam caucionem de dandis nobis Iohanni mille marcis denariorum Colonienſium tribus Hallenſibus pro denario computandis infra unius anni ſpacium,* poſtquam dictam Suſannam Nos Iohannes legitimam duxerimus in uxorem, *quas mille marcas in certos & diſtinctos redditus converteremus, & infra eiusdem anni ſpacium pro aliis mille marcis predicte Monete redditus centum marcarum denariorum Colonienſium eiusdem monete nobis de bonis ſuis* caſtro noſtro Crucenachen *vicinioribus taliter aſſignabunt, quod ipſa Suſanna per aſſignacionem talium reddituum in porcione ſue hereditatis, que ſibi debetur ſine onere debitorum in poſterum non gravetur, quos tamen centum marcarum*

t) In chron. Gottw. l. III. p. 466. apud *Kremerum* in den dipl. Beitr. p. 112.



rum redditus prediƈtus Fridericus Comes Silveſter pro mille marcis denariorum colonenſium redimendi habebit liberam optionem u). Caſtri capellam, iam anno 1309. fundatam, & viginti medimnis grani tribusque Colonienſium denariorum marcis, ex molendino ibidem repetundis, quin etiam vini plauſtro, ex vineis dynaſtarum porrigendo, dotatam, nova Sacellani domo *Ioannes* II, Comes Sponhemienſis, anno 1330. locupletavit v). Arx iſta montana Germanice *Kauzenberg* alias *Kauſenberg*, cum ea, quæ vocatur *editiſſima*, prorſus eadem w), in bello tricennali potiſſimum celeberrima x), a Gallis anno ſuperioris ſeculi octogeſimo nono funditus deleta fuit, ita ut eius rudera hodie dumtaxat cernantur y). Idem caſtrum *Kauzenberg*, olim revera munitiſſimum, ſed a Gallis deſtructum, cum palatio, aula hortisque poſtmodum ex hereditate Arauſiaca Regi Boruſſiæ adiudicatum, modo ad Electoris Palatini cameram aulicam pertinet. Demum die X. Oct. eiusdem anni Simmerenſe palatium, a Principe & Duce *Ludovico Henrico Mauritio* de novo exſtructum, olim quoque Boruſſicum, nunc vero Palatinum, a Gallis pariter incendio conſumitur z).

§ XXIX.

---

u) Hæ litteræ datæ ſunt in Kirchberg anno Domini Mo. CCCo. IIIo. in die Katerine Virginis (25. Nov. preſentibus Rudolfo de Anſenburg, Hugone de Smideburg, Sibodone dicto Gauwere, Wilhelmo dicto Burnebach, Wilderico de Spanheim, militibus & aliis fide dignis, apud *Kremerum* in den dipl. Beitr. in den Vrkunden num. XXXIII. p. 369.

v) Idem *Kremerus* l. d. pag. 310. De hoc caſtro ſupra §. XXVI. p. 135.

w) In Gottw. chron. l. c.

x) Vid. *Zeilerus* l. d.

y) In dem Rhein. antiquar. p. m. 584. & Europ. Staats- und Reiſe-Geogr. p. 788.

z) Ibidem locis cit.

T



§ XXIX.

Aedificia regia nunc excipiunt *Ecclesiastica*, ad quæ præter alia pertinent sequentia:

1) Cœnobium cum ædicula sacra Virginum CHRISTO dicatarum, & quidem ordinis S. Benedicti ad *S. Martinum*, in monte, cui nomen inde *Martini*, *Martinsberg*, olim situm, & quidem extra oppidum, ante portam Bingensem, Brezenhemium versus, e regione muri ab ethnicis denominati a). Quando autem illud exstructum, & postea destructum fuerit, prorsus est incognitum. Regem quidem *Dagobertum Pium* templum aliquod collapsum reædificasse, cœnobiumque Crucenacense condidisse, tradunt nonnulli b); sed tamen, utrum idem cum nostro fuerit, merito dubitatur. Id enim potius fuit monasterium in insula c). Nostra ætate dictum cœnobium non nisi rudera ostentat d); quæ profecto vetustissima esse, sepulturæ in capulis sive loculis, qui e terra hodiedum eminent, & fragmenta murorum, a tempestate sensim comesa, monstrant evidentissime. Huius ædiculæ sacræ iam seculo nono mentionem invenimus. Nam inter Episcopatus Herbipolitani possessiones, a *Carolomanno*, fratre *Pipini* regis, acceptas, LVDOVICVS *Pius* anno 822. Francofurti confirmavit ecclesiam *S. Martini* in villa *Crucenacus*, in pago Wormatiensi sitam e). Similiter an. 889. ARNVLPVS Imp. præter alias ecclesias, ecclesiam quoque *S. Martini* in villa *Crucinaha*, quam cum aliis CAROLVS *Magnus* Imp. Episcopo Herbipolitano donavit, ultro stabilivit f).

Anno

---

a) De quo supra §. III. p. 6. §. XX. p. 113.

b) Nixi msc. corpore antiqq. p. m. 96.

c) Inferius in hoc §. num 5.

d) Conf. *Oliv. Legipontius* in monast. Mogunt. p. 18.

e) Vid. acta acad. Theod. Palat. Tom. I. p. 279.

f) Sic testatur *Eckardus* in hist. Franc. orient. Tom. I. p. 391. & p. 396; ubi quoque Crucenacum tamquam pagus diœcesis Wirceburg. occurrit; & Tom. II. p. 711.

2) Anno 1280. Comites Sponhemienses in salicetis ædem sacram, tamquam arcis venatoriæ, quæ ibidem steterat, capellam constituisse dicuntur; quæ postmodum propter sanctæ crucis particulas g), a cœnobio Sponhemiensi dono traditas, *Ecclesia sanctæ crucis* nominata fuit. Iuxta hoc templum, S. Nicolao dicatum, structum est monasterium; in quo quatuor eæque satis magnæ particulæ S. crucis etiamnum adservantur, quippe quæ affabre secundum morem antiquum argento circumclusæ; quarum tres superiores sex semisses seu semipedes, una vero inferior septem pollices cum dimidio longæ, sed singulæ unum dimidiumque pollicem latæ, dimidium autem pollicem densæ sunt, quemadmodum earum in ære incisa commonstrat imago. Hocce cœnobium, quod olim quoque *Nigrum* adpellabatur, anno 1570. in alios fuit usus conversum, atque ad Gymnasium Reformatorum deinceps accommodatum h). In hoc statu exstitit usque ad annum seculi superioris octogesimum nonum; quo, & quidem d. XVI. April. in Gallorum tumultu hoc templum R. R. P. P. Carmelitis calceatis traditur, cœnobium autem armata manu capitur, ita ut Gymnasii Rector *Christianus Fickeisen*, in cathedra sedens, aliique docentes ab hostibus extruderentur. Postea locum, ubi Gymnasium steterat, in hortos commutatum fuisse novimus, immo ipsa commonstrat evidentia i). Ceterum de hoc coenobio legimus: *Monasterium ordinis B. V. M. de monte Carmelo, quod post multas calamitates tandem restitutum, hodie maxime viget* k). Cœnobium autem *S. Vincenti*, iamdudum dirutum, occupant domus civiles; quæ vero monasterio ven. Carmelitarum sunt vectigales seu tributariæ.

g) De his particulis supra §. IV. p. 9. & §. XIX. p. 111.

h) Conf. celeb. *Miegius* l. d. pag. 123.

i) Infra §. XXX. & XXXVI.

k) Apud *Oliv. Legipontium* l. c. pag. 18.

3) Cœnobium & templum *S. Chiliani (Kiliani)* extra urbis mœnia ad priſcum Palatium l), oppidulum Planich m) verſus, a *Ioanne* I, Rhenenſi Comite, iam ædificatum, *Ioannes* II, Comes Sponhemienſis, pari modo atque caſtelli ſacram ædiculam an. 1332. dotavit, eique viginti medimnos grani plauſtrumque vini quotannis attribuit n). Hodie ne maceries quidem habet reliquas o); ſed ibidem ſunt agri fertiles.

4) Sacrarum Virginum S. Auguſtini cœnobium, *D. Petri* honoribus ſacrum; quod *Wernerus*, Rhenenſis Comes, Hildegardis natæ Sponh. Comitis maritus, qui hic Oſtroburgum cum iurisdictione, cenſibus omnibusque decimis poſſidebat, & adhuc circa finem ſeculi decimi tertii vivebat, haud procul ab ipſo oppido cis Navam exſtruendum curavit p), idque ſex terminis agrorum, in tribus ſitorum diverſis partibus, quarum una vocatur *die Bünde*, ſecunda *die Gehren*, tertia *die Frechen*, locupletavit. Huius cœnobii advocatiam an. 1324. ſexto idus Decembr. (d. VIII. Dec.) in ſe ſuſcepit *Ioannes* II, Sponh. Comes. Diploma ſic ſeſe habet: *Wir Graue Iohan van Spanheim verjehen Vns vffenlich an dieſem Briefe. Wanne die Ediln Lude Sifrid der Ringraue, Frauwe Margareta ſin eliche Husfrauwe, Iohan ir Son und Iunckfrau Hedewig ſine eliche Huſſfrawe vnd ire Erbin die irs gudis rehte Erbin ſint, wieder gekeufint, die Fodige die ſie den erſamen Frawin . . der Meiſterſin und dem Convente des* Cloſtirs zu Sente Peter *hant verkauft*, da wir Faut über ſin, *ſo ſoln wir uns numme vermezzen, de keiner Faudichin zu dem vorgnanten* Cloſtir *wand alſo viel Rehtis als wir hattin zu dem Cloſtir und zu* irme

l) Supra §. XX. p. 111.

m) Supra §. XVIII. p. 103. num. 33.

n) Vid. *Kremerus* l. d. pag. 310. ſeq.

o) Teſte *Oliv. Legipontio* l. c. pag. 19.

p) Apud *Kremerum* l. d. pag. 193.



irme gude wa daz is gelegin des Dagis e wand wir da worden gekorn zu eime Faude, *des soln wir sin vnverlustig. Zu eim rehtin Orkunde gebin wir disin Brief versigelt mit vnsirm Ingesigel. der ist gebin do man zalte von Gotz Geburt druzen hundirt Iar und vier und zwenzig Iar. Sexto Idus Decembris* q).

Idem cœnobium, olim notissimum, a *Wernero*, Rhenensi Comite, fundatum esse, modo vidimus. Hinc quoque Comites Rhenenses fuerunt eiusdem advocati. Ipsius nomen iam occurrit in diplomate *Ioannis* I, Comitis lineæ Crucenacensis, signato an. 1279. r); ex quo præter alia quoque discimus, illud extra urbis mœnia positum fuisse. Verum autem Rhenensis Comes *Suffridus*, *Werneri* filius, an. 1324. ius advocatiæ suæ pro sexcentis denariorum libris rursus cœnobio vendidit. Sed ipsum cœnobium statim, & quidem eodem anno *Ioannem* II, Comitem Crucenacensem, & post eum deinceps Comitem *Walramum*, *Ioannis* II successorem, an. 1340. feria quinta post festum diem S. Gregorii, sibimet advocatum elegit. Anno 1437 s) hoc monasterium, quoniam velut obsolescere, multumque ponderis, respectu dignitatis suæ & auctoritatis, decedere cœperat, permissu Papæ *Eugenii* IV cum cœnobio Schwabenhemiensi fuit quasi concorporatum; virginis autem sacræ, quarum paucæ tantum erant superstites, aliis adiunctæ sunt monasteriis. Quoniam vero memoratæ virgines ordinationem suam titulumque: *Mater und Convent zu Creuznach in der Clusen-Buben-Capell*, ulterius conservare & retinere contendebant, hinc iisdem quidam Præpositus *Hermannus* de *Battenberg* an. 1491. die *Lætare* dictum cœnobium rursus adsignavit & tradidit, quid? quod *Berthol-*

T 3 *dus*,

q) Apud eumden in den Urkunden, num. XXXIV. p. 373. seq.

r) Vid. cel. *Ioannis* in spicil. tabb. veterum, p. 473.

s) Quo anno Ioannes VI, Comes Sponhemiensis, lineæ Starckenburgensis ultimus, obiit. Conf. *Tritbemius* in chron. Sponh. p. 357.



dus, Archiepiſcopus Moguntinus, easdem die ſecunda Iunii an. 1495. ſollemni ritu in cœnobium immiſit, immo *Ioannes* V, Rhenenſis Comes, eodem anno die *Lunæ poſt Cantate* demum a ſuperiori Magiſtra, nimirum *Eliſabetha* de *Bettendorff*, advocatiam redemit, vel potius reluit. De cœnobio *S. Petri in Crucenache* mentio quoque fit alibi t). Verum enim vero conſequuta Reformatio iuribus utriusque & cœnobii & advocatiæ finem fecit, ſiquidem cœnobium a toparchis Sponhemienſibus exauctoratum fuit u). Vltima dux virginum ſeu Antiſtita, videlicet *Ottilia* (al. *Othilia*) iam anno 1568. fiſco vel ærario publico proventus addicere fuit coacta v). Aedificium, quod in eiusdem loco hodie cernitur, vocatur Arauſionenſis aula, *der Oranienhof*, quoniam MARIA, nata Princeps Arauſiaca, Ducis ultimi Simmerenſis LVDOVICI HENRICI coniux, poſtmodum vidua, tempore æſtivo ibi habitare conſuevit; quæ etiam an. 1688. ibidem vitam cum morte commutavit, ſed iuxta maritum Simmeræ quieſcit.

Sunt nonnulli, qui putant, hoc cœnobium poſt reſtitutionem, anno 1495. factam, dictum fuiſſe monacharum cœnobium *S. Catharinæ* dicatum & conſecratum, poſt reformationem vero nuncupatum *S. Catharinæ aulam*. Hoc interim certiſſimum eſt, monaſterium *S. Catharinæ* proxime ad urbem, quod quidam an. 1217. fundatum credunt, an. 1573. cum reditibus ſuis ad alios uſus tranſiiſſe w).

5) Aliud in inſula (auf dem Wœrth) cœnobium, *B. V. Mariæ* honoribus dedicatum, a *Dagoberto* Rege fundatum, in collegiatam eccleſiam ſubinde abiit, ac demum interiit x). Ceterum anno milleſimo quadringenteſimo Domina Comes ELISABETHA, *Simonis*, ultimi Comitis Sponh. & Crucenacen-

---

t) Vid. illuſt. de *Gudenus* in cod. diplom. Tom. I. p. 771.

u) Apud *Kremerum* l. c. pag. 316. ſeq. not. 292.

v) Conf. *Oliv. Legipontius* l. d. pag. 18, & celeb. *Miegius* l. c. pag. 123.

w) Apud eumdem *Miegium* l. d.

nacensis, filia, & RVPERTI *Pipanis* vidua, magnum idque splendidissimum templum in insula ædificat, ubi quoque cum patre suo sepulta iacet; cuius imago orichalcea fusa permansit ibidem integra & incolumis usque ad annum MDCCXVII; quo Domini Catholici simul istud intrare templum cœperunt. Idem templum deinceps eodem seculo decimo quinto in ecclesiam collegiatam fuit commutatum. Haud diu post, nimirum an. MCCCCL, Apostolica Papæ *Nicolai* bulla datur *Iacobo*, Archiepiscopo Trevirensi, ut retinere *parochiam de Creuzenach* propter debita archidiœcesis valeat y). Hæc ecclesia Crucenacensis habuit quoque Plebanum suum. Nam tempore *Iacobi*, Archiepiscopi Moguntini, preces primariæ fuerunt expeditæ; qua occasione preces Plebani Crucenacensis memorantur z). Insuper *Arnoldus* Comes de Salm, pastor ecclesiæ parochialis in Creuznach & Canonicus ecclesiæ cathedralis Trevirensis, an. 1506. concedit consensum presbytero & altaristæ altaris S. Catharinæ in Creuznach *Ioanni Hepp* permutandi altare suum cum *Kyliano Wynheim* clerico tamquam idoneo a). Anno 1559. omnes imagines ex hoc templo auferuntur; quod Elector LVDOVICVS VI, Electoris FRIDERICI III primogenitus, anno 1577. Evangelico-Lutheranis tradidit; sed tamen an. 1584, mutato tempore, Reformatis restitutum. Hocce egregium magnificumque templum Galli d. XVIII Octob. anno superioris seculi octogesimo nono post meredíem in cineres redegerunt; in cuius choro deinceps, ex pacto conventoque, Reformati cultu divino sunt functi. Verum autem anno seculi nostri quinquagesimo Reformati cum Catholicis contraxerunt de novo templo exstruendo, ita ut chorum modo possideant soli Catholici,

navim

---

x) Lege *Legipontium* p. 18. seq. & supra in hoc §. num. 1.

y) Obvia est hæc Bulla apud illust. de *Hontheim* in hist. Trevir. Tom. II. pag. 412.

z) Vid. ven. *Würdtwein* in subsid. dipl. Tom. III. p. 26.

a) Apud eumdem rev. *Würdtwein* in diœc. Mogunt. Tom. I. p. 98.



navim vero templi propriam nacti fuerint Reformati; quippe qui loco destructæ navis novum condere templum cœperunt d. VII. Sept. an. MDCCLXVIII b). Hoc, iamiam ingentibus sumtibus consummatum, omnia templa Reformatorum, in Palatinatu nostro exsistentia, non amplitudine solum, sed pulchritudine etiam ac magnificentia facillime antecellit. Apprime dolendum, omnia, quæ in navi veteris templi quondam obvia, corrupta hodie esse epitaphia. Verum autem in choro, aliquamdiu post Gallicum bellum templo parochiali Reformatorum, præstans superest mausoleum *Simonis* IV, Comitis Sponhemiensis, lineæ Crucenacensis postremi, cum epigraphe:

ANNO DOMINI M. CCCC. XIIII. III. CALENDAS SEPTEMBRIS OBIIT NOBILIS DOMINVS SYMON. COMES IN SPANHEIM ET VIENNE HIC SEPVLTVS. CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN c).

Idem epitaphium iam antea fuit evulgatum d).

Ad

---

b) Prouti patet ex carmine Teutonico MS. hanc in rem composito, sub tit: Die erste Nachtwache bey dem Grundstein, der zur Reformirten Kirche in Creuznach geleget.

c) Conf. acta acad. Theod. Palat. Tom. I. p. 28; ubi hæc ad illustrandam historiam subiiciuntur: „Comitatus Vienne, cuius hic fit mentio, vulgo Vianden, in Ducatu Lucelburgio situs, ad Simonem hunc pervenit matrimonio cum Maria, Gotfridi, ultimi comitis Vienn. filia, ex qua Elisabetham suscepit, Comiti Palatino Ruperto Pipan, Ruperti imp. filio primogenito, nuptam. Elisabetha hac sine prole an. 1417 defuncta, Comitatus ille ad matris eius ex sorore Adelheide nepotes, Nassaviæ Comites, transivit; quinta tantum Comitatus Spanheim. anterioris parte penes domum Palatinam tum remanente, eiusdem dono Elisabethæ, cuius res egregie nuper illustravit *Crollius* noster Bipont." Vid. supra §. VII. p. 15. seqq.

d) Nimirum ab illust. *P. W. L. Flad* in der næhern Erlæuterung des Churpfælzischen Hof- Schild- und Fahnentræger - Amts. 2. Anhang. p. 16. ed. 1753; quod autem emendatius obvium est apud eumdem in der Nachricht von *Ruperto Pipan*, §. 15. p. 29. not. d.

Ad eiusdem templi murum erecti sunt duo lapides Rhenensium Comitum sepulcrales, quorum alter *Cunradi Ryngravii de Lapide*, qui a castro suo vernacule tunc temporis *Stein*, & discriminis caussa postmodum *Rheingrafenstein* dicto, quod retro Crucenacum monti insidet, cognomentum tulit. Dies & annus mortis ex hocce monumento non certo constant. Alter lapis est *Lucardis*, quæ *Friderico* Rheni Comiti nupserat feria quinta post S. Martini an. 1420, mater deinceps facta *Godfridi* & *Lucardis*, qui cum ipsa in eamdem tumbam fuerunt illati. Quare & matris & liberorum horum effigies in ipso lapide conspiciuntur. Inscriptio verbis integris hæc est:

ANNO DOMINI MCCCCLV. XIV. DIE MENSIS AVGVSTI OBIIT NOBILIS DOMINA LVCART DE EPPENSTEIN COMITISSA RENI ET GODFRIDVS COMES RENI ET LVCART EIVS LIBERI QVORVM ANIME REQVIESCANT IN PACE AMEN e).

Insuper in eodem templo lapidi, cuius in medio herois imago conspicitur, incisum est epitaphium subsequens:

ANNO

e) In cit. act. acad. Tom. I. p. 29; ubi lapis æri incisus cernitur, simulque hæc adduntur: „Lucardis hæc insuper filium reliquit Fridericum, silvestrem in Dhun & Rheni Comitem, qui biennio post cum avunculo suo, Godfrido Domino de Eppenstein, de hereditate materna transegit. Insignia Eppensteinensia ad sinistram Lucardis. Qui ad dextram leones quatuor, iuncta Rheni & Silvestrium lineæ Dhun. Comitum insignia hodieque constituunt, in scuto quadripartito, quod hic sine partitione simplicius. Alibi leones Wildgravici tantum coronati sunt, Rhingravici nusquam. Kyrburgensis Wildgraviorum linea tribus — — — — scutum suum exornavit leonibus, qui & ipsi in Rhingravicum deinceps illati sunt. „

ANNO DOMINI MCCCCLII. OBIIT SEXTO IDVS MAII ⌽ DO. ARMIGER. DE. LEWENSTEIN. EIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN PACE.

Ab utroque latere lapidis, & quidem ad ſuperiorem partem arcuatim fabrefactam cernuntur inſignia. Deinde occurrit lapis quadratus, in cuius medio ſtatura viri armati inſculpta; ſed huius lapidis pars ſuperior, ſicut etiam utriusque lateris inſcriptio ſunt muris obducta. Alius lapis, cuius dimidia pars inferior eſt mutila & parieti incluſa, tantum oſtendit imaginem cuiusdam viraginis, procul dubio Dominæ Rheni Comitis & Silveſtris, cum mutilata hac inſcriptione:

✝ ANNO DOMINI. M. CCCC. VII. VIGESIMA. DIE. MAII. — — — — — — — — — — RQCT. IN. PACE. f)

Præter iam memorata uxoris *Domicelli Rudolfi de Leien*, an. 1408 ultima die Ianuarii defunctæ; *Hermanni Stumpp de Waldecken militis*, an. 1412 decima Kal. Oct. exſtincti; *Meynhardi de Coppenſtein* an. 1503 ſepulti, aliorumque illius ævi militum monumenta ſepulcralia eodem in templo ſervantur g).

6) Aedicula ſacra D. *Diſibodi*, ad portam Rüdeshemienſem ſtructa, quondam propria fuit Cellariæ Diſibodenbergenſi; quæ vero hodie ſub ruderibus iacet. Ad hancce olim pertinuit domus quædam, in via caſtrenſi, (Burgſtraſſe) apud forum lignarium, ſita. Ceterum Papa *Eugenius* III poſſeſſiones S. *Diſibodi* in Crucenaco confirmavit an. 1148 h).

7) Anno 1480. Cœnobium R. R. P. P. *Franciſcanorum*, S. Wolfgango dedicatum, Crucenaci fuit fundatum. Sequentia, quæ forſitan occaſionem huius monaſterii condendi dederunt,

---

f) Hæc debeo liberalitati ampliſſ. viri *Cochemii*, Conſiliarii aulici Palatini, rerum Palatinarum amatoris eximii.

g) Vid. act. acad. Pal. Tom. I. p. 29. ſeq.

h) Conf. celeb. *Ioannis* in ſpicileg. tabb. veterum p. 129.

runt, memoratu non ſunt indigna: *Oppidanus quidam* Stauronesi *de ligno pyri imaginem S. Wolffgangi Pontificis ſculpi fecerat, quam ex devotione ſuper altare in eodem loco primum, ubi fundabatur cœnobium, collocavit. Ad quam imaginem tantus brevi concurſus populorum factus eſt, ut ex oblationibus eorum ſufficientes ad ſtructuræ conſummationem provenirent impenſæ. Miracula ibidem facta recitabantur plura, quorum opinione & fama incitati per gyrum populi quotidie eleëmoſynis votivalibus concurrebant. Nec ſignorum ceſſavit opinio, quo usque Fratres de Obſervantia minores ad locum introducti, quietem amantes, & queſtum deteſtantes, imaginem depoſuerunt. Et ſic iam deinceps miracula ceſſaverunt, & concurſus populi ſucceſſive in brevi penitus defecit* i). De ipſa huiusce cœnobii fundatione rev. Abbas k) ſcribit: *Circa hæc tempora* (ſcilicet an. 1480) *fundatum cœnobium Fratrum minorum de Obſervantia in* Creutzenacht, *per Fridericum Comitem Palatinum* l). *Ducemque Bavariæ ac Comitem in Sponheim, patrem Iohannis Ducis in Siemern commorantis, cooperante oblatione fidelium. Nam civis quidam præfati oppidi* Creutzennacenſis *imaginem parvulam S. Wolffgangi de ligno ſculptam, in Capellam ſeu eccleſiam eiusdem novæ fundationis poſuit, ad quam tantus in brevi populorum concurſus fieri cepit, ac miracula prædicari, quod totum opus inceptum ex oblatione populi citiſſime fuit conſummatum. Nec miraculorum ceſſavit opinio, quousque fratres, pacis & paupertatis amatores, imaginem depoſuerunt; & tunc ceſſavit fama ſignorum, ac concurſus populorum paulatim imminutus eſt.* Anno demum MCCCCLXXXIV dicti fratres minores locum & cœno-

V 2 bium

i) Apud *Trithemium* in annal. Hirſaug. Tom. II. p. 510. ſeq.

k) Nimirum idem in chron. Sponh. p. 392.

l) Vbi bene obſervandum, hunc Fridericum, prouti mſc. Crucen. habet, non fuiſſe Fridericum I. Victor. Electorem Palatinum, iam anno 1476. facto functum.



bium inhabitare cœperunt m). Hodie quoque ſuo in flore viget, quoniam opibus caret, ita:

Cantabat vacuus coram latrone viator n).

8) Anno 1622. templum Evangelico-Lutheranorum, Sereniſſimo Electore Saxonico, apud Cæſarem Romani imperii ſemper Auguſtum intercedente, fundatum fuiſſe, conſtat. Recentiora de hoc templo eiusque cœtu lecturos aliorſum ablegare o) non dubitamus.

§ XXX.

Hæc ſequuntur alia ædificia publica, quibus merito novum *Gymnaſium* Reformatorum accenſemus. Reformatos olim Gymnaſium ſuum in cœnobio R. R. Carmelitarum habuiſſe, modo p) vidimus. Idem quondam celeberrimum reddidit *Georgius Sabellicus*, vulgo *Fauſtus iunior* & *præſtigiator* dictus, antea familiæ Franciſci de Sickingen informator, poſtmodum autem ab eodem Franciſco Rector Scholæ commendatus q). In bello tricennali Muſas ſedem ſuam reliquiſſe, ſcholamque fuiſſe deſertam, nemo non ignorat. Verum autem, quum poſt pacificationem Weſtphalicam Palatinatus legitimo ſuo Domino reſtitueretur, non ſolum de ſchola Teutonica, ſed etiam

m) Vid. *Tritbemius* in chr. Sponh. p. 397.

n) Hæc verba ſunt *Ol. Legipontii* l. c. pag. 18.

o) V. g. ad *Struvium* in der Churpfælz. Kirchengeſch. p. 734. 736. ſq. 750. 757. ſeq. 884. & 1173; quem hinc inde cum teſtibus ſuis alucinantem confutavit *Io. Wilh. Wiſſenbachius* in dem Sendſchr. gegen des *Schloſſers* und *Dehns* Wahrheit- Vnſchuld - und Ehrenrettung p. 110. ſeqq.

p) Supra §. XXIX. num. 2. p. 147.

q) Conf. *Tritbemius* in Epp. famil. Tomo II. opp. hiſt. ſubiunctis, lib. II. p. 560. infra de eruditis §. XLV. lit. S. Huius Gymnaſiii iam fit mentio in der geſchr. Ordnung der Kirchen - Güther Verwaltung de anno 1576.

etiam de Latina Crucenacensi, & quidem in pactione inter Electorem Palatinum & Marchionem Badensem Ratisbonæ an. 1653. facta, transactum fuit, ut interim constituto Latinæ scholæ præceptori salarium Conrectoris exhiberetur. Atque in pacto de anno 1661. legitur: *Dass auf die Bestell- und Salarirung noch eines Lateinischen præceptoris gedacht werden solle*; ita ut tali ratione hoc Gymnasium iam tunc rursus inceperit florere, atque ævo *C. L. Tolneri*, istud frequentantis, prospere floreret r).

Verum enim vero priscum istud Gymnasium Galli anno Seculi superioris octogesimo nono d. XIV April. tradiderunt P. P. Carmelitis, illud in hortos & plantaria convertentibus s). Quo facto, per aliquot annos publicis scholis caruerunt Reformati, partim in veteri, partim in novo oppido scholas domesticas, adeoque a semet invicem disiunctas, aperire coacti. Tandem ineunte hoc seculo nostro, novum ædificium, Musarum cultoribus destinatum, exstrui cœpit, in platea, quæ vulgo vocatur *die Klappergass*, ad Navam ulteriorem, ex adverso templi in insula stantis; pulcherrimi sane prospectus ædificium; unde e longinquo valles, montes aliaque loca peramœna spectari queunt. Hoc Gymnasium denuo sub clementissimis auspiciis Serenissimorum & Celsissimorum Principum IOANNIS WILHELMI, Electoris Archipalatini, & LVDOVICI, Marchionis Badensis, qui tunc temporis communi civitatem adhuc dominio tenuerunt, die X. Septemb. anno MDCCVI publice fuit inauguratum, & quidem a clariss. *Iacobo Daniele Humberto*, Francothalio, V. D. M. Gymnasii Heidelbergensis, tunc Crucenacensis, vocato & designato Moderatore & Rectore t). Qua occasione

 pane-

---

r) Quod monuit Vir ampliss. *P. W. L. Flad* in den Carlsruh. Beitr. vol. I. p. 203.

s) Supra §. XXIX. num. 2. p. 147. & infra §. XXXVI.

t) Vid. Gymn. Heidelberg. passim, & infra de litteratis §. XLVII.

panegyrici Græcus & Latini, soluto ligatoque stilo scripti, Germanici item heroico carmine compositi, fuerunt sollemniter habiti. Tunc in oratione Græca *Ioan. Nicol. Kolbius*, Wœllsteniensis, postea pastor Sprendlingensis, tandem Inspector Kirchbergensis, ostendit, optimum vitæ genus eligendum esse. In Latinis autem orationibus soluto stilo scriptis *Iosias Ochsnerus* u), Heidelbergensis, miserrimam descripsit Pædagogorum fortunam, & aliam artem amplectendam merito suasit. *Ioan. Conradus Roos*, Crucenacensis, munus scholasticum laudibus extulit, nihilque maius & melius in Rempublicam conferri posse, quam si iuventus institutis præceptisque bonarum artium erudiatur, exquisitis confirmavit rationibus. *Iacobus Humbertus* v), Heidelbergensis, demonstravit atque ostendit, studium Latinæ linguæ non intermittendum, sed in scholis retinendum esse. *Philip. Petrus Sixtus* w), Crucenacensis, monstravit ea, quæ in Logicis nullum, vel exiguum omnino fructum utilitatis præbent. *Christop. Henricus Dahn*, Meisenhemio-Bipontinus, oratoriæ cancellos circumdedit, ut ne in odiosam garrulitatem evagetur. In heroico carmine Latino *Georg. Petrus Sües*, Crucenacensis, verum poëtarum nomen etiam illis addidit, qui vel historias, vel res naturales, vel alia veritate nixa carmine decantant. In panegyrico Germanico ligata oratione conscripto modo memoratus *Kolbius*, *Ioan. Andr. Steinerus*, Wonshemiensis, *Ioan. Nicolaus Kern* x), Woellsteniensis, *Ioan. Christi. Geneff*, Cru-

---

u) Filius *Danielis*, primum præceptoris Heidelb. postea Conrectoris Crucenacensis. Vid. Gymn. Heidelb. spicil. IV. p. 25.

v) *Iacobi Danielis* filius.

w) *Wolfg. Christophori* filius, postea pastor in oppidulo Altona Comitatus Marchici; ubi etiam diem supremum obiit, unico relicto filio, Borussico Consiliario aulico in Principatu Mœrsensi.

x) Postea Conrector, tandem Rector Gymnasii Heidelb., vid. Gymn. Heidelb. §. 18.

Crucenacensis, externam Gymnasii faciem descripserunt, & simul, addito omnigenæ felicitatis voto, enarrarunt, quibus artibus ad humanitatem puerilis ætas in eo informetur. In heroico carmine Germanica lingua exarato *Iohan. Wilhelmus Schlöer*, Langenlonshemiensis, *Phil. Petrus Womrad*, Baccharacensis, *Phil. Iulius Wensinger*, Crucenacensis, *Crucenacum*, urbem patriæ ornatissimam, laudaverunt. His præmissis, præter eos, quorum adsidui labores decorati præmiis, alii ad studiosorum dignitatem & lectionum academicarum auditiones promoti fuerunt; inter quos *Aug. Fridericus Fuchs*, Monzingensis, suo ipsius ceterorumque ad lectiones publicas promotorum nomine, pro beneficiis, in se, tamquam Gymnasii cives, collatis, gratias egit. Post ipsum denique promotionis actum *Georg. Emericus Bender*, Labenhemiensis, prolixe promisit de officiis & observantia, qua Gymnasium spectatissimos colet auditores, quorum singularem erga oratores benevolentiam perspexit, & precibus a Deo immortali petiit, ut Serenissimos patriæ Patres, quorum præsidio schola floreat, clementer conservare velit.

Hæc omnia deinceps typis fuere promulgata sub titulo: Panegyrici Græcus & Latini, oratione pedestri & numeris adstricta scripti, Germanici item heroico carmine compositi, quibus Gymnasium Crucenacense IV. id. Septemb. CIↃ IↃ CCVI. initiatum est, a scholastica iuventute in Gymnasii auditorio maiore recitati, Francofurti, typis *Antonii Heinscheiti*, in 4. Hæc prænobilissimis & excellentissimis Dominis, Dn. *Ioan. Michaeli Ottoni*, Serenissimi Principis Electoris Palatini Consiliario, & præfecturæ Crucenacensis Præsidi gravissimo, Dn. *Antonio Colson*, Serenissimi Principis Badensis præfecturæ Crucenac. Præsidi gravissimo, Dn. *Philippo Petro Flad*, Serenissimi Principis Electoris Palatini Consiliario Cameræ gravissimo, Dominis & Patronis suis summa observantia colendis; admodum reverendis & clarissimis Dominis, Dn. *Philippo Hieronymo Andreæ*, Ecclesiæ Evangelico-reformatæ Crucenacensis Pastori disertissimo & vicinarum Inspectori vigilantis-

lantis-

lantiſſimo, Dn. *Wolffgango Chriſtophoro Sixto*, eccleſiæ Evangelico-reformatæ Crucenacenſis Paſtori diſertiſſimo, fautoribus & fratribus ſuis in CHRISTO venerandis; Dn. *Danieli Ochsnero*, Gymnaſii Crucenacenſis Conrectori, Dn. *Ioan. Iacobo Piſcatori*, Gymnaſii Collegæ, Dn. *Ioan. Adamo Fabro*, Gymn. Collegæ, amicis & fautoribus ſuis honorandis D. D. D. *Iacobus Daniel Humbertus.* Litteræ dedicatoriæ ſcriptæ ſunt in carmine Lat. heroico. Poſt has ſequitur programma in carmine elegiaco Romano concinnatum. Supra fores introitus huius Gymnaſii ſequens aureis in tabula nigra adſcriptis litteris inſcriptum legitur tetraſtichon:

Hæc tibi ſancta domus, tradit, ſtudioſa Iuventus,
Dogmata, quæ clare Pagina ſancta docet.
Heic Latii diſces, Graiumque Solymæque loquelas,
Artes præclari Pegaſidumque chori.

In fine prædicti libelli, paginas octoginta complentis, a p. 69 & ſeqq. ſequuntur nonnulla Gymnaſii elogia, ex quibus tantummodo primum, in ode alcaica conſcriptum, ſubiicimus:

Felicitatis nunc numeros habet
Vrbs noſtra cunctos, dummodo Martia
Nos bella non quandoque turbent,
Triſtitiaque premant gementes.
Verbis Iehovæ, queis alitur pia
Mens & levatur, ſancta ſonant loca:
Et curiæ laus eſt perennis,
Quæ ſacra iura fidelis ardet.
Nunc poſt labores, quos Schola diſtrahit,
Dum Doctor illic, hic alius docet,
Urbs nobilis, cernis palæſtram,
Qua tua clara capit Iuventus.
Cernunt euntes ad venerabile
Templum Lyceum trans fluvium vagum,
De Ponte cernunt pulchra tecta,
Quæ cumulant decus urbis amplæ.

Præ-

Præstantius sed iam modo senties,
Si, chare, portas, hospes, inire vis,
Illosque cernis, qui labore
Artibus instituuntur almis.
Cultus verendus traditur optimis
Gnatis, & ipsis regula ponitur
Divina, qua vitam reforment,
Atque Polum meditentur usque.
Monstratur ordo nobilis artium:
Disponit acrem iam Dialectica
Mentem; docet iam verba fari
Rhetorices tropus & figura.
Sermo Latinus, Græcus, Hebraicus
Adducit omnes ad sapientiam
Miram: quod illis continetur
Vocibus, utilitate fulget.
Laudata, flore temporibus, Schola,
Cunctis, benigni præsidio DEI
Persta, laborem perfer alma,
Et Patriæ bona multa redde y)!

Antea docuerunt in eodem Gymnasio quatuor Collegæ; sed anno seculi nostri septuagesimo nono d. VIII Febr. post obitum Conrectoris *Ioan. Sebast. Lohrbacheri* binæ eiusdem classes sublatæ fuerunt, aliisque coniunctæ, vel potius insertæ, salario Conrectoris inter tres Docentes diviso z). Hoc Gymnasium olim, immo adhuc eo tempore, quo lectionibus eius intereram, omnino fuit frequentissimum. Nam tunc temporis,

y) *Iac. Richteri* aliorumque elogia taceo. De reliquo in hoc scripto, quantum ad historiam patriam, speciatim in orat. de ipso oppido nihil memorabile habetur.

a) Vid. der Evang. Reform. æusserl. Kirchenverfassung p. 63. 71. 72 & 83.

poris, quo Gymnaſii Albo nomen meum inſcribendum dederam, centum & viginti numerabantur diſcipuli. Me vero Muſis Crucenacenſibus valedicente, atque ſub moderamine plurimum reverendi & clariſſimi Rectoris *Ioannis Melchioris Brünings*, qui me ſemper dilectiſſimi filii loco habuit, & cuius pios Manes pie deveneror, atque ad ultimum vitæ halitum usque ſum deveneraturus, ad lectiones academicas rite legitimeque promoto, adhuc octoginta Lycei cives fuerunt ſuperſtites. Poſt ſeptennium autem numerus iuventutis ſcholaſticæ decreverat usque ad quadragenarium, & quidem, quod mirum, ſub iisdem, quibus antea, ſcholarum Doctoribus diligentiſſimis. Longiſſime igitur a veritatis tramite deerrant nonnulli novaturientes, in rebus ſcholaſticis minus verſati atque in litteratura priſca ſtudioque philologico prorſus peregrini & hoſpites, qui ſtatim, præoccupatis opinionibus abrepti, totam ſcholarum decreſcentium culpam, aliis rerum potiorum circumſtantiis minime ſpectatis, in ipſos docentes temere coniiciunt. Hi titillantur *Senecæ* dicto: *Grata rerum novitas*, aut illo vatis Peligni:

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.

Laudatum Gymnaſium hodie eadem cum aliis Reformatorum in Palatinatu fata habet, quoniam dignitas Gymnaſiorum, a Sereniſſimis & Potentiſſimis Electoribus fundatorum, vilipenditur, quoniam angulares ſcholæ, in quibus vera litteratura deformatur, paſſim a ſciolis ultra peram ſapientibus fidenter aperiuntur. Tandem, quid proſint, quid obſint eiuscemodi ludi, qui charitatis humanæ nomen falſiſſime præ ſe ferunt, omnes, quibus e meliori luto Titan præcordia formavit, non ignorant. Saltim ex iſtis, tamquam equulo quodam Troiano, nondum Græculi tirunculi, ne dicam Græculi tirones militesque proſiluerunt, in arenam deſcenſuri. Hic mihi campus de rebus falſo meritoque ſuſpectis ingenue vereque dicendi pateret ampliſſimus; ſed, ne a ſcopo noſtro aberremus, in viam regredimur.

Inte-

Interim Crucenacensibus meis non suaderem, ut, cristas tollentes, animis efferrentur, & quidem propter subdolas loquacesque palpatoris cuiusdam publici, sed in angulo suspensa manu timidoque animo latitantis, blanditias a). Verum autem optime certissimeque scio, Crucenacenses multo prudentiores esse, meliusque sapere, quin immo quælibet huiusce farinæ blandimenta ridere floccique facere.

Sed ad historiam! Anno seculi superioris octogesimo quinto, ante vastatam urbem rerumque metamorphosin in Gymnasio Crucenacensi docuerunt *Christianus Fickeisen*, Rector, d. VII. Iulii an. 1701 defunctus; *Ioan. Rudolphus Bœllmann*, Conrector, & *Ioan. Iacobus Piscator*, Præceptor b). Ceterum de aliqua Docentium serie loco suo pluribus c).

Præterea Navam adscendentibus duæ salinæ, quadrantem ab oppido dissitæ horam, occurrunt, & quidem altera

 cis

a) Hic palpator in ista miseranda subfarraneorum magis miserandorum farragine demonstravit evidentissime, se ne primum quidem templi philosophici limen intravisse. Nam a particulari ad universale concludit. Ex puris particularibus eruit ratiocinia. Ostendit, se ne minimos veri gravisque & solidi historici characteres nosse. Declaravit, se historiæ patriæ non ecclesiasticæ tantum, sed & politicæ ac litterariæ prorsus ignarum esse. Nam veritatem conspurcant tot mendacia, tot superflua, tot superficiaria, tot convitia, tot aculeata dicteria, tot blandimenta, multo sale insontes defricantia. Tandem patescit, eum in rebus scholasticis inque artibus ad eas pertinentibus, apprime rudem esse. Exemplo erit der Verfasser der Religionsbeschwerden in der Vnterpfalz, si eiusmodi conscribillantes in historicis citare liceat, pag. 228. seqq. Quæ in den Rhein. Beitr. zur Gelehrsamk. VI. Heft vom Brachmonat, 1781. pag. 515. & 518. in not. monentur, bene vereque monentur.

b) Conf. das geschrieb. Verzeichnüß der Pfar. &c. so an. 1685. in Kurpfalz gewesen.

c) Nimirum infra §. penult.

cis fluvium, *Caroli porticus*, *Carls-hall*, anno 1729; altera vero ultra flumen, *Theodori porticus*, *Theodors-hall*, nuncupata, an. 1743 erecta d). Crucenacensium saliferi fontes alibi quoque merito laudantur e).

Insuper hic etiam memorari meretur novum archisatrapiæ ædificium, ubi Archisatrapa reliquique sibimet adiuncti iudices ius dicunt, & omnia, civium attinentia salutem, ordinare solent & constituere.

Hic loci non est prætereunda Domus, Cellario Principali destinata, quæ quondam Rhenensibus propria fuit Comitibus.

Huc etiam referri potest antiqua Iudæorum Synagoga; quæ vero sumtibus ipsorum postea recens exstructa, nunc primaria est totius Palatinatus, in oppido veteri sita, haud procul a porta molari.

Tandem etiam area reperitur, in qua quondam domus tertii Reformatorum Pastoris steterat, & quidem in vico, qui vulgo vocatur *die Klappergaß*.

Præter bona & prædia, ad Cameram Electoralem ipsamque pertinentia civitatem, sunt quoque varia aliorum prædia & peculia; de quibus suo loco f).

§. XXXI.

Iam civilia ædificia & loca, ad ipsam civitatem spectantia, restant; quibus hodiedum accensentur subsequentia:

1) Curia, iustitiæ sedes, in ovorum foro splendide structa, cum archigrammatei domicilio, cum oppidana farinarum, carnium & butyrorum libra.

2) Tres

d) Conf. infra §. XXXIX.

e) Nimirum a plurimum ven. & celeber. *Ioanne Schwab* in diss. cui tit. Salia in ordinem system. redacta §. XII. p. 38. (Heidelb. 1780. 8.)

f) Rursus infra §. cit.

2) Tres domus, ubi pecunia, propter vias tritas terendasque solvenda, solvitur, ad tres diversas oppidi partes positæ g).

Civilia autem vel oppidana extra plateas publicas loca sunt:

1) Ovorum, olerum & institorum forum, in oppido novo.

2) Similiter in eodem oppido piscium forum, ante pharmacopolium iuxta cœnobium P. P. Carmelitarum.

3) Halopolium sive forum salinarium, ubi sal venditur.

4) Forum lignarium, itidem in urbe nova.

5) In oppido prisco forum porcinum seu suillum, & quidem in molarum platea.

6) Frumentorum, farinæ pecorumque forum, pariter in oppido veteri. Hac occasione notandum, primum pecorum mercatum fuisse die secunda Decembr. anni 1710. frequentatum.


7) Lanioniarum mensarum ædificium, hodie vero destructum.

8) Domuscula, ubi viarum pecunia, quam adpellitant, quondam exigebatur; sed deinceps alios in usus vendita.

9) Iam adhuc, præter duas portulas, quatuor apertæ supersunt portæ, nimirum in urbe veteri *Hackenhemiensis* & *Molaris*, in novo autem oppido *Rüdeshemiensis* & *Bingensis*. Præter portas vero modo dictas duæ reliquæ portæ, in compitis (in der *Kreuzstrasse*) olim patentes, nunc muris sunt obstructæ. Ingens siphonibus instructus fons in foro frumentario quondam fuit spectatu dignissimus; sed hodie tantum asseres lignei, quibus circumcluditur, supersunt h).

g) De ceteris infra §. cit.

h) Ibidem.

§. XXXII.

Nunc ex ordine nobis consueto nonnulla indicabimus miscella, certo haud indigna, quæ hic loci in memoriam revocentur. Vrbi videlicet nostræ non est dedecori, quod Imperatores, Reges, Electores, Duces, Principes, aliique viri maxime illustres, ibi quondam fuerint aliquamdiu commorati, quin etiam diplomata subsignaverint i). Sic iam anno DCCCXIX k) LVDOVICVS *Pius* Imperator *Crucenacum* præsentia sua cohonestavit l). Idem Imperator anno DCCCXXXIX m) ibidem sæpius venatum iverat, ibidemque tam diu hæserat, dum ipsius nuntii, in Bavariam ablegati, mandatumque ad filium LVDOVICVM habentes, redirent. Postmodum autem iter suum ulterius direxit, scilicet ad Mosellam & silvam Ardennam. Nam *in Cruciniaco castro sese in venationibus alacriter exercendo, missorum in Boioariam directorum reditum statuit operiri* n).

Anno 1432. Monachi sive fratres cœnobii Sponhemiensis, iussu *Ioannis*, Comitis Sponhem. ultimi, conveniunt *Crucenaci*, *Gobelinum* o) ut ibidem Abbatem suum nuncuparent. Id quod autem, aliquantisper tergiversantes, tandem inviti fecerunt. Rem omnem Abbas Sponh. p) fusius enarrat hisce verbis: *Mox ut Iohannes Comes — — abbatem esse defunctum audivit, ad monasterium personaliter una cum Comite Veldentiæ accessit, & fratribus, ne sine eius præsentia, consensu & voluntate*

---

i) Supra §. XXI. pag. 115. seqq. & §. XXII. p. 117. seq.

k) Alii DCCCXVIII.

l) Vid. *Tolnerus* in hist. Palat. p. 60. & *Heumannus* de re diplom. Tom. I. p. 249.

m) Non, uti alii, DCCCXXXVIII.

n) Conf. annal. Bertin. Tom. VI. p. 203. apud *Kremerum* in dem Rhein. Franz. p. 369; addatur *Heumannus* l. d. pag. 257.

o) De quo pluribus infra de eruditis §. XLV. litt. I.

p) Nempe *Tritbemius* in chron. Sponh. p. 354. seq.

tate novum abbatem eligerent, districta prohibitione interdixit: quod forsitan non fecisset, si obitus defuncti abbatis a casu ad eius notitiam tam subito non fuisset perlatus, quod ita contigisse memoriæ traditum est. In ipsa hora, quando pro defuncto abbate campanarum hic in monasterio fiebat compulsus, contigit a casu ipsum Comitem cum satellitibus suis de Winterburg *versus* Creutzenacht *coeptum continuare iter, atque sub ipsa compulsatione non procul a monasterio rusticum habere obvium, qui interrogatus ab ipso, quid pulsus ille campanarum insolita hora prætenderet, abbatem respondet esse mortuum; quo Comes audito, mox ab itinere declinans monasterium intravit, prohibitionem — contra iustitiam & privilegium monasterii fecit, constituens Fratribus diem pro electione novi pastoris ad oppidum* Creutzenacht *tertium immediate sequentem, quæ fuit dies sanctorum martyrum Abdon & Sennes,* III *videlicet cal. Augusti. Habebat autem Comes monachum quendam Cisterciensis ordinis, de monasterio S. Disibodi secum nomine* Gobelinum, *hominem astutum & curialem, quem plurimum diligebat, eratque apud eum in magno precio, interque secretarios primus. Hunc ergo monachum nacta opportunitate, pro eius in se fidelitate cupiens honorare, promovere in abbatem huius monasterii summopere laborabat; cui fratres, propter pravos eorum mores & vitæ dissolutionem, contradicere non audebant. Itaque adveniente termino pro electione statuto, monachi huius cœnobii necessitate compulsi, ad* Creutzenacht — *venerunt. Adunatis autem illis in curia Comitis, ipso & Comite Veldentiæ cum quibusdam aliis præsentibus, Comes de Sponheim in hunc modum fuit exorsus:* Non æstimetis, Domini Fratres, propterea quod evocaverim vos in hunc locum pro novi abbatis electione, me aut hostem vestrum esse, aut monasterii vestri invasorem: Ego enim tanquam Advocatus & tutor atque defensor vestri monasteriique fidelis, maxime cupio videre profectum vestrum tam in conversatione spirituali, quam etiam in substantia rerum temporalium; neque monasterium, quod progenitores mei ad honorem Dei construxerunt, ego ullatenus destruere velle, sed potius in

omni-

omnibus ad meliora provehere ſecundum vires meas credendus ſum. Cum ergo monaſterium veſtrum Sponheimenſe iam a multis annis in utroque ſtatu notabiliter defecerit, opus eſt certe, ſi debeat reduci ad priſtinam inſtitutionem, viro ſapiente in multisque experto, & qui velit & poſſit vobis utiliter præſedere. Habeo virum penes me, notum vobis, prudentem & expertum, dominum *Gobelinum*, quem ut in abbatem vobis eligatis ſuadeo & rogo, ſcio enim, quod per eius ſapientiam & induſtriam ſtatus monaſterii veſtri in melius reducetur. *Quibus auditis fratres ſubito nimium conſternati ſunt, & quid agerent, penitus ignorarunt. Verum poſt multa tandem conſilia, poſt multas preces in contrarium Comiti porrectas, cum nihil omnino proficerent, conſilio Comitis de Veldentia & aliorum, qui animum Comitis noſtri ſciebant non eſſe a coepto flexibilem, acquieſcentes, ne quid eis deterius contingeret, (ſicut veriſimili coniectura ex minis elici poterat) inviti conſentientes, ipſum* Gobelinum *taliter qualiter in abbatem ſuum elegerunt. Electus eſt ergo, quamvis alterius ordinis* Gobelinus *in abbatem huius cœnobii Sponheimenſis* XIX *anno prænotato Domini* MCCCCXXXII. *indictione* X. *penultima die menſis Iulii, confirmatusque a Conrado Archiepiſcopo Moguntino, & per eius in Pontificalibus Vicarium in die S. Laurentii martyris ordinatus.*

Anno 1435. menſe Decemb. Abbas S. Matthiæ Trevirenſis *Crucenacum* venit, ubi pacem & concordiam inter abbatem *Gobelinum* & conventum, prouti potuit, feliciter compoſuit, auctoritate concilii Baſilienſis & totius Capituli provincialis ſuffultus. *Huius viſitationis, computationis & compoſitionis expenſæ ſolum in* Creutzenacht, *ſummam L. florenorum (ut ex regiſtris procuratorum invenimus) exceſſerunt, & tamen nullus aut parvus proventus inde provenit* q).

Anno 1448. *Bernardus*, Abbas Sponhemienſis, *Meinhardum* de *Coppenſtein* coram Principum advocatis, (Vogten, Fauthen)

q) Sunt verba eiusdem *Tritbemii* ibid. p. 357.

then) nimirum *Friderico* de *Lerenstein* & *Ioanne* de *Wachenheim*, congregatis *Crucenaci*, convenit r).

An. 1491. magnam inter PHILIPPVM, Electorem Palatinum, & ecclesiam Moguntinam fuisse dissensionem exortam, Abbas Sponhemiensis s) hisce verbis testatur: *Bingiones mandato Dominorum suorum obtemperantes, vias publicas & pontem super* Naham *fluvium ab utraque parte circa leprosorium & monasterium S. Ruperti, aliquando in die, semper autem in nocte claudere volebant ad nutum eorum, ne quis equester inde sine eorum consensu pertransiret. Quod cum illustrissimus Princeps* PHILIPPVS *Palatinus nequaquam tolerare aut posset aut vellet (quippe quod nunciis tam suis, quam imperialibus iter omni tempore necessario tueretur apertum) mandassetque Bingionibus semel & iterum, quatenus pontes & vias per illum ad ascensum & decensum necessarias, omni tempore non præcluderent, oppidum autem suum quanta vellent clausura munirent, & illi non adverterent, tale remedium adhibuit. Habebat præfectum in* Creutzenacht *(quem vulgus Officiatum appellat)* Albertum Goler de Rauenspurg, *Suevum natione, consilio & armis promptum virum, ad omnia pericula audacissimum, & singulari sapientia & industria præditum, per quem Bingios cum adhærentibus sine armorum strepitu magno ad obedientiam coartavit.* &c.

An. 1508. MAXIMILIANVS, Rex Romanorum, ab urbe Boppardia Rheno adscendens, per biduum in oppidis Simmera & *Crucenaco* permansit t).

An. 1523. in fine m. April. LVDOVICVS, Elector Palatinus & Dux Bavariæ, *Reichardus*, Archiepiscopus & Elector Trevirensis, nec non *Philippus*, Hassiæ Landgravius, bellum adversus *Franciscum* L. B. de *Sickingen*, heroëm illum fama mul-

r) Idem *Tritbemius* ibid. pag. 365.

s) Rursus idem ibid. pag. 403.

t) Idem in annal. Hirsaug. Tom. II. p. 638. seq.

multis in oris celebratiſſimum, geſturi, *Crucenaci* fuerunt, ibidem de expeditione ſua deliberantes, copiasque ſuas undique contrahentes u).

An. 1592. *Richardus*, Dux Simmerenſis, mandata contra FRIDERICVM IV, Electorem Palatinum, adſigenda *Crucenaci* curavit v).

Haud procul a *Crucenaco*, videlicet in via prætoria, Alceiam ferente, cerni hodiedum licet monumentum, quod vulgo dicitur *Palatini Saltus*, *der Pfalzſprung*; ubi modo laudatus Elector FRIDERICVS IV, tamquam maxime egregius eques, equo inſidens generoſo & velociſſimo, anno 1603. trans foſſam, viginti ſeptem pedes latam, feliciter tranſilivit. In perpetuam huiusce rei memoriam ibidem ſtatutum fuit monu-

---

u) Vid. Caſp. *Sturmius Erenbold*, dictus *Deutſchland*; in dem Bericht, wie von den dreyen Churfürſten, naemlich Trier, Pfalz und Heſſen, Weyland Franz von Sickingen überzogen &c. apud *Io. Nic. Weislingerum* in *Hutteno* delarvato, cap. VIII. §. 14. p. 414 & 415; in den Beitr. zur Sittenlehre &c. und Geſch. aus den Weſtlichen Gegenden Teutſchlandes, 1. St. p. 112, ſeqq. De eodem bello Sickingano agit *Hub. Thomas Leodius* in vita Friderici II, Elect. Palat. p. 87. ſeq. & *Io. David. Koehlerus* in der Teutſch. Reichs-hiſt. p. m. 420; conf. quoque der Teutſche Mercur de an. 1779, zweites Viertel Iahr, p. 63; ubi num. III. p. 36-72. egregia celeberr. *Io. Ge. Meuſelii* diſſertatio de vita Franciſci de Sickingen obvia eſt. Id quod etiam optime obſervavit amicus meus ſummopere venerandus *B. F. Hummelius* in libro, cui tit. Bellum Sickinganum, & quidem vol. II. novæ ſuæ biblioth. rariorum librorum, p. 56. Hac de re plura dedimus in comment. hiſt. de Oppenhemio, §. XXXVII. pag. 140. ſeq. lit. E.

v) Conf. Wiederantwortliches Schreiben Friderichs Churfürſten an die Kayſ. Maieſt. betreffend Hertzog Reicharts geſuchte Curatel, d. d. XXII. Mart. 1592; quod ex mſc. humaniſſime mecum communicavit meus modo laudatus *Hummelius*.



monnmentum; quod confiftit ex duobus in altitudinem erectis lapidibus, quorum alter in principio faltus fuscepti pofitus eft, in latere feptentrionem verfus hanc habens infcriptionem:

ANNO SALVTIS
MDCIII
IIII DIE MARTII.

Sed in latere occidentem verfus fequentem:

FRIDERIC. IIII. COM.
PALAT. ELECT.
DVX BAVAR. ETC.
AB HOC LAPIDE
AD INFERIOREM
FORTVNANTE DEO
SALTAVIT EQVO.

In latere meridiem verfus infculptus eft equus, faltum inchoans & perficiens. In latere ad orientem infignia Palatina confpiciuntur. Alter lapis, in meta perfecti faltus collocatus, in latere feptentrionali hanc oftendit epigraphen:

ANNO SALVTIS
MDCIII
IIII DIE MARTII

Atque in latere occidentali hæc leguntur:

FRIDERIC. IIII. COM.
PALAT. ELECT.
DVX BAVAR. ETC.
AD HVNC LAPIDEM
A SVPERIORI
FORTVNANTE DEO
SALTAVIT EQVO.

 In



In latere meridionali insculptus est equus, a saltu consummato tandem quiescens; in latere deinceps ad orientem rursus Palatina cernuntur insignia w).

LVDOVICVS PHILIPPVS, Comes Palatinus Rheni & Dux Simmerensis, ex MARIA ELEONORA, IOACHIMI FRIDERICI, Electoris Brandenburgici, filia, septem progenuit liberos; in quibus *Ludovicus Casimirus*, an. 1636. natus, *Crucenaci* ex hac vita terrestri migravit an. 1652; sic etiam illius filiola *Maria Sophia Eleonora*, eodem anno 1652 nata, sed duobus annis post pariter *Crucenaci* denata x).

Ibidem quoque conventio sollemniter inita fuit & sancita inter CAROLVM LVDOVICVM, Electorem Palatinum, & modo laudatum LVDOVICVM PHILIPPVM y).

Ioannes a *Dalen* ex Lutrea Cæsarea d. XXIII Ian. an. 1658. ad *Ioannem Cocceium* scribit, *Serenissimam — Lutrea* Crucenacum *cum Principe & tota aula discessisse* z).

Anno 1673 Exercitus cæsareus Rhenum descendit, aram Vbiorum, quæ vulgo Bonna nominatur, recuperaturus. Contra vero Galli Woellstenii, haud procul a *Crucenaco distantis*, castra sua metantur; ubi per novem hebdomadas manent, agrosque circumiacentes non leviter devastant. Castris tandem motis, in posteriorem Comitatum Sponhemiensem atque ad fluvium Saram profecti, ibidem hiberna habent. Interim de via fessus Comes de *Guise* cephalalgia infectus, ea gravissime laborare coepit. Quocirca *Crucenacum* se confert, ubi LVDOVICVS HENRICVS, Comes Palatinus Rheni, tunc

w) Vid. *Ge. Christ. Ioannis* ad *Io. Frid. Reigeri* ausgelöschte Churpfalz Simmer. Stammslinie §. XI. p. 62. seq; *Finsterwald* l. d. pag. 239. seq.

x) Idem *Finsterwald* p. 406.

y) Idem l. d. & *Reigerus* p. 163.

z) *Dalenii* epistola est ducentesima quinta in *Cocceii* Tom. II. opp. anecdot. p. 704.

tunc Dux Simmerensis, ipsum hospitio recipit. Verum autem, quod vehementer dolendum, optimus Princeps, ægrotantem Comitem deinceps invisens, memorata contagione pariter inficitur; qua quoque sic conflictatus fuit & debilitatus, ut haud diu post Comitem iamiam defunctum, nempe d. XXIV Decemb. st. vet. an. 1673, sive d. IV Ian. st. novi an. 1674, primam inter & secundum horam matutinam morte honesta defungeretur a).

Anno 1744 cives Crucenacenses homagium præstiterunt Potentissimo & Serenissimo Electori nostro CAROLO THEODORO, clementissimo patriæ Patri; utpote qui quoque serenissima sua & longe benignissima præsentia nostrum oppidum postea condecoravit, multoque reddidit illustrius b).

In suis insignibus urbs Crucenacensis habet lemniscum vel tæniam cubicam eamque nigram & albam, subter quam nigra crux in alba planitie, super eam vero binæ cruces albæ in nigra planitie cernuntur.

Annuatim quatuor ibidem celebrantur mercatus, primus scilicet post Matthiæ, secundus die Martis post Trinitatis, tertius die Martis post Bartholomæi, quartus tandem die Martis post festum diem omnium Sanctorum. Præterea quoque quatuor ibidem mercatus pecorum & armentorum frequentari quotannis adsolent: primus nempe d. Martis post Matthiæ, secundus secunda die Martis post Trinitatis, tertius secunda d. Martis post Bartholomæi, quartus denique secunda d. Martis post omnium Sanctorum sacra sollemnia c).

a) Apud *Reigerum* p. 217, & *Finsterwald* p. 489.

b) Vltimum ornamentum tempore suo laudaverunt ephemerides Mannhem.

c) Vid. Rhein. Antiquar. p. 584.



De fodinis hydrargyri prope *Crucenacum*, ac de salinis saliferisque fontibus, in vicinia huius urbis exsistentibus, egregie iam egerunt alii d).

§. XXXIII.

Hisce breviter descriptis, varia Mortis Martisque fata iam spectanda, vel potius acerbissimis ac pene sanguineis lacrymis deploranda, veniunt. Antequam autem ad bellica fata transeamus, alios aliquot casus adversissimos, quibus *Crucenacum* nostrum conflictari crebrius debuit, summatim sumus indicaturi. Nam

An. 1183. d. XIII Cal. Aug. in villa *Crucenaco* magnum incendium fuit exortum, quo, multis domibus combustis, ingentia civibus damna fuerunt illata e).

An. 1247. Senatus Crucenacensis in periculosissima cum civibus discordia versabatur, & quidem, prouti multis eo tempore visum fuit, propter quasdam libertates & privilegia civitatis, speciatim respectu pauperum, minime servata. Sed postmodum inter eos pax & concordia prosperrime restituta f).

An. 1349. temporum rationes rerumque facies omnino erant omni calamitate miseriaque plenissimæ, quid? quod tantis obnoxiæ periculis, ut ab origine terrarum orbis, præter diluvium universale, non legamus tempora hisce fuisse periculosiora. Nam pestilentia, per universam habitabilem terram

d) Conf. amplis. C. *Collini* in dem Tagebuch einer Reise &c. cap. V. p. 156. seqq. edit. Germ. Schroeterianæ; qui etiam montium, in nonnullis locis ad Navam exsurgentium, physicam nobiscum communicavit delineationem, ibid. cap. VI. p. 168. seqq. Vid. quoque supra §. XIV. pag. 45. & §. XXX.

e) Teste *Trithemio* in chron. Sponh. p. 258, & *Zeilero* l. c. pag. 22.

f) Vid. idem *Trithemius* ibid. p. 278.

ram vehementiſſime ſæviens, plus quam dimidium humani generis in triennio conſumſit. Ea namque tempeſtate *Crucenaci*, quod tunc parvum erat oppidulum, plus quam mille ſexcentique homines morti ſuccubuerunt g).

An. 1365. in oppido Crucenacenſi propter leviſſimas cauſſas diſſenſio immo ſeditio cives inter & Senatum conflata fuit formidoloſiſſima, quæ in tantum evaſit furorem, ut quibusdam ſenatorum nec loca conſecrata ſeſe tuendi gratia ſatis tuta viderentur, quo minus ab inſana plebis turba peterentur ad ſupplicium. Sedato tandem tumultu, quatuor ſeditionis auctores capti ſunt, iuſſuque Comitis Sponh. in medio foro capite contruncati h).

An. 1399. ingens *Crucenaci* ſubortum fuit incendium, quod ultra mediam urbis novæ partem flamma comedit voraciſſima. Eadem æſtate villa Sponhemium igne fortuito fuit correpta; cuius magna pars incendio periit, adeo ut incolæ maxima ceperint detrimenta i).

Anno 1432. ibidem varii Iudæorum combuſti ſunt igne, propter ſceleratiſſimum infanticidium k). Quæ res hisce verbis enarratur: *Eodem anno* (1432) *in die ſancto Paraſceves, ſub officio venerunt ad villulam, non longe a cœnobio* S. Catharinæ l) *poſitam, quæ* Wiler *appellatur, duo Iudæi, qui blandis ſermonibus atque promiſſis quendam puerulum capientes, ſeptimum annum ætatis agentem, extra villam occulte duxerunt, in vicinam ſylvam, quæ* Dumus lupinus, *(vulgariter* Wolffsheck*) appellatur, & eſt huius monaſterii poſſeſſio; ipſumque crudeliter martyrizan-*

g) Idem ibid. p. 322. & in annal. Hirſaug. Tom. II. p. 305.

h) Idem in chron. Sponh. p. 329; *Zeilerus* l. d. pag. 23, & anonymi Luſt & Laſt der Inwohner am nieder Rheinſtrom, cap. II. p. 126.

i) *Tritthemius* l. c. pag. 340.

k) Conf. *Bzovius* ad an. 1432, apud *I. H. Hottingerum* in hiſt. eccleſ. N. T. Part. IV. ſec. ſive cap. XV. p. 931. not. g.

l) Supra §. XXIX. num. 4. p. 150.



rizantes interfecerunt, & collecto eius sanguine abierunt, innocentis pueri corpusculum inter ipsa fruteta insepultum relinquentes. Repertum vero postea innocentis cadaver, ad Creutznacht *cum honore perlatum est, & diebus aliquot insepultum in cœmeterio parochialis ecclesiæ stetit, sperantibus multis, quod signis & miraculis martyrium eius per Dei clementiam foret declarandum. At ubi miraculum apparuit nullum, sepelierunt illud in cœmeterio retro chorum, versus orientem, ubi crux illa lapidea* m) *hodie cernitur erecta. Iudæi quoque deprehensi in* Creutzenacht *extra oppidum igne combusti sunt* n).

Anno 1458. Maxima fuit restagnatio Rheni, Mosellæ, Navæ aliorumque vicinorum fluminum. Resolutis enim & liquefactis nivibus, eluvies in tantum accrevit, ut aquæ, totam ecclesiam parochialem in insula Crucenacensi stantem, implentes, altaria quædam subverterent, parietes concutiendo dissolverent, a sepulcris mortuorum dimoverent lapides. Multis itaque damnis oppido illatis, parum abfuit, quin vehementissima vis aquarum ipsum quoque templum destruxerit o).

An. 1496. cives Crucenacenses quamdam inter se invicem commoverunt seditionem; quæ tamen multis pessime cessit. Præfectus namque Principis Palatini, nimirum *Albertus Goler* (Goeler) de *Ravensburg* p) civem aliquem, crimini obnoxium, in carcerem coniecerat. Id quod cum quibusdam civibus, nescio quam libertatem adlegantibus, summopere displicuisset, absente Præfecto carcerem effringentes, captivum tumul-

m) De qua nomen urbis nonnullos perperam derivare, demonstravimus supra §. XIX. pag. 110.

n) Apud *Tritbemium* in chron. Sponh. pag. 353.

o) Apud eumdem ibid. p. 370, & in annal. Hirsaug. Tom. II. pag. 434; *Zeilerum* l. d; & ven. *Kayserum* in dem Schauplatz der Stadt Heidelberg. pag. 254.

p) Idem est, de quo supra §. XXXII. p. 169.

tumultuatim eduxerunt, quid? quod, conventu in civitate facto, ſcommatibus ignominiisque omnibus ipſos Principes adpetiverunt, verbis contumelia pleniſſimis procaciter effuſi. Verum autem, rerum circumſtantiis ad Principes delatis, turbarum auctores pœnas luebant meritas easque graviſſimas. Digiti nonnullorum abſciſſi; quidam in frontibus, alii in maxillis ferro aduſti q).

Anno 1500 & ſeq. cruces coloris ſanguinei per univerſam adparuerunt Germaniam. Hinc in litteris r) Epiſcopi Leodienſis ad MAXIMILIANVM Imp. datis commemoratur, *a feſtis paſchalibus, ſingulis diebus in uno vel alio dioecеſis Leodienſis apparuiſſe, publice & inopinate, aliquando in eccleſiis, aliquando in plateis, aliquando in domibus, & in ipſis etiam cubiculis ſignum crucis &c.* Qua de re luculentius ſcripſit ſæpe laudatus Abbas s): *Anno* M. D. *id eſt, anno* Ioannis Trithemii *abbatis* XVII. *& ſequenti apparuerunt cruces in lineis veſtimentis hominum, in camiſiis, in peplis mulierum, in menſalibus & linteaminibus, non ſolum in his, quæ habebantur in uſu, ſed etiam illis, quæ in ciſtis incluſa nullum aëris influxum habere videbantur. In corporalibus quoque, & pallis altarium, & albis ſimiliter, multotiens apparuerunt. In* Sobernheim *&* Meyſenheim *primo viſæ ſunt, cum maximo vulgi timore & horrore, tam ſubito, quod aliquando, dum* Salve *cantaretur in eccleſia, triginta homines cruces habuiſſe, quas antea non habuerant, inventi fuerint. Poſthæc apparuerunt in* Creutzenacht *& villis circumiacentibus, deinde in* Bingen *&* Moguntia, *& conſequenter in multis Alemanniæ locis. Erant autem cruces parvulæ, varii ac confuſi coloris, ac ſi pannus aliqua pinguedine mixti coloris eſſet iniunctus; nec poterant qualibet lotione deleri, ſed*

q) *Trithemius* in annal. Hirſaug. T. II. p. 562, & in chron. Sponh. p. 408.

r) Apud *Bzovium* ad an. 1501. S. 23.

s) *Trithemius* in chron. Sponh. p. 411.

ſed poſt diem nonum aut decimum per ſe deficientes evanuerunt. Has cruces magna peſtilentia hominum in multis locis poſt biennium ſubſequuta eſt t). Num autem iſtiusmodi cruces inſecutam prænuntiaverint peſtilentiam, noſtrum hic loci non eſt inquirere. Nam an. 1502. ubique graſſans luctuoſiſſima ſæviit contagio, qua multa hominum millia per mortem fuerunt abrepta, ſpeciatim & nominatim in vicinia Crucenacenſi, Bingæ videlicet, *Stauroneſi*, Beckelnhemii, atque in toto Comitatu Sponheimienſi u).

Anno 1503. febres, calores, doloresque capitis cum dyſenteria per univerſam hancce regionem multa millia hominum invaſerunt; quibus malis conſumti plures ubique mortui ſunt. Hæc enim infirmitas *Crucenaci*, Bingæ, Moguntiæ, Francofurti, Wormatiæ, Spiræ, Sponhemii villisque adiacentibus tam ingens frequensque fuit, ut ſane rara domus exſiſteret, in qua non iaceret febribus aut dyſenteria graviter tentatus v).

An. 1574. non modo cometa comparuit, ſed tres etiam ſoles ſimul conſpecti dicuntur. Supra urbem *Crucenacum* quoddam meteorum vel phœnomenon obſervatum creditur, nimirum exercitus pugnans cum ingentibus tormentis bellicis, quæ quaſi horribilem editura ſonitum, tandem etiam edidiſſe, aërem illuminaſſe flammis, fumoque poſtea obtenebraviſſe perhibentur. Hæc igniaria tormenta contra cometam directa narrantur, ut ad eum, tamquam metam, igneos ſuos globos eiaculata fuiſſe viderentur w). Vtrum autem hæc meteora,

t) Id quod etiam *Nicolaus Baſel.* obſervavit in addit. ad *Nauclerum* p. 205. a. conf. *Hottingerus* l. d. Part. V. ſec. ſeu cap. XVI. p. 18. ſeqq. *Zeilerus* p. 23, & *Kayſerus* l. c. pag. 270.

u) *Trithemius* l. d. pag. 415. & *Zeilerus* l. c.

v) Idem *Trithemius* cit. p. 417.

w) Vid. *Wolfius* in lect. memorab. Tom. II. p. 901. 902 & 904; & *Kayſerus* p. 306.

teora, cum alii teſtes ſileant, revera circumfulſerint, incertum in medio relinquimus.

Anno ſeculi noſtri viceſimo quinto, die Dominica Exaudi, quæ erat dies decima tertia Maii, per vehementiſſimam, tonitrubus fulminibusque commixtam, atque ab hora ſexta usque ad decimam veſpertinam horrifice furentem, tempeſtatem, tanta Navæ fluminis rivique Ellerbach inundatio fuit exorta, funeſtiſſimum ut toti civitati Crucenacenſi totique eiusdem regioni periculum, cum maximis detrimentis conglutinatum, evidenter impenderet. Tandem per quorumdam ædificiorum, in vico a ſuibus denominato (die Saeugas) poſitorum, deſtructionem, & per dicti amnis eruptionem, maiori periculo, quod aperte imminebat, feliciter occurrebatur x).

§. XXXIV.

Hosce maxime adverſos caſus ſequuntur fata bellica; quæ vero in tres claſſes, nempe primum in fata ante bellum tricennale, deinceps in ipſo tricennali bello, tandem in bello Gallico, dividere placet.

Iam diu ante bellum tricennale videlicet an. DCCCXCIII, villam *Crucenacum* adoriuntur Normanni y).

An. 1334. *Balduinus*, Archiepiſcopus Trevirenſis, quoniam *Ioannes* I, Sponhem. Comes, a partibus Comitis Dunenſis, propter Comitatum Schmidburgenſem, ſteterat, *Crucenacum* obſidione quidem cinxit preſſitque, ſed tamen, rebus infectis, decedere coactus. Nam ADOLPHVS, z) *Co-*

x) Supra §. XIII. num. 7. p. 40. ſeq.

y) Teſte *Trithemio* in annal. Hirſaug. ad an. dictum Tom. I. p. 43; conf. ſupra §. XXVIII. num. 1. p. 143.

z) Hæc ſunt verba *Trithemii* in chron. Sponh. ad an. 1334. p. 312.



mes Palatinus Rheni, Ioannes & Simon, Comites de Sponheim, Comes quoque de Naſſaw, & Comes Sylveſtris de Duna, mutuo confœderati ad invicem contra Baldewinum Epiſcopum Trevirorum arma ſumpſerunt. Quod cum ille reſciſſet, cum magno ſuorum exercitu contra Comites de Sponheim & Sylveſtrem, quorum terræ viciniores fuerant, egreſſus, multa eis damna intulit: Sprendlingen, caſtrum Iohannis Comitis de Sponheim, violenter obtinuit, & uſque ad Creutzenacht *oppidum eiusdem Comitis incendia inferendo & prædas, uſque ad portas pervenit, multaque damna in bladis & vino eidem fecit. Poſthæc dimiſſo oppido* Creutzenacht, *quia ipſum expugnare non poterat, cum exercitu ad Sponheim perveniens, omnia, quæcunque extra reperit, crudeliter devaſtavit, incendens & devaſtans omnia* a).

Anno 1504. *Wilhelmus*, Haſſiæ Landgravius, PHILIPPVM, Electorem Palatinum, bello laceſſens, omnia in circuitu Crucenacenſium loca immaniſſimo more devaſtat, in miſerrimos incolas barbara ſeveritate ſæviens, dum per ſex dies prope *Crucenacum* perſtitit b). Hinc ſcriptor coævus c): *His circa oppidum* Altzen *& in illius Gavio nimium crudeliter peractis, Wilhelmus Comes Haſſonum-ad* Stauroneſum *duxit exercitum, & poſitis circa* Blenich *in Nagavio caſtris, omnia in circuitu devaſtavit. Quo ibidem una cum Duce Brunonis vici commorante in papilionibus, venit ad eum de* Meyſenheim *Dux Alexander, ei dudum confœderatus, propterea quod ambo non ſolum communes Imperii cauſas, ſed etiam privatas contra Comitem Palatinum habere viderentur. &c. Cum Haſſiæ Comes provinciæ circa* Stauroneſum *in papilionibus reſideret cum maximo exercitu, milites omnia in circuitu, quæ ad ius pertinebant Palatini, depræ-*

a) Addatur *Kremerus* in den dipl. Beitr. p. 298; & anonymi Luſt und Laſt &c. cap. II. p. 126.

b) Vid. *Bern. Hertzogius* in chron. Alſat. lib. II. cap. LXXII. p. m. 163. edit. Argent. 1592. fol.

c) Nempe *Trithemius* in chron. Sponh. ad an. dictum p. 419.

prædantes, nulli penitus vel personæ vel loco pepercerunt. Idem scribit alibi d): *Inter Wormatiam & Creutzenach, simul & ab alia parte Rheni, quicquid sub ditione fuit Palatini extra civitates & castella, Hassonibus in prædam cessit, qui nulli parcentes villas cum ecclesiis & multis & pulcherrimis pene omnes in circuitu ignibus consumpserunt.*

Eodem anno nonnulla alia, hostilia quidem & bellica, sed exterum hostem eumque ambitiosissimum dumtaxat tangentia, *Crucenaci* acciderunt; utpote quæ modo laudatus scriptor e) verbis enarrat sequentibus: *Anno* 1504. *d.* 19. *Iulii venit ab* Heidelberga *Iohannes Landschad de Steinach, eques auratus, Palatini Capitaneus & Dux exercitus, cum armatorum copiis ad oppidum* Creutzenach, *& manserunt ibidem diebus sex, incrementum sui & machinas bombardarum expectantes. Quibus interea cum Bombitonantibus advectis* 26. *die mensis Iulii,* Stauronesum *in magna multitudine per ordinem exierunt, primo pedites ac deinde pulchro apparatu dispositi equites iter contra Ducis Alexandri Principatum dirigentes. Erat autem mane circa horam septimam, quando primo exire cœperunt, & ordine sequentes alii continuo paulo post nonam horam ultimi exierunt; fuit enim copiosus exercitus.*

Eodem insuper anno die XVIII Septembris, ut iterum auctoris eiusdem f) verbis utar, *Nicolaus Brunus de Schmidberg, Capitaneus Palatini Comitis in* Stauroneso, *contractis oppidanorum copiis, terram Ducis Alexandri rursus intravit, Moschelen inferius cum aliis quibusdam villis per circuitum spolians incendit, rusticos nonnullos abduxit captivos; pecora quoque multa abegerunt, qui cum eo erant Strationatæ. Tanta fuit in oppido*

d) In epp. famil. lib. I. epist. XXVII. ad *Cantherium* Frisium, med. Doctorem, p. m. 464.

e) Nimirum *Trithemius* in annal. Hirsaug. Tom. II. p. 611.

f) *Trithemii* ibid. Tom. II. p. 613.



pido Stauroneſo *equorum, boum & ovium copia ex Principatu Ducis Alexandri raptorum, quantam prius in his terris nemo viderat unquam. Vidimus tunc oves quingentas venundari pro florenis quinque atque viginti, equos, porcos, vaccas pro viliſſimo comparari pretio. Emptoribus tamen quibusdam, quod de rapina comparaverant, Tholoſanum verſum eſt in aurum, ut pœnas avaritiæ luerent, qui ſcienter iniuſte acquiſita vili pretio ſibi uſurpaverunt.*

§. XXXV.

Quemadmodum univerſus noſter Palatinatus, veluti campus Martius, in *bello tricennali* calamitates expertus fuit longe duriſſimas, ita ſpeciatim *Crucenacum* triſtiſſima Bellonæ implacabilis fata ſubiit. Prima quippe civitas omnium omnino exſtitit, quæ premi iugo cœpit Hiſpanico. Nam, cum anno 1620. m. Sept. tum Marchio *Spinola*, Dux cæſareus, Burgundionibus ſuis munitus, tum quoque *Ioachimus Erneſtus* g), Marchio Brandenburgico-Onolsbacenſis, fœderatis unitisque militibus inſtructus, prope Oppenhemium unicam horam a ſemet invicem tantum disiuncti, per aliquod temporis ſpatium caſtra veluti otioſa haberent, ita ut neuter eorum committere prælium conaretur, Comes interim Emdanus, mandante *Spinola*, cum ſex mille peditibus & nonnullis equitum turmis retro cedens, ante *Crucenacum* caſtra collocat, oppidi portas ſecuribus aperit, illudque die decima dicti menſis h), velut ad ſequeſtrum pro Imperatore FERDINANDO occupat, civesque, potiſſimum Proteſtantes, prouti tunc temporis moris erat, maximis adficit iniuriis, atque miſerandum in modum vexat adfligitque. Quo tempore regiminis Hiſpanici

g) Conf. *Koehlerus* in der Reichshiſt. p. m. 518.

h) Hoc iam antea, nimirum d. VII. Aug. an. 1620. factum eſſe, haud ſatis accurate ſcribit *Em. v. Meteren* in der niederlænd. hiſt. P. II. p. 307. b. ad an. 1620.

nici ſedes, præſide *Guilielmo Verdugo*, *Crucenaci* fuit i).
Hanc rem alii paulo aliter, ſed fuſius, enarrant: *Ambroſium* videlicet *Spinolam*, certiorem tandem redditum, quod urbs rebus neceſſariis non ſufficienter inſtructa, ſed tantum delectu ducentorum militum munita ſit, ſex mille pedites & aliquot equitum turmas cum bellicis novem tormentis, ſub Imperio *Ferd. Wilhelmi de Effern*, ad *Crucenacum* expugnandum, ablegaviſſe: eumdem militum tribunum die XXX Aug. circa horam quartam prope Brezenhemium, iuxta iudicii publici locum, ubi capitalis ſententia abſolvitur, traieciſſe Navam, inde montem *Brickes* dictum tranſcendiſſe, plures quam ducentos ignes incendentem, caſtra communientem aggere, per equites agi ſtationes iubentem, quatuor tormenta vehiculis impoſita, quorum quodlibet globos viginti quinque pondo graves agitabat, conſtituentem, atque ſic ante noctem ingruentem oppidum ad deditionem, & quidem nomine Cæſaris, provocantem. Quo facto, licet oppidanus magiſtratus ſibimet tempus, de re deliberandi, ad proximum diluculum uſque, petiiſſet, exſpectare tamen Hiſpani noluerunt, ſed potius muros propius accedentes, per noctem, quam longa erat, tormentis minoribus oppidum urgentes, externas tandem portas inflammant. Interea civitatis Senatus inter ſe commentatur, quid agendum ſit; delectorum vero militum centurio per tormenta claſſicum ſignum dedit, ea quidem opinione, ut milites urbem obſidione liberaturi, ſi qui præſto forſitan forent, eo citius eoque alacrius advolarent. Quocirca Hiſpani, nullam nectentes moram, globos in arcem oppidumque tredecies immittunt, ſed tamen citra magnum utriusque damnum, absque ut ingentem civitati terrorem incuterent. Iam vero, quoniam urbs ob-

---

i) Vid. *Zeilerus* l. d. pag. 23. *Pareus* in hiſt. Palat. p. 318. *Reigerus* l. c. p. 73, ad eum *Ioannis* pag. 77. *Wagnerus* in der Pfalz am Rh. Staat- Land- Stædt- und Geſchichtſpiegel, p. 45. deſcript. circ. Rh. infer. pag. 478; *Nic. Michaëlis* in vita mſc. ad an. 1620; Anonymi Luſt &c. cap. I. pag. 49. ſeq. cap. II. p. 126. ſeq. & *Kayſerus* l. d. p. 325.



obſidionem ulterius ſuſtinere nequibat, nec ſperari liberatores poterant, d. XXXI Aug. cives urbem tradiderunt hoſtibus. Vrbe vero tradita, ſenes cum iuvenibus, & mulieres cum liberis, extra portam, a vico dictam *das Klapperthor*, aufugiunt Ebernburgum. Sed haud diu poſt, audientes, ſeſe nulla ratione læſum iri, redeunt. Poſt factam cives inter & Hiſpanos conventionem portæ aperiuntur. Duæ Wallonum & Burgundionum cohortes ingrediuntur; quibus die ſecunda Sept. adhuc unica Germanorum cohors adiungitur. Inde ſingula Senatus membra cum dearmatis civibus homagium præſtare cuidam iuveni coguntur. Quo facto caſtellum & oppidum communiuntur k). Omnia hæcce eo melius ut peragerentur, aliquamdiu *Crucenaci* hærere placuit prædicto Spinolæ l).

Quum GVSTAVVS ADOLPHVS, Rex Succiæ fortiſſimus, ubicumque victoriam in patria noſtra reportaſſet, & menſe Decemb. an. 1631. maximam Palatinatus inferioris partem, propitio Marte, feliciter recepiſſet, FRIDERICVS exſul, hactenus Hagæ Comitum moratus, rogatu Regis d. XI. Febr. an. 1632. Francofurtum profectus, ipſi non exiguam pecuniarum ſummam exſolvit, ut nimirum ad regiones ſuas recuperandas tuendasque ſibimet in poſterum eſſet auxilio. Non ita diu poſt, medio ſcilicet dicti menſis, ſtrenuiſſimus Suecorum Heros ex urbe Moguntinenſi copioſum militum numerum cum tormentis aliisque machinis bellicis *Crucenacum*, præſidiis Hiſpanorum tunc temporis affatim inſtructum, celeriter transmittit, oppidumque claudit obſidione; quorſum etiam ambo Reges propere commigrant. Statim poſt ipſorum adventum vi impetus expugnatur oppidum. Pauci Hiſpanorum in eo ſuperſtites, qui nondum ſicut in aram confugerant in arcem, cæduntur ad unum omnes. Sed civium Domus ab omni direptione prorſus fuerunt libe-

k) *Pareus* p. 318. ſeq; Theat. Europ. T. I. p. 430. ſeq; *Kayſerus* p. 327; *Finſterwald* l. d. pag. 311.

l) Conf. iterum cit. *Kayſerus* p. 332.

liberæ. Expugnato oppido, castrum, iuxta urbem monti impositum, *Kauzenberg* nuncupatum m), omnibus viribus adoriuntur; milites autem, ibidem præsidium agitantes, acriter impigreque sese defendunt, non exiguum Suecis civibusque primariis detrimentum inferentes. Quum vero Rex castrum suffodi, & cuniculum, qui egregiæ fuit efficaciæ, quassari disrumpique iuberet, tympana quatere cœperunt Hispani, horrendum cientes clamorem, veniamque & gratiam implorantes. Verum autem se Suecorum arbitratui dedere, atque arma deponere compelluntur. Deinceps Rex arma deposita, quæ ipsius erat gratia, deponentibus donat, & facultatem ex castello migrandi concedit. Hinc arcem urbemque præsidiis confirmat firmissimis. Obsidione hac durante, circiter ducenti milites Suecorum partim fusi, partim vulnerati. Rex ipse de vita periclitabatur n).

An. 1636. Cæsarei, Hispanis conjuncti, sub duce cæsareo *Gallas* Crucenacum obsident. Verum autem, quoniam civitas communis dominii inter Principem Simmerensem & Marchionem Badensem, a parte Cæsaris pertinaciter stantem, erat; hinc de urbe Crucenacensi, de castello Beckelnhemiensi deque eiusdem præfecto res cum duce *Gallas* ita transigitur, ut cæsarei castra moveant, & Crucenaco excedant. Cautum quoque tunc fuit, ut præfectus Beckelnhemiensis officio & iureiurando, quo Principi Simmerensi, Comiti Palatino, Marchionique Badensi obstrictus, rite solveretur: ut pariter locum utrumque pro virili parte tueretur: ut accuratum omnium tormentorum bellicorum, armorum aliarumque rerum ibidem obviarum indicem in tabulas referret, dictisque Principibus eas exhiberet integras, immo etiam, ut, ipsis insciis, dicta loca nemini, quicunque quoque sit, traderet. Quocirca *Cru-*

m) Supra §. XXVIII. num. 3. p. 145.
n) Theat. Europ. T. II. p. 497; *Zeilerus* p. 23 seq; descr. circ. Rh. inf. p. 487; *Wagneri* Geschichtspieg. &c. p. 45; *Michaëlis* l. d. ad an. 1632, & *Kayserus* p. 392.



Crucenacum declaratur oppidum veluti medium, sive in neutram belligerantium partem inclinans, adeo ut sub potestate LVDOVICI PHILIPPI, Comitis Palatini, & WILHELMI, Marchionis Badensis, pro re nata, permanserit o).

An. 1639. Saxones Vinarienses urbem quidem *Crucenacum* expugnant; unde tamen, primam in castrum facientes irruptionem, non sine damno repulsantur; sed postridie castri præfectus sua sponte ad eos transit, atque sic ipsi coniunctis viribus Bingam, Baccharacum, Simmeram, aliaque loca pagi Hunnorum occupant: *Crucenacum* penu & ubertate frugum, ex oppido Bingensi ablatarum, cumulatim instruunt, & tandem, hisce peractis, in Wetteravia hibernant. Circa hæc tempora, sane præter spem omnium atque ex nec opinato, Rex Galliarum sibi Vinariensem adiunxit exercitum p). Vinarienses, iam Gallis admixti, *Crucenacum* usque ad annum superioris seculi quadragesimum primum tenuerunt. Hispani quidem iam an. 1640, d. XII Martii urbem adgrediuntur; sed exoptato carentes successu, rebus infectis, Bingam se conferunt. Interim m. Maio an. 1641. Dux cæsareus exercitum movet ad oppidum *Crucenacum*, inque illud globos immittit. Proinde, præfecto consentiente, Pater quidam Ordinis Minoritarum & civitatis Consul extra urbem egrediuntur, conventionem de conditionibus dedendæ cis Navam fluvium urbis inituri; quibus autem conditionibus Dux cæsareus minime contentus, urbem etiam ultra Navam postulat. Hinc altera pars urbis etiam tum eadem nocte vi quadam ad deditionem impellitur; sed pars altera urbis, in qua tormentorum sedes exstruitur, veluti circumvallatur. Quam ob rem d. XXVII Maii in arbitrium hostium sese dedidit. Deinceps ante castrum tormenta trahuntur, idque suffoditur; iniiciuntur globi, crebris tormentorum ictibus moenia verberantur, atque

o) *Zeilerus* p.24; *Wagnerus* l.c; descr.circ.Rh. p.478 seq; *Kayserus* p.430 seq.

p) Vid. *Pufendorfius* rerum Suec. lib. II. §. 46. p. 510, & §. 55. p. 513; *Zeilerus* l. d; *Wagnerus* ibid; theat. Europ. T. IV. p. 32. seqq; descr. circ. Rh. l. c; nec non *Kayserus* p. 439.

atque ſic ad violentiæ impreſſionem omnia parantur. Præfectus igitur videns, ſeſe non diu ſuos defendere poſſe, die ſecunda Iunii honeſtas æquasque deditionis leges petivit; quæ ipſi etiam, ut ne multorum ſanguis fruſtra profunderetur, conceduntur, ſuisque datur emigrandi venia. Germani vero milites ad unum omnes ſtipendia ſub Cæſare merere coguntur. Hinc factum, ut præfectus tantummodo cum viginti duobus militibus, adiunctis inſimul uxore, matre earumque famula, ex caſtro diſcederet, ſuppellectilem omnem militiæque impedimenta ſive onera curru ſecum abducens. Quibuſcum omnibus die tertia Iunii Hagenoam per comites deducitur. Poſt ejus diſceſſum muri, tormentorum ictibus violati corruptique, reparantur q).

An. 1644. m. Decemb. Galli *Crucenacum* rurſus capiunt; ſed tamen, cæſareis adpropinquantibus, confeſtim illud vacuefaciunt, licet interea temporis urbem obſidione cinctam tenerent r), eamque cum caſtro poſtmodum occuparent. Anno ſubſequenti milites præſidiarii, qui Francothaliam Palatinam, Trevirorum Confluentiam & Hermannſtenium s) obtinebant, oppido *Crucenaco* hoſtiles moliuntur inſidias, quamvis cum caſtello ſuo Gallorum in poteſtate fuerit; conatus autem eorum ſpem, quam animo nutriverant, maxime deluſit t). Galli vero, caſtello ſibi tradito, ditionem urbis totamque præfecturam PHILIPPO LVDOVICO, Comiti Palatino Ducique Simmerenſi cuſtodiendam tutandamque committunt u). An. 1650. dictum caſtellum cum urbe adhuc Galli poſſederunt, usque donec omnia tandem legitimis Dominis publice reſtituerentur v).

q) Idem *Pufendorfius* l. d. lib. III. §. 63. p. 621; theat. Europ. &c. *Kayſerus* p. 441.
r) Conf. *Kayſerus* noſter p. 448.
s) Hodie *Ehrenbreitſtein*.
t) Theat. Europ. Tom. V. p. 828; *Zeilerus* in adpend. topogr. Palat. p. 7.
u) Conf. *Kayſerus* p. 452, & quos ibi citat.
v) Ex *Zeileri* topogr. Pal. p. 24.



§. XXXVI.

Iam Gallorum, anno seculi superioris octogesimo octavo sequentique per totum Palatinatum, quam longe lateque patuit, furibundo more grassantium detestabiles, quas etiam prudentiores & humaniores ipsi Galli hodie vehementer detestari solent, vastationes sequuntur. Horum furorem experta quoque fuit civitas Crucenacensis w).

In hocce bello Gallico nostra urbs inenarrabiles patitur calamitates. Principio quidem tyrannidi & iniustis Gallorum exactionibus resistere visa, sed tamen, post durissimam obsidionem & post vehementissimas globorum igneorum immissiones, tandem coacta fuit, ut in extremis angustiis, quibus immanissime premebatur, se submississime dederet. Nam ipsis Calend. Octobribus Gallorum tribunus urbem cum bis mille militibus occupat, certis sub conditionibus. Castrum autem montanum, *Kauzenberg* adpellatum, fortissime defenditur usque ad diem dicti mensis octavam; utpote qua præfectus eius semet in arbitratum hostium tradit. Præsidiarii vero milites Gallis intermiscentur. Cives direptionis, incendii, murorumque diruendorum periculum redimere sunt coacti. Verum autem an. 1689. iidem hostes incendii condonati æstimationem a miseris civibus postulant: nonnullos castri muros actis cuniculis disrumpunt: cives crudelissime tractant. Ineunte mense Febr. anni modo memorati sequens *Crucenaci* casus accidit: Nimirum civis quidam honestissimus, qui exactionibus per aliquod temporis spatium promtissime satisfaciebat, tandem ex ægritudine animi lecto adfixus, adeo ut eo tempore propter corporis infirmitatem, quam sibi ex animi contraxerat ægritudine, solvere pecuniam nequiret, in domicilio suo violenter ab hostibus opprimitur. Bonus hicce civis miserrime tractatur: eius supellectilia partim franguntur & comminuuntur, partim dissipantur: calcitra stramentitia sive stramen lecti, in quo decumbebat, sub corpore eius incenditur. Quo incendio miser

w) Vid. *Finsterwald* l. d. pag. 633; ubi per vitium typothetæ falso ponitur annus 1680; Anonymi Lust und Last &c. cap. II. p. 127.

miſer iſte homo, miſeratione mentes omnium permovens, niſi tempeſtive nonnulli miſericordes vicini ſuppetias illi tuliſſent, cum toto domicilio combuſtus fuiſſet. Reliquum tali modo excruciatus, haud ita diu poſt ſuam efflavit animam.

Alium civem eumque divitiis adfluentem, de nimiis ſibi exhibitis moleſtiis, immo de nimium ingenti ſibimet impoſito onere modeſtiſſime conqueſtum, ab ipſius ædibus usque ad primariam excubitorum ſtationem fuſtibus miſerandum in modum contundunt, contuſum autem inde in carcerem coniiciunt, ubi, aliquot diebus poſt, diem obiit ſupremum. Hoſtes quotidie comeſſabundi vinoque madentes omni ſcelere laſciviarum & ſodomitico peccato ſeſe deformiter conſpurcabant. Ceterum Comes quidam de *Bourg* urbem ſpoliandam demigraturis relinquere militibus ſtatuit. Hæ erant egregiæ gratiarum actiones pro pane, quo per totam veſcebantur hiemem, & pro humaniſſimis civium beneficiis, quibus hoſpites inhumani velut accumulabantur. Verum autem Dominus de *Vivan*, laudabilis propoſiti tenaciſſimus & maiori humanitate condecoratus, turpiſſimo huic & abiectiſſimo conſilio ſeſe oppoſuit vehementiſſime.

Splendidiſſimum, magnificumque & munitiſſimum caſtrum, ne quidpiam furoris deſideretur, in lapidum quaſi ſtruem immutatur. Muri turresque veteris oppidi penitus deiiciuntur. Eodem anno die decima Octobris pulcherrima & nitidiſſima Principum Simmerenſium ſedes, poſtea palatium Brandenburgenſe, cum politiſſimo horto diruitur & devaſtatur. Primarii cives in curiam trahuntur, ibique traduntur cuſtodiæ, donec paulatim pecunias ſolverent.

Menſe Martio dicti anni ad finem vergente, cives ſevere ſerioque prohibentur, ne quis eorum extra oppidum fuga ſibi ſalutem quæreret, addita poena, ut, ſi contra mandatum peccaretur, hoſtes alioquin domos eorum expilarent atque demolirentur. Pauciſſimis ut plurima complectar, externa huius urbis facies exiguo pago ſimillima redditur. Omnes molæ omnesque furni excutiuntur & comburuntur.

 Erat

Erat undevicesima Martii x) dies, qua furibundi hostes eiusmodi pestem in Crucenacenses machinati. Primo namque diluculo duabus in oppidi regionibus, mole lignorum stupenda coacervata, lignisque incensis, duo monasteria cum viginti militibus obsident. Quum omnia & sacerdotum & civium frumenta fuerint in utrumque coenobium ad simulatam fictamque translata securitatem, quamprimum eodem die cives magnis comminationibus maioribusque furiis eo adigunt, ut ibidem congesta frumenta rursum inde repeterent. Repetitis autem ex utroque monasterio frumentis omnibus, non parvam eorum partem, videlicet bis mille medimnos, ex ponte in transeuntem Navam effundunt, adeo ut acervus, plures quam duodecim pedes altus, supra fluvii aquas exsurgeret; reliquam vero partem in ignes, eapropter incensos, coniiciunt, coniectamque flammis consumendam foedissime tradunt. Quid? quod per præconem publice proclamatur: *a cive quolibet illud frumenti, cuius maiorem, quam medimnus conficeret, in promtu haberet copiam, in curiam esse transportandam.*

Præterea postridie gnaviter in tyrannide sua pergunt. Iudæorum quippe domicilia circumstant custodes. Ipsi Iudæi fruges suas omnes, quas possidebant, in fluvium præcipitare coguntur. Die Martii vicesima prima rursus temerarium publicant mandatum: *ut* nempe *singuli, qui aliquid victus, quod necessariam excederet quantitatem, haberet, illud inter eos, qui prorsus nihil haberent, confestim distribuant.* Principum quoque fruges, vina, farinæ, ceteraque iam aliquot diebus ante, Moguntiam & Homburgum, Landgravii Homburgensis sedem, abducta. Miserrimos insuper agricolas Simmerenses, Mortenstenianos, atque aliarum incolas villarum, in Hunnico pago usque ad urbem Crucenacensem sitarum, & quidem dextrorsum, sub sævissimis interminationibus, adigunt, ut omnia frumenta Crucenacum in unum transferant cumulum, ignique translata subiiciant. Quare tum in foro frumentario tum in foro ovorum ingens ex stramine fœnoque ignis paratur. Sed incen-

x) Non Maii, prouti legitur in msc. Crucen.

incendiis, non bene flagrando veluti reluctantibus, fruges in Navam exonerantur. Iam devastationis ordo pulcherrimo & antiquissimo fluminis ponti destinatur, siquidem illum reapse variis suffodere cuniculis cœperant; sed propositum opus, nescio quam ob rationem, non exigitur. Hostes, furiis nondum exsaturati, circa medium April. honestissimas novem hominum personas, tum Principum ministros tum cives, omni culpa vacantes, ex oppidis *Crucenaco*, Stromberga Simmeraque partim Homburgum, partim Moguntiam captivos abducunt. Quibus, in captivitate sua miserrime vexatis, quodam tempore verbis furibunda severitate plenissimis significabatur: *sese singulos, nisi intra trium dierum spatium certas pecuniæ summas suppeditarent, in angustiorem multoque duriorem abductum iri carcerem; hactenus namque respectu custodiæ civilis civiliter tractati fuissent.*

Eodem anno d. XVI. Aprilis y), dum hostes in aliis rebus prorsum devastandis occupati, Gallorum præfectus Dn. *de la Goup-peliere*, homo animi præceps, præter alia facta & illud contra omnium opinionem ausus est, ut, ex arbitrio suo consilioque temerario, donaret aliis, quod in eius potestate non fuit. Nam, prouti *Seneca* scribit, *turpissimum genus damni est inconsulta donatio.* Nimirum cum R.R. P.P. Carmelitis rogatum communicat decretum, vi cuius ipsis Reformatorum Gymnasium cum omnibus requisitis & emolumentis addicitur. Quo facto quamprimum sine ulla mora, præsentibus omnibus totius Ordinis sacri membris, illud, subsidio Gallorum, reapse capessitur. Quamvis Reformati tunc temporis in Gymnasio retinendo sibique rursum vindicando omnes industriæ nervos contenderent, immo varias easque gravissimas proponerent oppositiones, rationibus pro rerum ratione sufficientibus subiunctis: Reformatos videlicet dictum Gymnasium, vi instrumenti pacis Cæsareo Suecicæ art. IV. §. 6. atque ex instrumento pacis Cæsareo-Gallicæ §. XV. quiete semper possedisse; attamen omnes istæ obiectiones, surdis velut Gallorum aliorumque auribus can-

y) Non principio Maii, prout nonnulli rerum imperiti volunt.



cantatæ, prorſus erant fruſtraneæ, ita ut deinceps Gymnaſium in domum aliam fuiſſet transferendum z).

Ineunte m. Iulio Galli, prælio contra Cæſareos & Luneburgenſes male pugnato, magnam cladem accipiunt. In ipſa acie cadit militiæ tribunus *Priſonel* cum mille quingentisque militibus. Interea reliquis oppidi Crucenacenſis turribus murisque demoliendis inſtant, nec ab opere prius abſiſtunt, quam tempore veſpertino diei cuiusdam Dominicæ turrim ad portam Rüdeshemienſem, & poſtea ſtatim egregiam turrim ad portam *Lægerthor* vocatam funditus deiecerint penitusque everterint. Pons Navenſis, quo bina iunguntur oppida, hactenus ſteterat inconcuſſus.

Die decima Octobris agreſtes omnia domorum tecta detegere & nudare coacti coeperunt, ut proficiſcentibus militiæ præfectis veluti quædam exciſionis & vaſtationis imago e longinquo repræſentaretur. Hæc erat gratia, quam civitas, uti perhibetur, interceſſioni cuiusdam puellæ, quam Gallicus præfectus loco amaſiæ habuit, vel, ſecundum aliorum relationem, magno erectoque animo civis cuiusdam referre acceptam debebat; utpote qui civis in obſidione caſtri montani, Gallicum præfectum admonebat, ut a quodam loco, ad quem iam modo globi tormentorum proiicerentur, cito refugeret. Id quod etiam mox ſubſecutum dicta fuiſſe narratur. Forſitan uterque & civis & puella ſic dictæ huius gratiæ cauſſam adferebant. D. X. Octobris, quæ in arce vel palatio Simmerenſi ſupererant, incendio delentur. Sed Galli, inde diſceſſuri, varios eiusdem ornatus, automatum, ſuomet ſe movens motu, ludosque campanarum antea ſecum abripiunt. D. XVIII eiusdem menſis templum in inſula ſtructum Vulcani flammis traditur. Ineunte m. Novemb. rapaces harpyiæ rurſum ſedem in oppido figunt, atque omnia hactenus integra cum omnibus templis & monaſteriis igni devaſtant a).

§. XXXVII.

z) Supra §. XXIX p. 147. & XXX. p. 157.

a) Conf. *Chr. Teutſchmuth* Franz. Attila p. 187-227. & p. 229; ibid. in adpend. p. 531; *Wagneri* Geſchichtſpieg. & l. d. p. 46; I. H. D. Rhein. Antiquar. p. m. 584; deſcr. circ. Rh. inf. p. 479; Churpfälz. Geſchichts-Calender (Leipz. 1698. 8.) p. 48.



§. XXXVII.

Post funestissimas hasce bellorum b) calamitates tandem superest, ut recentiorem civitatis Crucenacensis statum graphice delineemus. Quod igitur ad *limites* attinet, prouti anno 1772. signati fuerunt, urbs *Crucenacum* cum omnibus suis terminis ab utraque Navæ fluminis ripa, (sed tamen excepta montis caprini silva oppidana, duabus horis abhinc retro pagum *Mandel* sita,) collimitanea est Rollianis quondam iisque liberis imperii Germanici dominiis Brezenhemio & Winzenhemio, tamquam feudis tempore suo Coloniensibus; pago Heddeshemio ad rivum Güldenbach, præfecturæ Strombergensis; Eremitarum cœnobio novæque cauponulæ ad viam stratam altamque; ad occidentem, vel Sobernhemium & Beckelnhemium versus, terminis finitima est Hargeshemiensibus, præfecturæ Crucenacensis; terminis Rüdeshemiensibus, pariter eiusdem archisatrapiæ; Hüffelshemiensibus terminis dynastiæ Boosianæ, tamquam feudo Comitum Rhenensium. Insuper ad meridiem, vel Alceiam versus, finitima est terminis Dreissensibus, præfecturæ Crucenacensis; terminis Monasterii (Münster) Rhenensium Comitum, diruti castelli Rheingrafenstein, villæque ad illud pertinentis; terminis Bambergæ veteris, Palatino-Birkenfeldensis feudi; terminis Freilaubershemiensibus archisatrapiæ Crucenacensis; terminis Hackenhemiensibus eiusdem architrapiæ, cum liberis villis dynastarum Bonnhemiensium. Tandem ad orientem, Oppenhemium & Moguntiam versus, urbs nostra contermina est limitibus Bosenhemiensibus præfecturæ Crucenacensis, & limitibus Planigensibus, ab Electore Palatino Moguntinæ ecclesiæ collegiatæ S. Iacobi in feudum concessis.

Hi

b) Præter alios in fine superioris §. cit. pluribus de bello Gallico agit auctor libri, cui tit: Das zwar verunruhigte, doch allarte Teutschland, speciatim P. I. p. 172 & 597. P. II. p. 86. P. III. p. 207 & 278; Anonymi Lust und Last &c. supra §. XXVIII. & §. XXIX. num. 5.

Hi Crucenacensium limites, per quos a meridie ad septentrionem fluvius *Nava*, atque ab occidente usque ad medium, orientem versus, amnis *Ellerbach* labitur, in se quoque comprehendunt montem a patibulo sic nominatum *Galgenberg*, ad cuius radicem est Principis Archi-Palatini saltus, *der Fürstensprung*, *Pfalzsprung* c). Præterea in se comprehendunt montem vaccarum, *Kühberg*, & collem, cui S. Catharina nomen indidit, prope pagum Freilaubersheim: collem luporum, *Hasen-Rech*, nec non montem ab anseribus nomen habentem, *die Ganſſ*, montem profecto hisce in terminis altissimum, quippe cui impositum est castellum *Rheingrafenstein*, quique statuit orientales Salinarum terminos; ubi etiam priscæ quædam metallifodinæ hodiedum ostenduntur. Iidem Crucenacensium termini ad meridiem, speciatim ad plagam Salinarum occidentem, comprehendunt montem, *die Haard* nuncupatum, deinde alterum montem, eumque præcelsum, e regione Ebernburgi, ubi quatuor tentatæ quidem, sed tamen nec adparatæ nec usitatæ cernuntur metallifodinæ, nec non duas montium partes *der Belz* & *Schloſſberg* vocatas, in quibus vina nascuntur generosissima, Falerno & Cæcubo minime cedentia. Ad occidentem conspicuus est mons Coronæ, *der Kronenberg*, cum colle leprosorii, & cum monte monachorum, *Moenchberg*. Tandem iidem limites Crucenacenses ad septentrionem complectuntur montem *S. Martini* montemque *Brückes* vocari solitum, utrumque viniferum vinetisque optimis longe fertilissimum.

Vrbs *Crucenacum* a Mannhemio distat quatuordecim horas; a *Nicro* fluvio similiter quatuordecim; a *Moeno* fluvio novem; tandem a *Mosella* quatuordecim. Proxima illi sunt oppida, *Binga*, distans tres horas: *Ingelhemium*, quatuor: *Moguntia*, octo: *Oppenhemium*, novem: *Francofurtum*, sexdecim: *Alceia*, quinque: *Wormatia* Vangionum, decem: *Stromberga*, tres: *Sobernhemium*, quatuor: *Simmera*, sex: *Baccha-*

c) De quo supra §. XXXII. p. 170. seqq.

Baccharacum itidem ſex: Proximi vero pagi ſunt ſequentes: *Genzinga*, ab oppido noſtro disiuncta duas horas: *Langenlonshemium*, unam cum dimidia: *Heddeshemium*, ſimiliter unam & dimidiam: *Gutenberga*, dimidiam quoque ſupra unam: *Winzenhemium* & *Brezenhemium* tantum unicam: *Hargeshemium*, tres quadrantes: *Roxhemium*, unam: *Rüdeshemium*, unicam horulam: *Geisberg*, tres: *Freilaubershemium*, unam cum dimidia: *Hackenhemium*, unicam: *Ebernburgum*, item unicam: *Boſenhemium*, ſimiliter unam: *Schwabenhemium*, unam & quadrantem: *Planig*, unam: tandem *Ippeshemium*, itidem unicam.

§. XXXVIII.

Hæcce de limitibus ſufficiant. Quod autem ad recentiorem *ipſius urbis* ſtatum attinet, oppidum *Crucenacum*, proprie ſic dictum atque in ſe ſpectatum, iacet ad Navam fluvium, a quo duas in partes diſſecatur primarias; quarum altera vocatur *vetus*, altera vero *novum oppidum* d). Inter duo hæcce oppida, nimirum inter Navam eiusque magnum alveum vel aquæductum, ab ipſo fluvio ſeparatum, apud Arauſionenſem villam incipientem, atque molas ſive hydromylas oppidanas agitantem, hodiedum exſtant inſulæ nonnullæ, in quibus ædes ſacræ, horti &c. conſpiciuntur. His duobus fluminis cornibus pons lapideus, idemque firmiſſimus ac præſtantiſſimus, ſeptem arcubus, qui domibus ornati, ſuffultus, artificioſe impoſitus eſt; utpote quo duæ oppidi partes, utraque ripa muris contra vim aquarum incluſa, coniunguntur. Pontem modo laudatum, ab ELISABETHA, Domina Comite Sponhemienſi, RVPERTI *Pipanis*, Comitis Palatini Rheni, uxore e), antiquis fundamentis detectis & repertis, partim de novo ſuperſtructum, partim tantummodo repara-

 tum

d) De qua re ſuperius §. XIX. p. 108.

e) Quæ vero numquam fuit coniux Electoris cuiusdam & Imperatoris, prouti creditur in MS. Crucenacenſi.

tum fuiſſe, iam vidimus ſuo loco f). Vtrum autem iſtiusmodi fundamenta ab ipſis Romanis, an vero, quod multo veroſimilius, demum a Regibus Francicis collocata fuerint, ad Weſtraſiam & Oſtraſiam, ope beneficioque ſecundæ viæ ſtratæ regiæque, per ſilvam *Sane* in pagum Hunnorum ferentis, tali modo coniungendam, accurate definire nequeo.

Occidentalis vel urbs nova non modo per Navam ab antiqua urbe dividitur, ſed etiam ab amne Ellerbach, eiusque canali, iuxta laterariam inchoante, quasdam moletrinas agente, & deinde ſubter domos plateasque permeante, diſcinditur. Super dictum amnem, & quidem in ipſa urbe, ſtrati ſunt quatuor lapidei pontes, nempe duo, quorum alter duorum arcuum ad meridionalem urbis metam vocatur *die Zwingelbrücke*, alter vero trium fornicum alimentis plateæ primariæ potiſſimum inſervit, atque utrimque, ſicut ipſæ ipſius amnis ripæ, domibus ad victum cibumque neceſſariis inſtructus, usque adeo, ut neque amnis neque pons oculis obſervari queat. Hicce hydromylii canalis in ipſo oppido rurſus cum rivo ſuo conſociatur. Extra oppidum ſunt duo lapidei pontes, alter apud laterariam duorum arcuum, alter vero apud leproſorium unius dumtaxat arcus vel fornicis. Tandem totus plenusque amnis, in urbe media rurſum coniunctus, ſeſe in Navam effundit. Vrbem noſtram ſatis eſſe vetuſtam, ex antecedentibus iam liqueſcit g). Ceterum reſpectu platearum nimis arctum eſt oppidum, ſinuoſos vicos vicorumve anfractus habens. Domus pleræque tribus vel quatuor contignationibus altæ, conſutæque ſunt ex ligneis trabibus, proinde in anguſtiis incendiorum maximis expoſitæ periculis. Cui ingenti malo, ſi res ponderetur, æſtimatio ſive cenſus fundi, eiusque regularis inter quemlibet civium partitio, nec non accurata earum rerum exſecutio tutiſſimum adhibere remedium optimumque poſſent.

Inſu-

f) Conf. ſupra §. XII. litt. A. p. 35 & 36.

g) Nimirum ex §. XXI. p. 115. & ſeq.

Insuper extra urbem, sed tamen intra ipsius limites, adhuc obviæ sunt quatuor moletrinæ, quas aquæ fluminis Navæ motant: tres molæ olivariæ, quas amnis Ellerbach circumagit: duæ Salinæ, tum vicinis tum aliis utilissimæ h): quinque villæ, nec non una lateraria cum unica calcaria.

Vias tandem prætorias, a pago Hunnorum, Treviris, Lotharingia, Biponto ceterisque regionibus Bingam, Francofurtum ad Moenum, Alceiam, Wormatiam & Mannhemium ducentes, ad splendorem, florem & iucunditatem urbis haud parum conferre, nemo inficias ire poterit.

Præter equorum curruumque veredarios ibidem est stathmus seu diversorium cursorum publicorum, quibus magister præest ordinarius. Eamdem urbem totius archisatrapiæ metropolim exsistere, iam suo loco indicavimus i).

§. XXXIX.

Quod ad *ædificia* & *prædia* hodiedum restantia spectat, horum nonnulla superius commemoravimus. Adeoque hic loci tantummodo sumus eorum nomina significaturi.

Ecclesiastica hic sunt ædificia sequentia, nimirum tria Catholicorum templa:

1) Primum templum in ovorum foro, dictum *vetus templum ad sanctam crucem in pascuis*, utpote cui adstructum est monasterium & gymnasium R. R. P. P. Carmelitarum. Templum & gymnasium sumtibus ipsius Ordinis S. reparantur k).

2) Secundum templum est in insula Navæ, & quidem vetus chorus; quo etiam adhuc ante aliquot annos Reformati, secundum pacta, utebantur, quoniam nova privata Refor-

h) De quibus supra §. XXX. p. 163. seq. & infra in hoc §. circa finem.

i) Nempe §. XIX. p. 108.

k) Vid. supra §. XXIX. num. 2. p. 147.



matorum ædes sacra, nimirum prisca templi navis, nondum exædificata. Aulicæ Cameræ præfecti & L. B. Dominus de *Isselbach* semet a sumtibus ad ædificandum necessariis abstrahunt. Adeoque coetus vel communitas suis ipsius sumtibus, vel aliunde collecta stipe, procurare, quæ requiruntur, debet.

3) Tertium denique templum est in oppido veteri iuxta coenobium R. R. P. P. Franciscanorum. Vtrumque & templum & coenobium impensis Ordinis S. reparari solent l).

Templum Reformatorum, ut iam modo vidimus, est navis templi veteris in insula m), cum coemeterio, sociis trium religionum Christianarum, certis sub conditionibus, communi. Ius ædificandi reparandique hocce templum & chorum Catholicorum non exiguis fundatur decimis; sed vero hactenus citra omnem effectum.

Evangelico-Lutheranorum templum, in oppido prisco situm n), iuxta portulam; utpote quod pariter ab ipsius coetu ædificatur & reparatur.

Primaria Iudæorum in toto Electorali Palatinatu *synagoga* o).

Præcedentibus ædificiis adnumeranda sunt: duo commemorata superius p) coenobia: duo Reformatorum Parochorum domicilia, a civibus eiusdem religionis ædificanda & reparanda, cum loco quodam vacuo, ubi quondam domus tertii Reformatorum Pastoris, videlicet in platea *Klappergass*: duæ domus Parochorum Evangelico-Lutheranorum: una Catholicorum domus scholastica: duæ Reformatorum domus scholasticæ: Catholicorum Gymnasium: Gymnasium Reformatorum.

l) Ibidem num. 7. p. 154. seqq.

m) Ibidem num. 5. p. 150. & seqq.

n) Rursus ibid. num. 8. p. 156.

o) Conf. superius §. XXX. p. 164.

p) Nimirum §. XXIX. num. 2. p. 147. & num. 7. p. 154. seqq.

rum. Ad unum omnia hæcce ædificia privatis exſtruuntur & innovantur ſumtibus.

Iam eccleſiaſtica ſequuntur ædificia partim collapſa, partim exauctorata, videlicet

1) Templum & coenobium S. Kiliano dicatum.
2) Coenobium S. Petri.
3) Monaſterium S. Vincentii.
4) Dirutum Reformatorum Gymnaſium, modo hortus R. R. P. P. Carmelitarum.
5) S. Martini capella extra urbem. Tandem
6) Capella cellariæ Diſibodenbergenſis q).

Aedificia & loca, quæ vulgo vocantur *Principalia*, nimirum nova domus, archiſatrapiæ præfectis deſtinata: domus cellariæ Principis, quæ quondam propria fuit Rhenenſibus Comitibus: Horrea decimarum regalium cum farrario, villa, locisque pecorum & ſtabulis, area & domicilio: Diſibodenbergenſis cellariæ domus, ad portam Rüdeshemienſem; ubi quondam ſtetit ruinoſa capella, domiciliumque cellariæ proprium in platea caſtrenſi, apud forum lignarium.

Oeconomiæ S. Catharinæ domus: duæ Principales in oppido veteri moletrinæ; quarum altera vocatur *die Maltermühl*, altera vero *die Stimmelmühl*.

Duo lapidei glacierum fractores: una inſula muris, ad templa adverſus aquarum impetum tuenda, validiſſimis inſtructa: tria pharmacopolia, egregiis privilegiis condecorata: Lignarium unicum: Mons, cui caſtellum olim impoſitum, vineis agrisque iam accommodatus: Patibulum atque erectus locus ad maleficos decollandos in orientali monte iuxta ſtratam antiquam, Alceiam verſus: Locus, ubi brutorum cadavera excoriant carnifices, ad Navam in orientali plaga: Duæ altæ viæ lapidibus ſtratæ, quælibet horæ unius iter longa, altera Mannhemium ferens, altera in pagum Hunnorum ducens.

Re-

q) De quibus ſupra §. XXIX. p. 146. ſeqq.

Regalibus ædificiis hodie collapsis prorsumque dirutis adnumeratur *Ostroburgum & Palatium regium* r).

Oppidana ædificia locaque sunt subsequentia:

1) Curia in foro ovorum cum domo archigrammatei, cumque farinæ, carnium & butyri libris.

2) Tres ædiculæ iuxta tres diversas portas, ubi viarum pecunia, quam vocant, solvitur: unum hypocaustum portitoris frumentarii, in ipso foro frumentario: primaria excubitorum statio in ponte Navensi: quatuor minores eorumdem stationes: una libra, qua farinæ ponderantur: quatuor apertæ portæ s).

3) Vnum xenodochium, ad portam Hackenhemiensem situm, Catholicos inter & Reformatos commune, in quo paucis pauperibus tectum, & libertas mendicandi conceditur.

4) Vnum xenodochium in urbe nova ad canalem amnis *Ellerbach*, pone locum, qui vulgo nominatur *der Zwinger;* sed hodie obsolefactum.

5) Xenodochium pro leprosis in colle leprosorum, extra oppidum, ad dicti amnis *Ellerbach* pontem unius fornicis; hodie vero collapsum dirutumque.

De pontibus fluminis Navæ amnisque *Ellerbach* egimus supra pluribus t). Hic autem tantummodo subiungimus, duos eiusdem amnis pontes pariter lapideos esse, alterum videlicet unius arcus ad leprosorium, alterum vero ad laterariam duorum arcuum. Ratione pontis Navensis tribus adhuc verbis monendum est, eum partim sumtibus civitatis, partim aulicæ Cameræ conservari ac reparari.

Huc quoque pertinent antiqua moenia, nec non

Vnica

---

r) Superius §. III. p. 5. seqq. & §. XXII. p. 117. seqq.

s) Occurrunt plura superius §. XXXI. p. 164. & seq.

t) De quibus conf. supra §. XII. p. 35 & 36. & §. XIII. p. 40. seq.

Vnica turris validiſſima loco carceris, quæ in vulgari ſermone vocari ſolet *das Butterfaſſ*. De oppidanis extra plateas locis ſuo loco ſcriptum u).

Ceterum ab oneribus publicis libera ædificia *Crucenaci* ſunt ſequentia:

1) Palatium regio-Boruſſicum olim, nunc ad Cameram Electoralem pertinens.

2) Palatium L. B. Domini de *Hundheim*, poſtea Sereniſſimæ Principi Anhaltinæ Deſſavienſi proprium.

3) Palatium L. L. Baronum de *Weyher*, tamquam feudum caſtrenſe.

4) Area parva beneficii caſtrenſis, ad familiam pertinens *Hardungianam*.

5) *Achenbachiorum* domus feudi caſtrenſis.

4) Domus *Plittersdorffiorum*, ante *Sængeriorum*, in platea maiori.

5) Decem aliæ domus, paulo ſerius beneficiis donatæ caſtrenſibus.

6) Vetus *Coppenſtenianum*, ſed poſtmodum Anhaltino-Deſſavium palatium, cum nonnullis in oppido veteri novoque locis feudalibus.

7) Palatium *Cronenburgenſe*, Celſiſſimis Principibus Palatino-Birkenfeldenſibus propter veterem Bambergam proprium v).

Præter *molas* in ipſo commemoratas oppido, hic quoque inveniuntur tres olivariæ molæ, & quidem ad amnem *Ellerbach*: una olivaria cannabisque mola, iuxta Navam ſtructa, Moguntiam verſus, nec non unica frugum & olivaria mola: rurſus unica frugum & olivaria, atque unica mola frugum in paſcuis a Pentecoſte ſic nominatis. Abolitæ autem duæ hydromylæ ſunt, altera ad villam Arauſionenſem, altera apud Salinas. In

---

u) Nempe ſupra §. XXXI. p. 164. & ſeq.

v) Conf. ſupra §. XXX. p. 164.



In ipſo oppido fabricæ ſunt duæ: (1) olivaria mola, quæ a brutis agitatur; (2) Fabrica herbæ Nicotianæ.

Extra oppidum inſuper occurrunt:

1) Lateraria & calcaria; quorum vero ligna calcariique lapides e locis trihorium diſſitis repeti debent:

2) Fabrica lanifica, ſed apprime exigua, quam exercent viginti pluresve operarii. Fabricæ, in quibus fila linea & goſſipina duci ſolent, aliquamdiu tentatæ quidem fuerunt, ſed firmitatem ſtatus nondum nactæ.

Præterea de Salinis w) mecum ſequentia humaniſſime ſunt communicata: *Ihre Soote iſt ſtark eingradig; davon machen ſie iæhrlich zuſammen* 12000. *Malter Salz*, ad 228. *Pfund das Malter; brauchen an Brennholz* 3000. *Klaftern, ohne die Steinkohlen, beſchaeftigen etwa* 50. *Perſonen, ohne Bedienten, haben ihren Salinen-Richter, und ſind von herrſchaftlichen Abgaben, auſſer dem Zehenden &c. frei; haben eine neue eigene von Holz geſprengte offene Brücke, über die Nohe, die auf ſteinern Pfeilern ruhet. Iſt ſehr ſchoen mit allerlei Gebaeüden, ſowohl zum Gewerk als zu Wohnungen angelegt, und eine Zierde der Gemarkung; liegt zwiſchen dem Hardt- und Ganſſberge, gegen Münſter oder Ebernburg zu.*

Linteones, textores tibialium & tinctores, hic loci habitantes, dumtaxat ad uſum ruricolarum, minime vero pro communi inter ſemet ipſos negotiatione, laborare ſolent.

Inſuper officinæ coriariæ, ſoleis præſertim inſervientes, in oppido noſtro haud mediocriter florent, immo ſeſe ad exterorum negotiationem feliciter extendunt. Eædem procul omni dubio, ſi æqualis induſtria & ſedulitas adhiberetur, excluſo tamen nimio ætatis noſtræ luxu, ditiſſimos utiliſſimosque alerent incolas.

Mercatura atque inſtitorum commercium, negotiationes & nundinationes, quæ in univerſa exercentur archiſatrapia, *Cru-*

w) De quibus ibidem p. 163. ſeq.

Crucenaci ſpeciatim ſunt maximi momenti, maximi ponderis. Nam habilitate, dexteritate & diligentia recentiorum mercatorum in dies magis magisque incrementum capientibus, civilis negotiatio minor, prout adpellitatur, abhinc aliquot annos, haud parum, experientia teſte, diminuebatur, dum mercatores primæ claſſis Belgicas aliasque merces a primis veluti manibus repetere, easque agreſtibus inſtitoribus vendendas tradere coeperunt.

§. XL.

Iam cives, vel potius incolæ varii ordinis & dignitatis ſuperſunt. Eccleſiaſtici ſunt:

1) Monachi utriusque ſupra x) commemorati monaſterii R. R. P. P. Carmelitarum & Franciſcanorum:

2) Duo Paſtores Reformatorum, nimirum alter Eccleſiaſtes primarius & vicinarum eccleſiarum Inſpector, alter vero Diaconus & Paſtor ſecundarius:

3) Tres Gymnaſii Reformatorum collegæ, Rector, Conrector & Præceptor:

4) Duo eccleſiæ Evangelico - Lutheranæ Paſtores:

5) Decem Ludimagiſtri ſummatim ſpectati:

6) Supremus Iudæorum Rabbi, primarius ſcholarum eiusdem ſectæ in toto Palatinatu magiſter.

Præfecti Electorales & præfecti archiſatrapiæ cum eorum adparitoribus ſeu miniſtris ſunt in univerſum viginti; ſed tamen Reformatorum & Lutheranorum nullus. Oppidani præfecti ipſorumque ſervi, ſed vero membris ipſius Senatus exceptis, numerantur viginti quinque Catholicorum, duo Reformatorum, Lutheranorum autem nemo. Adminiſtrationis eccleſiaſticæ miniſtri ſunt quatuor, nempe duo Catholici & duo Reformati.

x) Vid. ſupra §. XXIX. num. 2. p. 147. & num. 7. p. 154. ſeq.



Præterea liberi Nobiles, aliorum imperiis ſubditi vel exteri, vel publicis carentes officiis, miniſtri ceterique extraordinarii homines liberi, anno 1772. *Crucenaci* fuerunt duodecim Catholici, quatuor Reformati, quinque Lutherani.

Vrbs in univerſum ſpectata, ſed tamen villis, molendinis, ſalinis &c. exceptis, intra moenia ſua complectitur ſexcenta ſeptemque habitacula, quinque templa, decem ludos litterarios vel ſcholarum ædificia, nec non centum & viginti quatuor horrea &c. & quidem in quinque tribubus vel partibus, in quas diſtributum eſt oppidum. Vrbs videlicet nova tres habet partes, cum 330. domibus; vetus autem oppidum duas partes cum 275. habitaculis. Cives olim numerabantur 1800; ſed poſtea tantummodo 700, ita ut in univerſum vel ſummatim anno 1769. ad calculum revocati fuerint homines 3730, nempe 1186 Catholici, 1429 Reformati, & 871 Lutherani, 176 Iudæi, 68 peregrini. In numero horum omnium mares erant 865, uxores 795, filii 874, filiæ 605, ſervi 181, ancillæ 255; Iudæis autem ſervientes 161; tandem matrimonio iuncti ſexcenti & quinquaginta.

Inter modo dictos cives inveniuntur artifices, opifices aliique, demtis mercenariis, operariis, inquilinis, ſive incolis iure civitatis deſtitutis, adeo ut in ſumma varii generis opifices *Crucenaci* reperiantur 479, ſcilicet Catholici 144, Reformati 228, Lutherani vero 125 y).

Secundum recenſionem vel computationem, anno 1769. factam, in civitate pecora varii generis paſcebantur, videlicet equi 114, boves 72, vaccæ 312, iuvenci 85, oves 600, porci circiter 451, capræ circiter 18, canes circiter 100; quorum autem numerus iam valde diminutus eſt.

Vniverſa civitas pro neceſſitate quotannis utitur ter mille orgyis lignorum cuiuscumque generis, quorum tamen nimia caritas non paulum premit incolas. Nam civitas, ex recenti ven-

y) Talis erat ſtatus an. 1772.

vendendorum lignorum institutione, vel secundum statuta fixaque lignorum pretia, iacturam plurium, quam antea, nempe 12000 florenorum, annuatim facit. Optant igitur rerum periti, ne ligna essent tanti nimis pretii, ut quoque melior fraudeque expertior mensura, veluti mensura cubicorum pedum, introduceretur, & mensura orgyiarum abrogaretur prorsumque tolleretur. Quoniam autem merx istiusmodi non est plebeculæ pauperis, antiqua hactenus locum obtinuit consuetudo.

Summa vel caput tributorum, a civitate eiusque limitibus conferendorum, quotannis efficit 68320, secundum tabellam m. Ianuario factam, sed cum censu victualium 73543, florenos.

Civitas quidem nonnullis iisque singularibus adhucdum fruitur privilegiis & immunitatibus z); quorum tamen nonnulla perierunt. Quotannis adhuc duo institorum mercatus vel nundinæ, & quidem autumnali vernoque tempore, *Crucenaci* celebrantur. Hæ nundinæ quondam erant lucrosæ & quæstuosæ, nunc vero oppidanis institoribus apprime noxiæ, sicuti cetera paganalia, quæ peregrinis exterisque omnem quæstum veluti adiiciunt a). Insuper æstivo tempore nonnulli frequentantur mercatus pecuarii; qui vero propter celebrem Fürfeldensium mercatum iam ferme nullius sunt momenti. Præterea civitas celebrat duos ordinarios mercatus hebdomadales: unum ordinarium per singulas septimanas mercatum frumentarium; qui autem aliquamdiu per negotiationem Bingensem detrimenti plurimum acceperat; nunc tamen per clementissima & prudentissima illustrium Procerum constituta pristinum in florem restitutus.

De mensuris denique, modiis & ponderibus, quibus Crucenacenses utuntur, nihil omnino est, quod hic loci subiiciendum censemus.

z) Supra §. XXVI. p. 132. seqq.

a) De mercatibus rursus supra §. XXXII. p. 173.



§. XLI.

Quod ad *campos agrosque* attinet, limites Crucenacenses in universum continent circiter 7541. iugera, & quidem novæ mensuræ Norimbergensis, ita ut quodlibet iugerum 160 perticas comprehendat. Agrorum adsunt 4019 iugera cum triginta perticis; in quibus sunt libera 1349 iugera, duo quadrantes & octo perticæ; sed tributaria 2669 iugera cum duobus quadrantibus & viginti duabus perticis. Vinearum exsistunt summatim 393 iugera, unicus quadrans, unica pertica; quarum vinearum libera sunt septuaginta quinque iugera, duo quadrantes, viginti tres & dimidia perticæ; sed earumdem vinearum tributaria sunt 317 iugera, duo quadrantes, septendecim & dimidia perticæ.

Pratorum hortorumque b) summatim sunt 357 iugera, duo quadrantes, triginta & dimidia perticæ; quorum immunia sunt 243 iug. & 31 $\frac{1}{4}$ perticæ; tributaria vero 114 iug. 1 quadr. 39 perticæ.

Silvarum, excepto monte caprino, sunt 1890 iugera, unus quadrans; quorum omnia sunt libera. Camporum *aliorum* & pascuorum in universum numerantur 416 iugera, quæ libera singula.

Quæ omnia simul computata summam efficiunt 7076 iugerum & 21 $\frac{1}{4}$ perticarum; ex quibus libera 3974 iugera, duo quadr. & 22 $\frac{3}{4}$ perticæ; sed tributaria 3101 iugera, duo quadrantes & 38 cum dimidia perticæ. Hic autem obiter notandum, reliqua quadringenta & sexaginta quinque iugera, ad universum limitum omnium complexum spectantia, in locis ædificiorum oppidanorum, in vadis fluentorum, in plateis, vicis viisque & antiqua Nava latitare.

Præ-

b) In hortis privatorum maxime laudatur hortus honoratissimi civis & mercatoris *Schmerzii*, in den Rhein. Beitr. zur Gelehrsamk. 1781. XI. Heft, p. 337-346. incl.

Præterea civitas Crucenacensis possidet silvam, extra suos terminos, retro pagum *Mandel*, circiter trihorium ab urbe dissitam, vulgo *der Geisberg* c) adpellitatam, circiter 1000 vel etiam 1200 iugera continentem. Dum hæcce scribo, certior sum factus, Serenissimam Principem ELISABETHAM, RVPERTI *Pipanis* viduam, hanc silvam a monte caprino dictam *der Geisberger-wald*, civitati Crucenacensi sua sponte donavisse. In eadem silva pagus & coenobium Sponhemiense habet pascua, & pagus Argenschwang pastum.

Præter modo nominatam silvam, extra limites oppidanos iacentem, intra limites iacent superius memorata 1890 iugera silvarum, & 416 iugera campi sterilis & arenosi, tribus in occidentalibus montibus, quorum nomina hæc sunt:

Silva cum pascuis in monte vaccarum (Kühberg), in qua sunt circiter 1017 iugera oppidana: Coetus Hackenhemiensis silva in eodem monte vaccarum, & quidem in terminis Crucenacensibus, 47 iugera, duos quadrantes & viginti perticas continens: Coetus Bosenhemiensis silva ibidem 92 iugerum: coetus Laubershemiensis silva Catharinæ, ibidem comprehendens 51 iugera, unum quadrantem, viginti perticas. Reliqua, huc spectantia, consulto tacemus.

Liberorum prædiorum possessores iam supra d) sunt recensiti. Hic ab oneribus publicis immunia bona subiungi poterunt: (1) Agri, ad salaria Ministrorum Electoralium pertinentes: (2) binæ salinæ THEODORI & CAROLI: (3) Coenobium Schwabenhemiense: (4) Fabricæ, quæ vocantur ecclesiasticæ: (5) Eleëmosynæ: (6) Lutheranorum coetus Winzenhemiensis: (7) Catholicorum, Reformatorum & Lutheranorum ecclesiastica bona, monasteria, templa: (8) Coenobium Sponhemiense &c.

Ex locis oppidanis modo dictis, quæ in vulgari sermone vocantur alimenta, cives iam diu nullos ferme fructus perci-

piunt,

c) Non *Gauchsberg*, ut perperam alibi scriptum.

d) Nimirum §. XXX. p. 164. & §. XXXIX. p. 199.

piunt, quid? immo proventus ipſorum locorum ne ſufficiunt quidem ad militaria civitatis debita delenda, atque ad alias res publicas procurandas. Sunt igitur alimenta per ἀντίφερνον dicta.

Exiguis decimis Sereniſſima Princeps Anhaltina Deſſavia, L. B. de Iſſelbach, reformatæ eccleſiæ Paſtores & ædituus aliique fruuntur; potiſſimum autem iisdem fruitur Electoralis Camera, ſpeciatim decimis ex vineis provenientibus, licet iſtiusmodi decimæ, ſicut ubique locorum ſint incertæ, vel potius inconſtantis & non determinati pretii. Ceterum eadem Sereniſſimi Principis Camera recipit vectigalia aliaque portoria, eumque in finem ibidem conſtituit quemdam præfecturæ telonarium, qui modo in urbe nova, nec non quemdam telonii exactorem, qui nunc in priſco habitat oppido.

In terminis Crucenacenſibus pecuaria non magni eſt nominis, partim propter defectum pratorum pabulorumque, partim quoniam poſſeſſores agrorum plurimi tantum ſunt opifices, qui ſuos agros per agricolas, ex vicinis limitibus advenas, colendos curare coguntur.

Præterea civitas ratione doliorum, circulorum pecorumque vectigalis expers eſt in dioeceſi Sponhemienſi. Reliqua, quorum hic loci mentionem iniicere poſſemus, oeconomicis merito relinquimus ſcriptoribus.

§. XLII.

Alia *naturalia* iam reſtant. Materiam, quæ cæditur, quercus ceteraque cives emunt a vicinis ſuis, qui tamen perparum horum lignorum habent reſiduum. Ceterum cives ædificia ſua ut plurimum exſtruunt & conſtruunt ex abietibus ſive arboribus & trabibus abiegnis, quas ab oppidis Moguntia & Wormatia repetere debent. Id quod maxime ſumtuoſum & incommodum eſſe, nemo non confitetur.

Ibidem etiam fodinæ luteæ vel argillaceæ nec non arenariæ inveniuntur; item multæ lapicidinæ ſeu latumiæ. Lapides

pides quidem ſunt vivi, ſed duri quarci, prouti dicuntur, qui multum attrahunt humorem multamque aquam, ſed non facile cædi queunt, multo minus fabricari; licet ignem nec patiantur nec igni conveniant, alioquin tamen omni reſiſtunt tempeſtati. Qui vero, quantum quidem novimus, ſi vellent opifices, ſecari ſerra poſſent, atque ita ſecti ad menſas, vel diſcos, vel paropſes aptari. Ibi quoque exſiſtunt rubri coloris lapides, quos accolæ nominant *Mollſteine;* qui quidem ignem, ſed non aquam, non aërem perferre & edurare queunt. Inceptæ quoque cernuntur latomiæ glaucorum vel cinereorum ſabulorum, quæ haud difficulter cædi fabricarique poſſunt. Iſtiuscemodi vero ſabula infra foſſæ caſtrenſis pontem, ad rivum Ellerbach, reperiuntur. Iſtæ latomiæ, quod miror, hodiedum extra uſum ſunt, nec lapides ibidem cæduntur.

Cæſi præterea lapides, qui ibidem ad varios uſus adhibentur, Ebernburgo, Staudernhemio, Beckelnhemio, Alſenza & aliorſum, interdum etiam a vicina Fürfelda, repetuntur atque adportantur.

Silices maiores, ſeu lapides, quibus viæ ſterni ſolent, ibidem ex abundanti ſunt obvii. Fundus paſſim & plerumque bonæ eſt indolis, omnis generis fruges fructusque proferens, ſed tamen paulo durior, firmior & denſior, quam ulterius in ipſo pago (in dem Gau) iuxta Woellſtenium aliasque plagas, non tamen eo modo durus denſusque, quam in minori præfectura Beckelnhemienſi, prouti fundus eiusdem minoris præfecturæ non tam denſus eſt atque compactus, quam in pago Hunnorum.

Quod ad naturalia, quæ proprie ſic dicuntur, attinet, in monte vaccarum occurrit rudus ſaxorum, ex parvis quarcis aliisque lapidum ſpeciebus conſtans. Occurrunt quoque lapilli, qui, cum punicea ferroque ſimili maſſa, firmi ſunt, ac, veluti vitrum, denſe conglutinati. Ceterum præ ſe ferunt ſpeciem pinguis cuiusdam farciminis diſſecti.

Apud priſcas porticus pone montem *Belz* dictum, & quidem ſilvam Arauſionenſem verſus, alabaſtritæ, melius Germanice *Wallſteine*, ſupra modum graves, clari, lucidi immo & rubicundi paſſim reperiuntur. Quibus omnibus addimus cæmenta profecto mirum in modum denſa, in monte patibuli naſcentia, altis viis ſternendis aptiſſima.

Quod reliquum eſt, petrefacta, ceterique naturæ luſus curioſi, quantum quidem mihi conſtat, hic prorſus ignorantur e). De hydragyri fodinis, in vicinia Crucenacenſis urbis exſiſtentibus, alibi fuſius agitur f).

Ex hiſce prædictis dilucidiſſime liquet, multa falſa de *Crucenaco* apud quosdam g) occurrere.

§. XLIII.

Secundum ordinem nobis conſuetum *res eccleſiaſticas*, quarum ſtatus hodiernus ab eo, qui prioribus ævis fuit, experientia teſte, multis paraſangis diſcrepat, hic loci ſubnectere poſſemus, ſed iſtas, quoniam ſcopum noſtrum, quem in huiuscemodi ſcriptis intendimus, ſpeciatim non attingunt, ſilentii velo potius involvemus, quam ut enarremus, ea, quæ hac de re in Mſſ. meis latitant, in ſcenam hac occaſione non producturi. Eas vero reſpectu civitatis Crucenacenſis, nimirum de anno 1567 & ſequentibus alii h) diligenter accurateque

e) Alia vid. ſupra §. XXX. p. 163. ſeq. & §. XXXII. p. 173. ſeq.

f) Apud ampliſſ. *I. C. Collini* in der mineralog. Reiſe cap. V. p. 156-167; quæ etiam obſervavit ven. & celeb. *Ioan. Schwab* diſſ. de metallis in ordinem ſyſtem. redactis (Heidelb. 1779. 8.) p. 88. Conf. ſupra §. XXXII. p. 174. not. d.

g) V. gr. in der Europ. Staats- & R. Geogr. vol. IV. cap. V. p. 788; quæ *Matthis Quad* in der Beſchreibung von Teutſchland, præcipue circa finem, habet, ſupra §. VII. p. 15. ſeq. dedimus.

h) Nimirum magnus ille *L. C. Miegius* in dem ausführl. Bericht &c. p. 83. ſeq. & *B. G. Struvius* in der Pfaelz. Kirchen-hiſt. paſſim.

que tractaverunt. Anno 1566. PHILIPERTVS, Marchio Badensis, FRIDERICVM III, Electorem Palatinum apud Cæsaream Maiestatem in puncto religionis accusavit, sed argumentis minime sufficientibus, nec prospero rerum successu i). De reliquo paucis monemus, statum & exercitium religionis Evangelico-Lutheranæ demum an. 1631. fuisse determinatum k).

§. XLIV.

Tandem hic coronidis loco, priusquam ad litteraria transgredimur, nonnullos præfecturæ præfectos, quorum quosdam iam supra l) laudavimus, breviter sumus indicaturi.

1) Iam an. 1474. occurrit *Wilhelmus von Randeck*, tamquam Præfectus Crucenacensis m).

2) *Wigandus de Dienheim* an. 1521. Crucenaci fuit magnus aulæ Magister & Archisatrapa.

3) *Ioannes von Dienheim* ibidem fuit Consiliarius, magnus aulæ Magister & Archisatrapa n).

4) *Ioannes Waghnerus*, Sponhemiensis, an. 1591. apud Anchoranos (zu Enckirch) fuit Dapifer. Idem est, qui carmen Latinum elegiacum, historiam Palatinam egregie illustrans, edidit, cuius plenum titulum hic exscribimus: „Elegia funebris: ad illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, Comitem Veldentiæ & Sponhæmiæ &c. de luctuoso suæ Celsitudinis, illustrissimæ, charissimæque Matris, ANNAE Landgraviæ &c. obitu. Huic gratulationis & recreationis

i) Idem *Struvius* p. 182.

k) Apud eumdem p. 566.

l) Nimirum §. VIII. p. 20. seq. & §. XXV. p. 128. seqq.

m) Conf. ven. *Würdtwein* in subsid. diplom. Tom. VI. p. 173.

n) Hæc decerpsi ex tabulario amplisſ. Senatus eccleſ. Palatini.



vice adiectum est, ad eundem Principem &c. carmen genethliacum heroicum, de suæ Celsitudinis: GEORGIO GVILIELMO Palatino &c. primogenito Filio. Auctore *Iohanne Waghnero*, Sponheimense, apud Anchoranos *Truchsesio*, Francofurti apud Nicolaum Bassæum. anno M. D. XCI o). „

5) *Wilhelmus Pabst* fuit an. 1662. Præfectus & Dapifer Crucenacensis, postmodum vero, nimirum ab anno 1666. Corrector Alceianus, Consiliarius Palatinus & bonorum ecclesiasticorum Administrator p).

6) *Wolffgangus Bernhardus de Geispizheim* anno 1667. muneribus Archisatrapæ Crucenacensis atque intimi Consiliarii apud Sereniss. Principem Simmerensem laudabiliter functus fuit q).

7) *Wolffgangus Theodoricus*, Comes *de Castell*, supremus aulæ Palatinæ Præfectus:

8) *Henricus Casimirus* L. B. de *Steinkallenfels*, aulæ Palatinæ Marescallus & consilii bellici Præses:

9) *Ioannes Fridericus* L. B. ab & in *Stein*, supremus dicasterii Iudex & Cameræ Præses. Hancce virorum trigam, non sanguinis splendore minus, quam prudentia multoque rerum usu præstantissimam, in negotiorum curarumque consortium adsumsit Serenissimus Princeps CAROLUS, Elector Palatinus r). Ex quibus Triumviris L. B. de *Steinkallenfels*,

---

o) Adiuncta sunt *Ioan. Wachii* symbola metrica. In fronte huius rarissimi scripti insignia Palatina, in calce autem & Palatina & Hassiaca conspiciuntur.

p) Vid. Personalia post *Ioan. Georg. Ohmii* concionem funebr. Germ. in obitum *Catharinæ Pabstiæ*, natæ *Lutzenkirchiæ* (1674. 4.) pag. 21.

q) Ex cit. Tabulario.

r) Conf. *Iac. Wilh. Im-Hoff* in notitia S. Rom. Imp. Germ. lib. II. cap. IX. num. 3. p. m. 75.

fels, Electoris nomine, aliquamdiu præfuit Comitatui Sponhemiensi s).

10) D. 10. April. an. 1699. *Ioannes Nicolaus Quad*, antea Consiliarius & Dapifer Crucenacensis, constitutus fuit Consiliarius Regiminis t).

11) *Ioannes Henricus Otto*, Iudicii aulici Consiliarius & Crucenacensis dapifer, die XIV. Aug. an. 1709. nactus est titulum Consiliarii Regiminis u).

12) D. XXIV. Iulii an. 1713. L. B. de *Hundheim*, Camerarius Palatinus & Archisatrapa Crucenacensis, dignitate & munere Consiliarii intimi fuit condecoratus v).

13) *Christianus Rittmeyerus*, anno 1720. fuit Consiliarius Regiminis Palatini, & præfecturæ Crucenacensis Dapifer w).

14) *Laurentius Flad*, qui iam secundo loco fuisset nominandus, an. 1476. fuit Dapifer Crucenacensis; cuius insignia vitro caustico fenestrarum templi P. P. Franciscanorum impressa, ibidem cernuntur. Conf. quæ observavit Vir ill. *P. W. L. Flad* in specim. anecd. iuris Palat. statutarii &c. p. 17.

15) *Franc. Daniel Heilaß*, *(Heiles)* an. 1671. nomine Electoris Palat. functus est munere Dapiferi Crucenacensis; id quod didici ex epithalamiis, in nuptias eiusdem cum *Maria Elisabetha Weisselia*, nata *Miegia*, concinnatis, Heidelb. 1671. 4.

Viros autem & Dominos illustrissimos & generosissimos, illustres & generosos, qui hodie summa cum laude Archisatrapiæ Crucenacensi præsunt, resque suas felicissime peragunt, supra x) iam commemoravimus & iure meritoque laudavimus.

s) Idem l. c. num. 25. p. 85. t) Ex tabulario cit. eccl.

u) Ex eodem. v) Rursus ex eodem.

w) De quo pluribus infra de litteratis §. XLVII. num. 7.

x) Nempe §. IX. pag. 28.



§. XLV.

Hisce præmissis, nobis ad *litteraria* patet aditus. De *Litteratis* autem *Crucenacensibus* acturi, ipsos in tres classes distribuemus, nimirum in classem *antiquiorum*, tum in classem *recentiorum*, & tandem in classem *recentissimorum*, sed fatis iam functorum; utpote quos nonnulli, vitam adhuc viventes, sequentur. Quod igitur ad *antiquiores* attinet, in iis præter alios potissimum occurrit:

A.) *S. Hildegardis*, quæ fuit *Hildeberti*, viri nobilis, militiaque sub *Meginhardo*, Comite Sponhemiense, egregie spectati ac *Mechtildæ*, natalibus itidem illustris feminæ, filia, nata *Beckelnhemii* circa annum 1098 y), vel potius circa annum 1096 z). Hæcce iam anno ætatis suæ quinto *Iuttæ*, sorori Comitis *Meginhardi*, in monte D. *Disibodi* studio religionis intra sacros parietes inclusæ, a parentibus in disciplinam traditur; a qua laudabiliter honesteque & educata & erudita, vixit eodem in loco, donec tandem, nempe post obitum *Iuttæ*, numero Virginum aucto, ad montem S. *Ruperti*, iuxta Bingensium oppidum, *Cunonis* Abbatis permissu, cum duodeviginti sororibus, inter quas una erat *Hiltrudis*, Comitis *Meginhardi* filia, virgo sanctæ integræque vitæ, atque *Hildegardi* nostræ summopere familiaris, anno 1148. transmigravit a), atque ad sinistram Navæ ripam in monte parthenonem, prouti adpellitant, condidit; utpote qui D. *Ruperti*, Confessoris, nomine insignitus, magnæ quondam celebritatis, sed tamen demum post decennium an. 1158. confirmatus fuit & stabilitus ab *Arnoldo*, Archiepiscopo Mogun-

y) Prouti habet celeb. *Ioecherus* in dem allgem. gelehrten Lex. P. II. p. 1601.

z) Vid. *Anton. Pagi* in critica Baroniana ad annum MCLXXVIII. num. VIII. p. 645.

a) Teste *Trithemio* in chron. Sponh. ad an. 1148. p. m. 250. seq; id quod etiam observavit b. *Kremerus* in den diplom. Beitr. p. 40. seq. not. 39.



guntino b). Ipſa *Hildegardis* tum vitæ ſanctitate, tum prorſus admirandis rerum abditiſſimarum notionibus, & futurarum prædictionibus, immo variis argumenti ſacratioris ſcriptis, quæ orbi reliquit, non iſta tantum, qua vixit, ætate, multi fuit nominis, ſed hac quoque ætate noſtra merito præclaræ, potiſſimum apud Romano-Catholicos, adhucdum eſt exiſtimationis. Quum autem plures annos aſceterii ſui magiſtram non ſine ſingulari ſanctitatis fama egiſſet, anno MCLXXVIII. terreſtri vita exceſſit c). Ceterum operæ pretium erit, ut hic loci attexamus verba ven. Abbatis d): *Hildegardis ſanctimonialis*, inquientis, *abbatiſſa monaſterii ſancti Ruperti confeſſoris, in oppoſito Bingenſis oppidi ex altera parte Naii fluminis, Moguntinæ dioeceſis, ordinis divi Patris Benedicti, oriunda ex comitatu Spanhemenſi, diſcipula quondam beatæ virginis Guttæ, ſororis Megenhardi comitis de Spanhem, fundatoris noſtri, virgo ſanctiſſimæ converſationis, & a pueritia ſua divinis revelationibus illuſtrata, multis in vita ſua miraculis claruit, & odorem ſanctitatis in longinquas regiones diffudit, adeo ut Eugenius tertius, Anaſtaſius quartus, Adrianus quartus, & Alexander tertius, Romani Pontifices, eam ſcriptis ſuis ſæpe viſitantes, & ſe & Romanam Eccleſiam orationibus eius commendarent. Eugenius quoque tertius in concilio apud Treverim habito ſancto Bernardo & multis Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, & clericis præſentibus, libros huius virginis publice coram omnibus lectos approbavit, tanquam divinitus inſpiratos & Catholicæ fidei conſentaneos, & ut coepto perſeveraret in propoſito epiſtolis apoſtolicis admonuit. Scripſit autem multa opuſcula ex revelatione angelica, de quibus extant ſubiecta: In regulam ſancti Benedicti, brevis explanatio lib.* I. *ad Wibertum monachum de triginta quæſtionibus ſibi ab eo propoſitis libr.* I. *vita ſancti Ruperti Ducis & confeſſoris lib.* I. *vita quoque*

b) Conf. eiusdem diploma, num. XI. diplomatarii Diſibodenbergenſis p. 132. ſeq.

c) Vid. *Anton. Pagi* l. d.

d) Nempe *Trithemius* in catal. illuſtr. virorum p. m. 138.

quoque sancti Disibodi episcopi Hyberniensis, qui pro Christo peregrinus in Alemaniam veniens, in comitatu Spanhemensi multis miraculis clarus requiescit, lib. I. super Evangeliis Dominicalibus homelias LVIII. composuit valde obscuras & nisi devotis & eruditis intelligibiles. Item de Sacramento altaris contra quosdam huius temporis hæreticos lib. I. volumen quoque magnum, quod prænotavit Scivias, id est, scito vias, scilicet Dei & sanctorum, de quibus valde subtiliter & religiose disputat. Aliud, quod inscripsit vitæ meritorum, opus non spernendum, lib. 3. item aliud simplicis medicinæ prænotatum lib. I. & aliud compositæ medicinæ prætitulatum lib. I. in his duobus mirabilia & secreta naturæ subtili expositione ad mysticum sensum refert, ut nisi a Spiritu Sancto talia, fæmina minime scire posset. Scripsit aliud volumen grande, cuius titulus est, divinorum operum lib. I. ad clerum Treverensis urbis, de futuris ecclesiæ calamitatibus lib. I. ad Colonienses quoque de eadem materia lib. I. Miranda in his prædicit, tamen sine determinatione temporis. Scripsit etiam ad petitionem quorundam sacerdotum exhortatorium secularium lib. I. ad sorores suas exhortationes lib. I. ad monachos griscos lib. I. Carmina diversa dulci melodia composita. Ad sanctum Bernardum Clarevallensem epistolam unam. Epistolarum quoque ad diversos lib. I. e quibus legi centum, trigintaquinque, in quibus omnibus doctrina Catholica relucet, quæ vel fidem confirmet, vel instruat disciplinam. Vndecimus in eodem volumine epistolarum multas literas Conradi tertii, & Frederici primi Imperatorum, multorumque Episcoporum Moguntinensis, Treverensis, Coloniensis, Bremensis, Hierosolymitani, Bambergensis, Wormaciensis, Spirensis & aliorum pene innumerabilium, qui ex diversis mundi regionibus fama sanctitatis eius & divinarum revelationum provocati, per nuncios & epistolas orationibus eius se commendabant, & diversarum quæstionum solutionem ab ea quærebant. Moritur autem sub Frederico Imperatore primo, anno Domini M. CLXXX e). Indictione XIII.

15. Cal.

e) Non an. 1180, sed 1178, prouti modo vidimus sub litt. c.

15. *Cal. Octobris. Aetatis suae anno* LXXXII. *sepulta in medio chori iam dicti monasterii sancti Ruperti, ante maius altare.*

Ex modo memoratis clarissime perspicimus, Virginem nostram scripsisse libros aliquam multos; qui anno MDLXVI. Coloniae Agrippinae primum sunt iunctim evulgati; indeque transierunt in *Bibliothecam veterum Patrum* editionis Coloniensis, anno MDCLXXVII. curatae, tomo vicesimo tertio, non tamen omnes. Iam alibi quoque de nonnullis D. *Hildegardis* opusculis actum fuisse novimus f). Hic vero scriptis eiusdem addimus sequentia: Anno 1510. adparuit scriptum quadraginta pagellarum in 4. sub hoc titulo: *Diess Biechlein wirth genant die Weissagung von zukünftiger Betrübniss. — — welche — uns klaerlichen aussprechen — ist Sant Brigitta, Sant Sibilla, Sant Gregorius*, Sant Hilgart, *Sanct Ioachim.* In calce haec habentur: *Anno Domini* M. CCCCCX. *gedruckt und vollent durch Hanns Schensperger den Iungen an Sant Thomas des heiligen zwelff potten abent.* Anno 1513. Lutetiae Parisiorum in fol. prodierunt: Hermae Martyris, Vguclini Monachi, F. Roberti, trium virorum, & *Hildegardis*, Elisabethae, Mechtildis, trium virginum Spiritualium visiones. An. 1626. Coloniae in fol. *Hildegardis* revelationes fuerunt separatim editae. Quod insuper alibi g) de editione quadam anni 1527. coniicitur, omnino certissimum est; ea namque in publica bibliotheca Francofurtensi ad Viadrum exstat h). In famosissimo illo libello, cui titulus: *Elixir Iesuiticum* i), & qui-

f) Nimirum in den Carlsr. Beitr. zu den schoenen Wissensch. &c. vol. II. part. II. p. 170-190; ubi de quibusdam eruditis Palatinorum feminis agitur, atque vita S. Hildegardis delineatur; in fine autem pauca de D. Hildegunda subiiciuntur.

g) In den Carlsr. Beitr. l. d. pag. 187.

h) Conf. *Becmanni* catal. p. 146.

i) Vid. quae scripsimus de nostro Gymn. Heidelb. spicil. V. §. XV. p. 11. & de eruditis Palat. Belg. sect. II. §. XVII. p. 39. seqq; ubi ostendimus, hoc scriptum haud immerito tribui *Ioan. Leonardo Weidnero.*

quidem P. II. edit. an. 1645. occurrit biographia huius *Hildegardis*, & vaticinium de Iesuitis k). Codicibus manu scriptis l) addi volumen poterit in pergamena exaratum, quod in Eberbacensi Rhingaviæ monasterio habetur m). Ceterum hic non addimus plura. Plura namque qui velit, alios adeat scriptores n).

B.) Virginem hancce sacram excipit *Anselmus* vel *Anshelmus* de *Bickelnheim*, ideo cognominatus, quod *Beckelnhemii* natus fuit, vir, uti sanguine, sic etiam virtute S. *Hildegardi* iunctus. Huncce, dum adhuc erat monachus, anno 1127.

---

k) Quod iam monuit ven. meus Amicus celeber. D. *Büttinghausen* in den Ergoezlichk. aus der Pfaelz. & Schweiz. Gesch. und Litteratur, P. I. num. IX. p. 45. seq.

l) Quorum *Oudinus* tomo II. commentarii de scriptoribus & scriptis ecclesiasticis col. 1573. mentionem facit.

m) Id quod iam olim *Serarius* lib. II. rerum Mogunt. cap. XXVIII. §. III. p. 200. observavit; sed celeb. *Ioannis* in adnot. ad eumdem e litteris *Viti Seidelii*, Præpositi Eibingensis, luculentius edisseruit.

n) V. g. *Theodoricum*, Abbatem Disibodenb. in vita eius, quam in compendio attulit *Serarius* l. d. cap. XXXVII. p. 195. seq; *Cornerum* in chronico, quod tomo II. scriptorum medii ævi, quos *Eccardus* edidit, habetur, col. 684; *Ericum Rhonæum* Neopatrensem, *Caveum* & *Chladenium*, apud cel. *Crollium* in cit. orat. de Beckelnh. p. 42. in not. Quibus subiungatur *Trithemius* in chron. Sponh. P. II. opp. hist. p. 250. 251. & 257; in annal. Hirsaug. Tom. I. p. 415. seq. 420. seqq; *Wolfius* in lect. memor. cent. XII. p. 397. seqq. De vaticiniis ipsius multa sunt obvia in *Matth. Flacii Illyrici* catal. testium veritatis num. CCXIV. p. m. 586. seqq. & in auctario eiusdem catalogi p. m. 224. edit. Cattipolit. 1667. 4. (Hoc auctarium debemus *Ioan. Conr. Dieterico*, Prof. Marburg. inde Giessensi. Vid. *Placcius* de anonymis, num. 1071. seq.) Quibus addatur cel. *Ioecherus* l. d. P. II, p. 1601; ubi perperam scribitur, eam defunctam esse d. XVII. Sept. an. 1180.

1127. *Bernardus* Abbas Romam misit ad sedem Apostolicam, & quidem ad rogandum impetrandumque a Papa *Honorio* privilegium Apostolicæ defensionis monasterii Sponhemiensis; utpote qui reversus obtinuit privilegium, cuius apographum hodie obvium est o). Hic post *Bertholdum* creatus est secundus in ordine gregi coenobitarum in asceterio Sponhemiensi servando præfectus, quem ex vulgari usu loquendi *Priorem* adpellitant. Idem bonarum litterarum & amans erat & studiosus: qui quoque ingenti posterorum commodo bibliothecam coenobii haud mediocriter adauxit p). Obiit XII. Cal. Ianuarii an. 1179, muneris vero sui an. XLIII. De ipso insuper sequentia legimus q): *Qui fuit inter primos duodecim de monasterio S. Iacobi huc missus. Erat enim vir bonus & regularis disciplinæ amator præcipuus; qui moriens viginti monachos post se in hoc coenobio bene institutos reliquit. Ipse bibliothecam non mediocriter auxit, & scriptores optimos quamplures instituit* r).

C.) *Anselmum* sequitur *Baldemarus*, e comitatu Sponhemiensi oriundus; & quidem in villa *Creutzenacht*, honestissimis parentibus progenitus & probe educatus. Sub *Crafftone* Abbate ad monasterium Sponhemiense perveniens, cum bonæ indolis adolescens esset undeviginti annorum, & iam egregie in studiis eruditus propædeuticis, monachus ibidem nuncupatus est. Postea Cantoris & Oeconomi officium multis annis administravit. Tandem in locum defuncti *Adelgeri*, tertii monasterii Abbatis, locum unanimi consensu eligitur III. nonas Iulii an. 1181. Qui, deinceps a *Christiano*, Archiepiscopo Moguntino, ordinatus, monasterio suo annis septemdecim, mensibus undecim, diebus vero septemdecim præfuit laudabiliter. Nam nomen habuit viri pii atque in

 utro-

o) Apud *Tritbemium* in chron. Sponh. p. 241; conf. idem ibid. p. 245.

p) Conf. supra §. XVII. lit. c. pag. 79.

q) Apud *Tritbemium* in chron. Sponh. p. 256.

r) Conf. quoque *Crollius* l. d. pag. 43.

utroque rerum monasticarum statu affatim experti. Hic sororem habuit *Vdegebam*, piam cultuique divino devotam virginem, in coenobio eremitarum Sponhemiensium cum aliis sacris virginibus religionis gratia inclusam; quæ fratrem admonitionibus suis dulcissimis ad sacra colenda traduxit s). Frater autem eius Abbas creatus, amore precibusque sororis victus, coenobium nimis angustum ampliavit, atque in eo sorores usque ad duodenarium numerum congregavit; quæ omnes de quantacumque paternarum suarum hereditatum portione atque de manuum laboribus vixerunt, ita ut omnia bona inter ipsas fuerint communia t). Idem *Baldemarus* est, qui cum villanis Sponhemiensibus quamdam ratione pascuorum nemorumque habuit discordiam, sed tamen per Comitem *Gerlacum* atque alios amicos, ex consensu partium, feliciter sedatam ac sopitam u). Diem obiit supremum d. x. Calend. Iunii an. 1199. ætatis suæ quinquagesimo quarto nondum completo, sepultus in cœnobio ante ianuam templi. Bonus iste Abbas & religiosus rite & utiliter tam in ecclesiasticis quam oeconomicis rebus munus suum semper obiit v).

D.) *Ioannes*, dictus de *Sobernhem*. Vrbs namque *Sobernhemium* ipsum progenuit, virum sane religiosi instituti quam observantissimum, qui inter Abbates Sponhemienses nomen *Ioannis secundi* tulit w). Honestissimis quidem, sed mediocris fortunæ parentibus natus, cum adhuc puer duodecim annorum esset, monasterio ab ipsis genitoribus suis traditus fuit; ubi satis bene secundum mores illius temporis coram fratribus conversatus, postea per *Petrum* Abbatem Cellarius

s) Denata est *Vdegeba* IV. Idus Iulii an. 1197. Vid. *Tritbemius* l. c. pag. 359.

t) Legatur idem *Tritbemius* l. d. pag. 257. & 278.

u) Idem ibidem p. 258.

v) Idem rursus ibid. p. 259.

w) Vid. idem *Tritbemius* in annal. Hirsaug. Tom. II. ad an. 1290. p. 54.

larius conſtitutus, tandem eidem in regimine ſucceſſit anno 1290. Hunc *Gerardus*, Archiepiſcopus Moguntinus, rite confirmavit, atque eodem anno, Dominica poſt diem S. Vrbano ſacrum, per *Petrum*, Epiſcopum Sudenenſem, generalem in Pontificalibus vicarium, quem vocant, Moguntiæ ordinandum curavit. Sub huius præſidio ædes coenobii Sponhemienſis denuo ſollemni cerimoniarum adparatu per modo memoratum Epiſcopum *Petrum* conſecratur. Monaſterio ſuo præfuit annis ſeptem, menſibus undecim. x) Nam an. 1298. ipſis calend. April. noctu circa undecimam, ætatis anno ſexageſimo tertio, ſed octavo regiminis ſui, debita naturæ ſolvit, ante gradus presbyterii terræ mandatus. Ceterum *erat* y) *homo bonus & humanæ converſationis, amator pacis & quietis, & quem iurgia & contentiones ſecularium negotiorum non magnopere delectabant. Verum tamen male præſumtam licentiam monachorum a regularis obſervantiæ integritate longe recedentium non compeſcuit, ſed diviſionem redituum cum pernicioſo peculio, ut reperit, permiſit* z).

E.) *Henricus*, Crucenaci procreatus, cuius pater *Albertus* Comitum Sponhemienſium pincerna fuit, ad ſcholas miſſus, non litteris, ſed vanitati omnem dedit operam, & propterea illitteratus evaſit & permanſit. Petentibus autem Comitibus primum monachus, deinde vero poſt mortem *Willichonis* anno 1337. Abbas duodecimus monaſterii Sponhemienſis electus; utpote qui, confirmatus ab *Henrico*, Archiepiſcopo Moguntino, munus benedictionis ab eius in Pontificalibus vicario, fratre *Alberto*, Epiſcopo Ibinenſi, Moguntiæ in templo P. P. Prædicatorum ſuſcepit. Ipſe prorſus nihil pro monaſterii ſui utilitate fecit, ſed e contrario

x) Idem in annal. Hirſ. l. d. & in chron. Sponh. p. 294.

y) Hæc ſunt verba *Tritbemii* in chron. Sponh. p. 297.

z) Conf. idem *Tritbemius* Tom. II. ann. Hirſaug. p. 30; Huius *Ioannis* Sobernh. meminit quoque cel. *Crollius* in cit. orat. p. 44. not. **

rio multa potius eidem damna intulit. In primis namque regularis observantiæ disciplinam penitus perire permisit: monachis peculium indulsit: redituum divisionem inter se & coenobii conventum contra monasticum institutum instituit. Hinc quoque ipsa redituum facta fuit inter ipsum Abbatem & conventum divisio. Monachi, sine alicuius interdicto, semet in omnem diffundere licentiam coeperunt. Bibliothecam, a principio fundati monasterii satis locupletem, variisque & egregiis refertam voluminibus, turpissime destruxerunt, pretiosissima pro vili pretio volumina vendentes, ut satisfacere suis comessationibus & voluptatibus eo melius possent a). Insuper ipse Abbas iam primo sui regiminis anno magnam nemorum & silvarum partem, inter villas *Weiler* & *Argenschwang* sitam, a coenobio alienavit, atque in omnibus suis actionibus minime prudens minimeque circumspectus, sed nimium negligens numquam non exstitit b). Ceterum hic *Henricus* anno 1340. VI. Calend. Maii vitam cum morte commutavit, terræ redditus in corpore templi ante altare S. Crucis. Detrimentosum autem posteris reliquit testamentum, quo monasterii proventus tamquam proprii monachis concedebantur, non attendens pietatem & probitatem Abbatum *Dietlibi* & *Willichonis*, antecessorum suorum c).

F.) *Wilhelmus*, dictus de *Beckelnheim*, quoniam eius patria fuit villa *Beckelnhemium*. Honestissimis autem oriundus parentibus, & quidem ex militari genere procreatus, ex illa videlicet progenie, sub qua S. Virgo *Hildegardis* d), fundatrix & Abbatissa monasterii S. Ruperti apud Bingium, quondam exstitit nata. Hic *Wilhelmus* a parentibus

a) Vid. quæ supra §. XVII. p. 80. seqq. de bibliotheca Sponh. diximus.

b) Conf. *Trithemius* in chron. Sponh. p. 314.

c) Idem ibid. p. 316.

d) De qua superius in hoc §. lit. A. p. 214. seqq.

bus in pueritia traditus litteris fuit; quibus operam diligenter impendens, pro modulo suo satis eruditus evasit. Deinceps, quum iuvenis viginti trium annorum esset, sub imperio *Ioannis* & *Simonis*, Sponhemiensium Comitum, militare cœpit, atque per aliquot annos in ipso militaris ordinis officio perduravit. Verum autem, cum esset corpore gracilis imbecillisque, postremo militia vacare voluit. Proinde sub *Willichone primo* monachus nuncupatus, ad sacerdotalem ab eodem deinceps promotus fuit dignitatem. Erat in conversatione plane moribus compositus, mitis & tranquillus, immo is, qui ab omnibus merito diligebatur. Quapropter, quum vitæ morumque probitate præter alios venerandus existimaretur, dignus omnino fuit iudicatus, qui Abbatis titulo monasterii sui gubernacula teneret. Nam, mortuo *Willichone* II, monasterii Abbate decimo tertio, fratres anno Domini 1341. indict. IX. die S. Cyriaci sociorumque eius Martyrum, quæ est VI. Iduum Augusti, hunc *Wilhelmum* omnium suffragiis eligunt; qui ab *Henrico*, Archiepiscopo Moguntino confirmatus, & per eius in Pontificalibus vicarium, *Rudolphum*, Episcopum Saloniensem, introductus, infulaque ex more condecoratus. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo, quum nova capella, quam in ambitu fundaverat, iam esset consummata, curavit, ut ea per modo dictum *Rudolphum* d. V. Sept. in honorem B. V. Mariæ consecraretur. Quoniam autem omnes eo tempore monachi in hoc coenobio proprietarii erant, & pecuniam publice, quasi licitum fuisset, possidebant, Abbas *Wilhelmus* dictam ædiculam sacram de bonis monasterii dotavit, eamque, fratribus consentientibus, officio Prioratus, uti vocant, cum omnibus suis proventibus adsignavit: hisce videlicet sub conditionibus, ut Prior, qui pro tempore esset, duas hebdomadatim missas in ea celebret, prouti patet ex litteris, eam ob rationem confectis & datis an. 1350. die epiphaniæ Domini. Hæc ante eius resignationem facta esse novimus. Consecratio autem capellæ post eius resignationem sub Abbate *Philippo*, *Meyswin* cogno-

mina-

minato, demum peracta fuit, ut liquido ex calculatione dierum patescit e).

Idem *Wilhelmus* gubernacula regiminis sui multa cum laude tractavit. Verum senio & infirmitate gravatus, anno 1315. abdicavit sese Abbatis munere, idque in manus conventus sui sua sponte libereque tradidit, secunda feria ante diem S. Laurentio martyri dicatum, atque eodem anno d. V. Calend. Octobr. vita defunctus est, in medio templi, quod fundaverat, tumulatus f). Præfuit itaque coenobio annis novem satis utiliter g). Ceterum de ipso hæc legimus h): *Homo bonus & pius, qui multa huic monasterio bona fecit, curtes, possessiones, reditus & census ampliavit. Nam curtem in Blenich & curiam in Bingen ad proprietatem monasterii pecunia comparavit; curtim quoque in Bockenaw cum certis aliis bonis de suo patrimonio in possessionem perpetuam monasterii acquisivit* i). *His beneficiis, quæ monasterio in vita sua exhibuit, fratres, qui tum erant, perpetuum ei anniversarium quater in anno peragendum, post mortem inducti, adhuc viventi promiserunt, in quibus more Canonicorum portiones inter se, quas appellant præsentias, dividere solebant. Ad cuius sepulcrum quicunque orationem Dominicam cum Angelica salutatione, aut* VII. *Psalmos, vel quaslibet alias orationes devotus pro anima ipsius dixerit, indulgentias* CCCCLXXX. *de iniunctis poenitentiis consequetur, ut patet in literis per Philippum abbatem a duodecim episcopis anno* LIX. *impetratis* k). Harum litterarum exemplum nobis scriptum reliquit sæpe laudatus Abbas l).

G.) Jo-

---

e) Apud *Trithemium* l. d. pag. 322.

f) Vid. *Trithemius* in chron. Sponh. p. 322; conf. cel. *Crollius* in cit. orat. p. 24.

g) Legatur *Trithemius* Tom. II. annal. Hirsaug. p. 189.

h) Apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 322. & 323. init.

i) Conf. idem l. d. pag. 318. & 320.

k) Hæ litteræ datæ sunt Avinioni XX die Maii anno Domini MCCCLVIII. Pontificatus Innocentii VI. anno sexto.

l) Nempe *Trithemius* l. d. pag. 326.

G.) *Joannes Faustus*, alias *Fust*, fuit natione Teutonicus, & quidem ex oppido *Crucenaco* Comitatus Sponhemiensis oriundus, ordinis b. Mariæ Virginis de monte Carmeli, primum Lector conventus Crucenacensis, ac deinde Prior Argentinensis. Ceterum vir fuit in explanandis sacris paginis eruditus, philosophiæ litterarumque humaniorum, cuiusmodi tunc temporis erant, non ignarus, ingenio subtilis, in eloquentiæ studio haud mediocriter versatus, in declamandis coram populo sermonibus excellens & admirandus, vitæ ratione & conversationis cum aliis devotus. Ad instructionem simplicium Prædicatorum, cum adhuc in conventu Crucenacensi Lector esset, scripsit quædam opuscula minime contemnenda, qnibus nomen suum ad posteritatis memoriam transmisit. In quibus scriptis sunt subsequentia: Quæstiones sententiarum lib. I; Sermones de tempore lib I; Sermones de sanctis lib. I; Sermones feriales per totam quadragesimam lib. I; atque alia nonnulla, ex Theologia practica maximam partem depromta. Huius sermones, ætate *Trithemii*, in monasterio Sponhemiensi originales, ut cum *Macrobio* loquar, habebantur. In conventu suo Crucenacensi, in quo chlamydem Eliæ primum induit, anno 1370. sub Imperatore CAROLO IV. claruit m.) Quod reliquum est, hic *Faustus* ab alio eiusdem cognominis bene distinguendus, nec cum *Ioanne Fausto*, iuniore n), prouti haud raro fieri solet, confundendus est.

H.) *Matthias de Sobernheim*, vir excellenti ingenio, reque gerenda promtus, adeo ut aliorum ferme luminibus offecerit. Hic ex præclaris suis meritis in curia RVPERTI III, Electoris Palatini & Romanorum Regis, consilii sanctio-
ris

m) Idem in catal. illustr. virorum p. 147. & de script. eccl. p. 328. seq. in opp. hist. P. I; atque ex eo *Heur. Pantaleon* in cit. prosopogr. P. II. p. m. 342.

n) De quo inferius in hoc §. sub lit. S.



ris administravit rationes, ac scientiarum virtutumque floribus immo circumspectione oppido venerandus fuit. Hinc vir ea ætate non incelebris: *Scientiarum*, inquit, *& virtutum floribus radianti ac circumspectionis venerandæ Domino* Matthiæ, *illustrissimi Principis Domini*, *Domini* RVPERTI *Regis electi Cancellario sive Prothonotario* o).

I.) *Gobelinus*, ex Comitatu Sponhemiensi, & quidem ex oppido *Crucenaco* oriundus, ignobilibus quidem, sed tamen honestis probisque parentibus progenitus; utpote cuius pater *Andreas*, mater vero *Barbara*, cives ibidem, vitam mediocrem laboribus manuum suarum & quantilla sustentabant mercatura. Noster, cum adhuc esset puerulus, privatis præceptoribus ad discendas litteras traditus a parentibus fuit. Studiis quum plures annos sedulam impendisset operam, tandem in monasterio S. Disibodi Cisterciensis ordinis in numerum monachorum cooptatur; in quo collegio, quum esset ingenio subtilis, in multis artibus supra coætaneos profecit, atque inter alia negotia curiosis quoque scientiis insudans, ad alchymiam & medicinam ingenium studiumque frequentius contulit. Cum autem in hisce aliquantulum profecisset, in notitiam & familiaritatem *Ioannis*, Comitis Sponhemiensis ultimi, pervenit; per quem e monasterio extractus, primum eius sacellanus, deinceps autem ipsius a secretis litteris fuit. Iussu postea Comitis *Ioannis* d. III. Cal. Aug. an. 1432. monachi Sponhemienses in oppidum *Crucenacum* commigraverunt. Illis autem in curia Comitis congregatis, Comite quoque Veldentiæ cum quibusdam aliis præsentibus, Comes in huncce modum fuit exorsus: *Non æstimetis, domini fratres, propterea quod evocaverim vos in hunc*

o) Sic scribit *Wernerus Spazingerus* in titulo litterarum ad eumdem scriptarum, apud amplis. *Wenckerum* in præsidiis rerum Germanicarum, adparatu archivorum adiectis num. XLVII. p. 270. apud cel. *Crollium* in cit. orat. p. 45.

hunc locum pro novi abbatis electione, me aut hostem vestrum esse, aut monasterii vestri invasorem &c. p). Quibus verbis auditis, fratrum animi subito nimiumque consternati sunt, immo, quid hoc in casu agerent, penitus ignorarunt. Verum autem post multa consilia, post multas preces in contrarium Comiti oblatas & exhibitas, cum nihil prorsus confectum darent, tandem consilio Comitis Veldentini & aliorum, qui probe sciebant, animum Comitis Sponhemiensis a coepto suo non esse flexibilem, adquiescentes, &, ne quid eis deterius contingeret, inviti consentientes, ipsum *Gobelinum* abbatem decimum nonum, loco defuncti *Bernardi*, delegerunt, quamvis alterius fuerit ordinis, & quidem anno MCCCCXXXII. indict. x. die mensis Iulii penultima. Confirmatur a *Conrado*, Archiepiscopo Moguntino, atque per eius in Pontificalibus vicarium die S. Laurentii martyris ordinatur. Hic autem *Gobelinus* raro in monasterio suo fuit, sed frequentius Trarbaci iuxta Mosellam cum Comite morari consuevit. Proprium enim ibidem habuit domicilium, in quo ipse cum familia necessarias impensas partim de mensa & curia Comitis, partim vero de monasterio suscipiens, seorsim hæsit. Idem Abbas an. 1434. omnes litteras, omnia privilegia, monumenta & documenta, monasterii Sponhemiensis libertatem stabilientia, qua nescitur occasione, citra scientiam & voluntatem conventus sui, clamculum abstulit, & Trarbacum deportavit, non sine gravissimo coenobii & totius posteritatis damno penitus irreparabili. Rogatus interim Abbas, ut privilegia restitueret; sed tamen ipsi propter Comitem non licuit. Ceterum maior litterarum & privilegiorum dicti monasterii pars, tempore reformationis ultimæ, demum an. 1469. institutæ, reperta inter litteras Comitatus Sponhemiensis in testudine castri Trabacensis, & per FRIDERICVM *primum*, Serenissimum Christianumque Principem, Electorem, Comi-

p) Apud *Trithemium* in chron. Sponh. p. 354. Reliqua verba quoque adlegavimus supra §. XXXII. p. 167. seq.

tem Palatinum Rheni & Ducem Bavariæ, primum coenobii reformatorem, monasterio fuit feliciter restituta. Tandem memoratus Abbas, senio & infirmitate consumtus, vitæ terrestri d. xviii. Calend. Octob. an. MCCCCXXXIX valedixit. Complevit autem in abbatia septem annos, mensem unum & viginti quatuor dies. Vir certe animo constans ingenioque providus, ne dicam, callidus exstitit, qui tempore regiminis multa adversa animo sustinuit constantissimo, qui potius vincere, quam cedere, paratus fuit q).

K.) *Bertholdus Cantrifusoris*, passim de *Sobernheim* cognominatus, Moguntiæ ad D. *Petri* Præpositus, ad *Gradus* Cantor, atque ad D. *Victoris* Canonicus fuit; vir probitatis multarumque aliarum dotium laude ad istas evectus dignitates, tum vero beneficentiæ singularis encomio posteris optime commendatus. Parochialibus enim & utriusque sexus monasteriis in urbe, atque extra eam paroeciis permultis permulta legavit bona. Vita tandem functus est d. X. Maii an. 1451. Ceterum de ipso hæc leguntur: Bertholdus Cantrifusoris *de* Sobernheim, *ad* Gradus *Cantor, & ad S. Victorem Canonicus, huius vero ad* D. Petrum *Decanus, Collegii suffragiis an.* MCCCCXLII. *Præpositi dignitatem adiit, & eodem anno a* Theodorico *litteris*, d. X. *Decembris Algeshemii datis confirmatus est. Anno* MCCCCLI, *die Gordiani & Epimachi memoriæ sacra, fecit testamentum; quo tum parochialibus & utriusque sexus monasteriis in urbe, tum extra eam paroeciis permultis multa legavit bona. Obiit eodem anno* d. X. *Maii, teste inscriptione quadam in peristylio ad* Gradus r).

L.) *M.*

---

q) Idem *Trithemius* l. d. pag. 354-360; ubi & aliæ res gestæ *Gobelini* recensentur. Conf. quæ de eo diximus supra §. XVII. p. 80. & §. XXXII. p. 166. seqq.

r) Vid. *G. C. Ioannis* sect. II. chronici collegiatæ ad D. Petri extra moenia Moguntina p. 492. apud *Crollium* in cit. orat. p. 44. not. ***

L.) *M. Petrus Crucenacensis*, vulgo *Meister Peter von Creuznach.* Post pacem denuo patriæ dextro omine redditam, & post compositam oram Rhenanam FRIDERICVS *primus*, Elector Palatinus, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto Heidelbergæ instituit Iudicium aulicum; utpote cuius præter alios laudatus M. *Petrus* fuit Adsessor & Consiliarius s). Hinc quoque historicus elegantissimus t) inquit: *Abs se suisque exorsus* (FRIDERICVS) *provinciam suam iustitiæ legibus coërcere aggressus est, quod non minus arduum est, quam ferocissimas gentes domare. Quanti enim est, societatem humani generis conservare utilitati, ut respublica probitate florens, æquitate integra & opibus honesta sit. Mihi quidem semper Diis immortalibus similes fuere visi, qui iustitia, excellentissima virtutum regina, stipati vitia terrarum orbis aggressi sunt, civitatesque ad sanctitatis & æquitatis regulam perduxere. Erant eo tempore tribunalia per Palatinatum disposita, ubi Prætores ius dicebant, sed quod fatum plerumque astutiæ est, causæ per rabularum nequitiam, quos lingua periurio alebat, longa mora trahebantur, & per plurimas agitatæ curias, post longum demum tempus ad Principem perferebantur.* FRIDERICVS, *ut & illas iustitiæ tolleret remoras, & propius controversias inspiceret, supremum tribunal totique provinciæ commune constituit;* Curiam Aulicam *appellant, ad quam ab omnibus totius regionis iudiciis provocaretur. Illa, sanctissimis & saluberrimis institutis fundata, ad famam brevi se protulit & magno incolis commodo cessit, fuitque adamata posteris Principibus & probata, qui novis subinde legibus eam exornarunt. Fama celebres viri equestres & legum periti iura reddunt, his præest unus, qui sententias colligit, & iudicio suo causam constituit. Proprium ius habent, provinciale dictum, Romano in*

 pleris-

---

s) Huius meminit b. *Kremerus* in der Gesch. Frid. I. Lib. VI. §. LIV. p. 637. not. 8; conf. ampliss. *C. C. Wundii* progr. de orig. & progr. Univ. Heidelb. facult. iurid. P. II. p. 8.

t) Nempe *Paulus Hachenbergius* de vita Frid. I. El. Pal. Lib. V. p. 153. seq.



plerisque simile, ex quo lites interpretantur; sin illud alicubi deficit, ex legibus Cæsarum iudicant. Nuper etiam CAROLVS LVDOVICVS, *Princeps sapientiæ iustitiæque studio notus, revisionem huic tribunali addidit; ut, si qui decreto aut sententia stare nollent, iis petentibus de novo lis producatur & discutiatur.* Ansam hæcce monendi nobis præbuit *Petrus* noster *Crucenacensis*.

M.) Proximum post hunc iam locum occupat *Andreas de Traiecto inferiori*. Huncce Traiecti ad Rhenum fuisse natum, extra omnem dubitationis aleam positum est. Fuit, prouti certissime constat, monachus ordinis S. Benedicti in Sponhemiensi monasterio. Verum autem de tempore, quo diem obierit supremum, mirum in modum discrepant scriptores. Eum namque an. 1445. in dicto coenobio mortuum esse, nonnulli statuunt u). Quidam vero, eum anno 1446. ex hac vita decessisse tradunt v). Alii demum mortem eius ad annum 1483. referunt. Quibus autem adiicere calculum nostrum nequimus, persuasi convictique potius, ipsum in dicto coenobio an. 1466. d. XVIII. April. indict. XIV. denatum fuisse w). Scriptis, quæ alio loco x) recensuimus, addatur libellus unicus elegiaci carminis de Moguntinorum excidio y). Ceterum de hocce *Andrea* legi quoque poterunt alii z).

N.) Ni-

---

u) V. g. *Val. Andreæ* in biblioth. Belg. p. 57.

v) Teste *Passevino* in appar. sac. T. I. p. 77.

w) Conf. *Trithemius* in catal. virorum illustr. in opp. hist. P. I. p. 156; idem ibid. de scriptoribus eccles. p. 358.

x) In comment. hist. litt. de quibusdam eruditorum luminibus Palat. & Belg. sect. I. §. V. p. 8.

y) Vid. *Trithemius* in annal. Hirsaug. T. II. p. 462.

z) Nimirum *Ioecherus* im allgem. gel. Lex. P. I. p. 395. seq; in primis V. C. *Casp. Burmannus*, Traiectinus, in Traiecto erudito p. 374. seq; ubi per errorem statuitur, *Trithemium* reiecisse mortem nostri ad annum 1463.

N.) *Nicolaus* de *Creutzennach* vel *Crützenach*, oppido Comitatus Sponhemienſis tunc Moguntinæ dioeceſis, vir in litteris S. S. eruditiſſimus & philoſophiæ haud ignarus, ingenio ſubtilis, diſputator acutus, eloquio pollens, egregius ſermonum declamator, & ratione vitæ valde præclarus; utpote qui in Gymnaſio Viennenſi Theologiam multis annis publice docuit, atque ibidem tam apud ſcholaſticos, quam apud ipſum Imperatorem FRIDERICVM *tertium* magnam eruditionis ſuæ laudem magnumque fructum obtinuit. Scripſit præclara quædam ingenii ſui ſpecimina, variis voluminibus conſtantia, quibus nomen ſuum poſteris notificavit. In quorum numero feruntur ſubiecta: Quæſtiones ſententiarum lib. IV; de conceptione beatæ Mariæ Virginis lib. I; ſermones de tempore & de ſanctis lib. II; orationes multæ ad patres, & variæ quæſtiones in ſcholis diſputatæ; atque alia complura, quæ usque ad obitum ſuum lectoribus celavit. Moritur tandem Viennæ in Auſtria, ſub Imp. FRIDERICO III. & *Innocentio* VIII. Papa, anno Domini 1491. indict. IX a).

O.) *Franciſcus Wyler:* Hic aliquamdiu in conventu Crucenacenſi fuit commoratus; de quo ſæpe laudatus Sponh. Abbas b): *Ordinis*, inquit, *fratrum minorum de obſervantia, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio, declamator ſermonum egregius, cum ante hoc ferme triennium in conventu* Cruzennacenſis *oppidi vitam ageret, ſcripſit ad inſtantiam* Alberti Latronis *eiusdem ordinis profeſſorem* c), *inſigne Repertorium epiſtolarum ſancti Hieronymi presbyteri lib.* I; *ad eundem de remediis ſcrupuloſitatum conſcientiarum lib.* I; *contra quendam, conceptionem Dei genitricis puriſſimam impugnantem, in modum libelli prolixam epiſtolam; ſermones quoque multos ad popu-*

a) Conf. *Trithemius* in cat. ill. vir. p. 167, & de ſcript. eccl. p. 378; atque ex eo *Heur. Pantaleon* in proſopogr. vir. ill. &c. P. II. p. m. 454.

b) In cat. ill. viror. p. 180.

c) Leg. *Profeſſoris.*

populum. Extant eius tam ad me, quam ad alios complures epistolæ; item de passione Domini; de vitiis & virtutibus, de musica & eius laudibus, varia & non abiicienda syntagmata; & quædam alia. Vixit adhuc sub Imp. MAXIMILIANO an. 1495. indict. XIII.

P.) *Nicolaus* de *Alsentia*: ordinis fratrum divæ Mariæ, de monte Carmeli, Lector S. S. Theologiæ in Crucenacensi conventu. De quo similiter ven. Abbas d) hæc nobiscum communicat: *In scripturis sanctis studiosus & eruditus, & secularis philosophiæ non ignarus, ingenio promptus, sermone scholasticus, & declamator sermonum popularium longa consuetudine exercitatus. Scripsit in Exodum lib.* I; *in Apocalypsin quoque Ioannis lib.* I; *in officium Missæ & canonis longum & prolixum volumen lib.* I; *sermones de tempore & de sanctis lib.* II; *& quædam adhuc penes eum latentia.* Ferme quadragenarius adhuc in conventu suo Crucenacensi vixit sub Imp. MAXIMILIANO anno Domini 1495. indict. XIII e).

Q.) *Ioannes Gryposius*, cognomine *Artopoeus*. Hic spectatissimus atque eruditus civis Stauropolitanus ineunte seculo XVI. floruit. Fidelissimus fuit *Trithemii* amicus; qui ipsum ex monasterio exsulem, quantum quidem potuit, suis sustentavit opibus. Hinc Abbas ad nostrum exaravit epistolam responsoriam & gratiarum actoriam, in qua veros veræ amicitiæ characteres vivis coloribus depingit, depictos autem meritis prædicat encomiis. Data est epistola Coloniæ Agrippinæ die mensis Iulii XVI. an. 1505. f).

R.) Iam benefico amico amicum iungimus gratissimum, videlicet *Ioannem Trithemium*; cuius vitam ex ipsius scriptis & magnam partem ipsius verbis delineabimus. Patria quippe fuit Mosellanus, ex quadam villa *Trittenheim*, quæ ab oppido Tre-

d) Nempe l. l. pag. 179.

e) Conf. idem ibid.

f) Vid. *Trithemius* in epp. famil. P. I. ep. XXIII. p. m. 455. seq.

Treviri, in deſcenſu Moſellæ fluminis ad ſiniſtram, ferme quatuor milliaribus diſtat, oriundus, parentibus honeſtis & mediocris fortunæ, ſed tamen liberis, natus patre *Ioanne* de *Monte gentili*, matre vero *Eliſabetha* de *Longovico* cognominata; quibus vini cultura miniſtrabat vitæ neceſſaria. Quum autem puerulus eſſet unius anni, pater eſt defunctus, matre propter tenerrimum tenelli infantis amorem, ut ne tenellus vitrici iniuriis exponeretur, vidua per ſeptennium manente; quo tempore tandem elapſo, ad ſecunda vota tranſiit, atque alteri nupſit marito, ex quo & plures alios peperit liberos; qui tamen omnes, præter unicum filium, in prima iuventute ex vita diſceſſerunt. Noſter vero *Ioannes*, cum eſſet adoleſcens quindecim annorum, invitis quidem parentibus & cognatis omnibus, impenſo litterarum amore tactus, eas furtim diſcere coepit. Id quod ubi vitrico innotuiſſet, verbis eum duris durioribusque verberibus adgreditur, atque a laudabili propoſito, quod habebat, trahere conatur. Verum autem, quanto illum plus prohibendo quotidie adflixit, tanto ferventiori ſtudiorum deſiderio eumdem incendit. Noctibus enim (quoniam diebus, niſi feſtis, & id furtive, non licebat) cunctis dormientibus domo exiens, ad amicum quemdam vicinum, qui litteris olim operam dederat, tamquam ad aram confugere conſuevit; a quo præcipua puerilium inſtitutionum rudimenta intra breviſſimi temporis ſpatium haud difficulter percepit, adeo ut ipſe præceptor etiam vehementer miratus diceret, ſe numquam tam docile ingenium & memoriam in aliquo homine conſpexiſſe vivaciorem. Videntes autem ſinceri amici, præſertim Sacerdotes ingenui, tantum adoleſcentis ingenium tantumque erga litteras amorem, eius patruo *Petro* de *Monte gentili*, viro maxime maturo ſeveroque, perſuaſerunt, ut omnino, quid ſibi tam vehemens litterarum cupiditas in eo quaſi prætenderet ac præſagiret, lubens experiretur. Conſenſit ille, immo ſeſe tutorem iuvenis, vitrico quidem pertinaciter repugnante, non tantum exhibuit, ſed deinceps quoque patrimonii eius ha-

bere rationem incepit. Verum autem quot verbera, quot iniurias, quot contumelias innocuus adolescens sustinuit, quot imbres lacrymarum in angustias redactus effudit, priusquam vitrici iugum, omni servitute crudelius, subterfugere potuerit? E domo noverca tandem evasit; atque, litterarum amore ductus, iter trium dierum in locis desertis peregit; primum apud urbem Trevirorum, deinde in partibus inferioribus, ac postremum in oppido Heidelbergensi. Atque sic via trium dierum emensa, tandem in coenobium Sponhemiense, tamquam in securitatis portum, sese recepit. In numerum ibidem monachorum cooptatus, inter fratres sine querela conversatus est, studiumque litterarum & cellæ solitudinem omnibus terrestribus prætulit deliciis. Sed librorum huius coenobii paucitas eum aliquantulum a suo retardavit proposito.

Postea, *Ioanne* de *Kolnhasen*, Abbate Sponhemiensi vicesimo quarto, ex consensu & voluntate *Alberti* Administratoris ecclesiæ Moguntinæ, ad abbatiam monasterii sanctorum *Marcellini* & *Petri* in Seleginastadio, oppidulo Moguntino ad Moenum, translato, *Ioannes Trithemius* die XXIX. *Iulii* an. 1483. Abbas Sponhemiensis eligitur g), dum tantum octo menses & dies septem post professionem suam in ordine fuerat, adeoque monachis omnibus iunior. Eodem anno die adsumtionis B. V. Mariæ per dictum *Albertum* in castro Steinhemio confirmatur, præsentibus ibidem *Hermanno* S. Iacobi, *Ioanne* Seleginastadiensi, & *Melchiore* Schonaviensi prope Heidelbergam, Abbatibus ordinis S. Benedicti. Post hæc eodem anno die V. Iduum Novembris, quæ fuit Dominica ante diem festum S. Martini, ab Episcopo Pariadensi *Bertholdo*, munus benedictionis accepit in templo S. Iacobi prope Moguntiam.

Mox, ubi in munere Abbatis ordinatus fuit, Sponhemiensem emendare bibliothecam omni ratione omnibusque viri-

g) Teste b. *Kremero* in den diplom. Beitr. p. 28.

viribus ſtuduit. Nam tempore ordinationis ſuæ vix quadraginta octo volumina, eaque parvæ æſtimationis minorisque utilitatis ibidem fuerunt reperta h). Verum enim vero ipſe, tamquam fautor ſtudiorum cultorque optimus, libros multos & varios paulatim comparare ſtudioſius coepit, nimirum Græcos atque Latinos tot & tantos, ut in tota Germania tunc temporis nulla bibliotheca Sponhemienſi ſimilis eſſe prædicaretur i). Anno 1484. ſecunda feria poſt octavas Paſchatis altare in ſacello conſecrandum curavit in honorem S. Annæ, S. Hieronymi, S. Benedicti, S. Servati & S. Barbaræ k). Anno 1485. provinciali capitulo, quod vocant, in Auguſtano monaſterio S. Udalrici interfuit l). An. 1486. idem mediam curtis in *Nosbach* m) partem a *Crafftone* II ante centum annos cuidam militi, cognato ſuo impignoratam, multis laboribus multisque impenſis redemtam, denuo ad monaſterii poſſeſſionem reduxit, aliaque in maximum coenobii commodum inſtituit & procuravit n). Anno 1487. & quidem die nativitatis CHRISTI, obiit *Conradus* de *Rodenberg*, Abbas ordinis S. Benedicti in monte S. Ioannis Rhingavienſis; utpote cui *Trithemius* noſter ſcripſit epitaphium, idque iuxta ſepulcrum eius fixit ad parietem:

„ Siſte parum greſſus, paulumque morare, Viator,
„ *Conradi Rodenberg* hic quia buſta vides:
„ Mons ſacer o) hunc, Rhenus celebris quem conſpicit amnis,
„ Moribus, ingenio par cui nullus erat:
„ Huius coenobii fuerat clariſſimus Abbas,
„ Virtutum cultor, relligionis amans.
„ Primus enim noſtræ iecit fundamina vitæ,
„ Quæ Burſfeldenſi nomine clara viget.

Gg 2 „ So-

h) Vid. *Trithemius* in chron. Sponh. p. 394. ſeq.
i) Idem ibid. p. 396; nos ſupra §. XVII. p. 80. ſeqq.
k) Idem *Trithemius* p. 397.
l) Ibidem.
m) Legatur *Nusbaum*.
n) Ibidem p. 398.
o) Pro *ſacer* alii legere, ex ratione, neſcio qua, malunt *ſacras*.



„ Sobrius, & caſtus, pius, integer atque quietus,
„ Cui cibus & cultus parcus & aſper erat.
„ Hic etiam magno CHRISTI genitricis amore
„ Captus erat, laudes ſcripſit & ille ſuas.
„ Ipſe pius magno fratrum dilectus amore,
„ Extinctusque die, qua ſacra virgo parit.
„ Ergo Deum iuſta cuncti ratione precamur,
„ Vt ſibi ſydereo det reſidere polo.
„ Hoc tibi pro merito poſuit *Trithemius* Abbas,
„ Quem tua de Sponheim vota tulere patrem p).

Anno 1488. Abbas noſter, qui litterarum ſtudio, quantum licebat, ſemper intentus erat, meditationes ſuas ſcriptis mandare coepit. Scripſit igitur librum, quatuor partibus conſtantem, *de origine*, *adquiſitione*, *pulchritudine & utilitate virtutum*, *in genere & in ſpecie.* Quem vero, quoniam non ita, ſicuti voluiſſet, propter nimis longa argumenta & varias occupationes, elimare potuit, ignibus cremandum tradidit. De *laude* quoque *virginitatis* magnum inchoavit opus; quod autem tunc nondum perfecerat. Anno regiminis ſui tertio quædam *Synthemata* ſcripſit, quorum nonnulla hoc anno emendavit, nec tamen, amicis vel poſtulantibus, poſtea prodire in publicum, nec imprimi permiſit. Ad quemdam *Nicolaum*, Mernicenſem Presbyterum, quondam commilitonem ſuum, rogatus exaravit de *iuſtificatione ſacerdotali* librum peculiarem, poſtmodum quoque impreſſum; de *vanitate vitæ præſentis* lib. I, ſimiliter impreſſum; grande & maxime laborioſum opus de *ſcriptoribus eccleſiaſticis* anno regiminis ſui quarto inchoavit, ſed demum anno undecimo ad umbilicum perduxit, quod impreſſum ſimiliter divulgatum eſt; *Exhortationum ad monachos* lib. II; item de *tentationibus monachorum* lib. II; in *regulam S. Benedicti* quoque lib. II; de *vita ſpirituali* lib. I; *inveſtigatorium ſcripturarum*; *de vero modo ſtudendi*

p) Idem ibid. p. 399. ſeq; ubi & nonnullæ huius epitaphii ſubiiciuntur illuſtrationes, ex hiſtoriis repetitæ.

ſtudendi lib. I; *ſpeculum vitæ hominis religioſi* lib. I; orationes multas in capitulis, tam annuo, quam provinciali, data temporis opportunitate, dixit; quarum aliquæ ſunt impreſſæ, ceteræ vero minus q).

Anno 1489. *Trithemius* de novo libellos compoſuit ſubiunctos: nempe *vitam S. Irminæ virginis; laudes S. Andreæ Apoſtoli; laudes S. Ioſephi nutricii Domini; laudes S. Benedicti Abbatis.* Alia incepta noluit abſolvere, ſed potius ſtudia, ferme per ſeptennium intermiſſa, continuare maluit. Habuit autem duos in litteris Græcis perdiſcendis egregios præceptores, ſibimet invicem ſuccedentes; quorum primus fuit *Conradus Celtes Protucius*, natione Francus, orator & poëta laureatus; a quo Grammatices & prima litteraturæ Græcanicæ rudimenta percepit feliciter. Secundus fuit *Ioannes Capnio*, alias *Reuchlinus*, natione Suevus, ex oppido Pforzhemienſi oriundus, homo eruditiſſimus & ſingulari docendi dono maxime inſtructus; a quo in altioribus ſermonis Græci & Hebraici præceptis, imbuebatur. In Hebraicis quoque quemdam Iudæum pauperem, ſacro Chriſtianæ religionis lavacro tinctum, Heidelbergæ habuit præceptorem; utpote quem deinceps Abbas nuncupatus, ad ſemet in monaſterium ſuum accerſens, quam diu vixit, gratis enutrivit. In duobus modo dictis ſermonibus multa volumina, tum ſcripta tum impreſſa, iuvantibus quoque Principibus, ex Italia terriſque remotioribus, in omni propemodum facultate, prouti loquuntur, magna ſagacitate comportavit r).

Anno 1490. præter alia compoſuit *formam viſitationis monachorum ordinis ſui*, poſtea Norimbergæ ex mandato capituli provincialis impreſſam; *laudes* quoque *vitæ coenobiticæ*, tunc vero nondum impreſſas s).

Anno 1492. rogante *Gerlaco*, Abbate Tuitienſi ordinis ſui, ſcripſit librum ſingularem de *laude ſcriptorum*, antea notatum;

q) Vid. idem *Trithemius* in chron. Sponh. p. 400. ſeq.
r) Idem ibid. p. 401. s) Ibidem p. 402.



tatum; item de *modo celebrandi provinciale capitulum;* utrumque poſtea impreſſum. De *illuſtribus ordinis S. Benedicti viris* opuſculum, in quatuor libros diviſum, hoc quidem anno inchoavit, ſed ſequenti demum ad finem perduxit t).

An. 1493. Capitulum provinciale viceſimum octavum ordinis S. Benedicti fuit celebratum in Hirſaugienſi dioeceſis Spirenſis monaſterio ſanctorum Petri & Pauli; in quo præſederunt *Io. Trithemius*, *Conradus*, Abbas Wiblingenſis, aliique. Per triduum in eodem capitulo mane veſperique lectus opportune fuerat libellus penthicus, id eſt, lugubris de *ordinis S. Benedicti ruina;* quippe quem ipſe *Trithemius* eodem anno, *Blaſio* Abbate Hirſaugienſi fratribusque monaſterii eiusdem impenſe rogantibus, ediderat. Quem tum Patres ad finem usque attentiſſimo & intentiſſimo animo perlectum, ad unum omnes unanimi conſenſu ſtatuerunt, ad menſam Antiſtitum vel Præſulum in ipſo capitulo, pro tempore celebrando, ſemper prælegendum u).

An. 1494. *Trithemius* novum abbatiæ Sponhemienſis ædificium partim ex vetuſto, partim ex fundamentis *conſtruxit* ſatis pretioſum ſatisque ornatum, & quidem ad *orientem* monaſterii plagam, ubi quondam introitus portæ fuerat conſtitutus; in quo fecit duas cameras pro Abbate, tertiam pro Capellano, & hypocauſtulum unum, æſtuaria inferius duo, atque ædiculam ſacram cum altari, anno ſequente d. XV. Cal. Iulii demum conſecrato v). Eodem anno, rogante *Rumoldo* a *Laupach*, Priore Carmelitarum, Francofurti ad Moenum degentium, ſcripſit librum tunc vulgatiſſimum de *laudibus S. Annæ matris beatiſſimæ Dei genitricis & virginis Mariæ*, a permultis in maximo pretio habitum; in cuius ſeptimo capite de *puriſſima conceptione Dei genitricis* facit mentionem. Huius occaſione ſurrexit w) *quidam de ordine Prædicatorum*, Wigandus Cauponis *nomine*, *prædicator conventus Frankfordien-*

t) Ibid. p. 403. u) Rurſus ibid. p. 404. v) Ibid. p. 405.

w) Apud eumdem in chron. Sponh. p. 405. ſeq.

diensis, homo quidem satis doctus, sed nimium temerarius & superbus: opus, quantum ad puritatem conceptionis pertinet, impugnare voluit, literas contra Trithemium (*occultato scribentis nomine sub fratris* Pensantis - manus *vocabulo*) *per nuncium incertum ad illum misit, & quasi male de conceptione scripserit, satis timide increpavit. Cui Trithemius in hæc verba rescripsit:* Aegre ferrem convitia tua & opprobria, lector innominate, nisi te gravi morbo animi laborare intelligerem, qui usque adeo in te prævaluisse cernitur, ut experientia medicorum principis Aesculapii necessaria ad tui curam videatur. *In fine autem sic epistolam conclusit:* Si religiosus es, si fraternæ charitatis amator, a convitiis & maledictis te modo cohibere non negligas, neque in tua prudentia contra immaculatam Dei genitricem temere confidas, nisi hoc feceris, erit tempus, quo scripta tua, irrisione dignissima, in caput tuum reiecta dolebis. *Cum his literis & aliis latioribus* Trithemius *misit virum quendam & eruditum ad Franckfordiam* (erat autem in adventu Domini), qui apud *prædicatores exploraret subtiliter, quis esset ille frater* Pensans - manus. *Is cum illo venisset, industria usus, comperit esse præfatum lectorem* Wigandum Cauponis. *Hoc cum ad* Trithemium *retulisset, ortum est grande literarium inter eos bellum, quod ferme per biennium inter eos duravit. Mox enim adversus* Wigandum *plures viri doctissimi, defensores Marianæ puritatis, metro scripserunt & prosa: librum* Trithemii *& sensum eius de conceptione eius purissima defensantes. Biennio tandem elapso, concordia inter* Trithemium & Wigandum *facta est per Rectorem Vniversitatis Coloniensis* Vdalricum Kreitwys de Eslingen, *Doctorem S. Theologiæ famosissimum, maioris ecclesiæ Coloniensis canonicum ac Archiepiscopi consiliarium, ac per* Tomum de Scotia, *& alios sacræ Theologiæ Doctores, ita quod* Wigandus *opinionem suam contrariam purissimæ conceptionis Mariæ &* Trithemii *opusculo abiuravit, veniamque temeritatis suæ petere ab ipso* Trithemio *compulsus fuit, & quod remissis iniuriis omnibus alter in alterum a modo invectionem non scriberet. Nihilominus prædica-*



dicatores postea in curia Romana sub Alexandro Papa VI. *contra* Trithemium *impetrare aut laborare subdole conati sunt, sed nihil profecerunt. Habebat enim abbas* Trithemius *sibi constantissimæ adhærentes Vniversitatem Parisiensem, Coloniensem, Thubingensem, totumque ordinem Carmelitarum, ordinem Minorum, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ maiorem coetum Cardinalium, Archiepiscopos, Episcopos & Principes multos, & pene omnem in Germania clerum, ac viros doctos & eruditos innumerabiles.*

Eodem anno scriptis consignavit: *Soliloquiorum hominis ad animam suam* lib. I; *de laude & amore & vero studio scripturarum lib.* I; *de ordinis Carmelitarum exordio & progressu* lib. II; *statuta* quoque *provincialis capituli ordinis S. Benedicti* contrahendo per epitomen in unum volumen collegit. Quæstiones similiter Græcas ad *Rutgerum* Sicambrum in Evangeliorum dissonantia enucleavit. Item e Græco in Latinum convertit librum *Maximi* Abbatis de *incarnatione Domini*, & quasdam epistolas tertiæ Synodi, *S. Cyrilli*, Archiepiscopi Alexandrini, nec non quædam alia x).

Anno 1495. nonnulla S. Annæ miracula litteris mandavit, & catalogum de scriptoribus Germanis, quem iam ante quatuor annos inchoaverat, urgente *M. Iacobo Wimphelingio*, hoc anno emendans, quantum potuit, perfectiorem reddidit atque ad finem perduxit y).

Anno 1496. Dominica quarta, post diem Dominicæ resurrectioni consecratum, vicesimum nonum ordinis S. Benedicti provinciale capitulum in monasterio Saliginastadiensi celebratum fuit; utpote quo *Trithemius* illam cunctis notissimam de *cura pastorali* orationem dixit. Eodem anno IV. nonas Iulii in monasterio Sponhemiensi, ad eiusdem bibliothecam, quam fama præstantem & pretiosam ubique divulgavit, contemplandam, fuerunt *Ioannes*, Episcopus Wormatiensis, *Ioannes Reuchlinus*, aliique z).

An.

x) Ibidem p. 406. y) Rursus ibid. p. 407.
z) In chron. Sponh. p. 408.

An. 1498. tumba S. Hildegardis in monte S. Ruperti maxima cum animi reverentia fuit aperta, toto conventu ceterisque, ad ſacram hancce ſollemnitatem delegatis, ibidem præſentibus; in quorum numero fuit *Trithemius*, qui tunc temporis eiusdem S. Virginis brachium iteratis precibus obtinuit a Magiſtra conventuque, quem multis antea beneficiis cumulaverat. Has vero reliquias cum quibusdam aliis in quamdam includendas tabulam curavit a).

An. 1499. ſecunda feria poſt diem Palmarum *Trithemius* tunc celebri *Arnoldo Boſtio*, Carmelitæ, Gandavi tunc temporis commoranti, per litteras ſciſcitanti, quid iam ſcriberet, tamquam amico ſincero reſponſurus reſcripſit, *ſe in manibus habere magnum opus ſteganographiæ, ad unius Principis petitionem, quod tractaret de quibusdam rebus & artibus occultis atque mirandis, ab eo noviter inventis, quæ nulli hominum antehac fuerint cognita, quemadmodum opus ipſum probat* b).

An. 1501. Sponhemii tertium fuit *Chriſtophorus*, Marchio Badenſis, equitatu ſuo ad oppidulum Winterburgum præmiſſo, ne comitum multitudine moleſtus eſſet monachis. Eam autem ob rationem eo venit, ut videret bibliothecam, & quædam arcana, quorum reſpectu anno ſuperiori ad ſe in caſtrum ſuum Lüzenburgum vocaverat *Trithemium*, eumque favoris ſui & amicitiæ fecit participem c). Eodem anno d. XIX. Nov. qui S. Eliſabethæ ſacer, PHILIPPVS, Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, cum LVDOVICO & RVPERTO filiis, Sponhemium conceſſit, *Trithemium* compellandi viſendique gratia monaſterium ſimul eiusque libros præſtantiſſimos. Præmiſit autem coquos, panes, vina, piſces, atque omnia, quæ fuerant ad victum neceſſaria, ne monachis damno eſſet d).

An.

a) Ibid. p. 411.

b) Ibid. p. 410. ſeq; ubi varia de hoc opere iudicia indicantur.

c) Rurſus ibid. p. 413.

d) Apud eumdem p. 415.



An. 1502. IOACHIMVS, Marchio Brandenburgensis, nuntios pluresque litteras misit ad *Trithemium*, eumque ad semet humanissime invitavit e). Eodem anno Abbas noster bibliothecæ Sponhemiensis libros recensuit; atque in ea tunc temporis inventa sunt mille sexcenta quadraginta sex volumina, quæ omnia, quadraginta exceptis, ipse collegit studiosissime f).

A. 1503. m. Iunio supra laudatus *Christophorus*, Marchio Badensis, iterum Sponhemii invisit *Trithemium*, quocum in abditis naturæ mysteriis quædam arcana tractavit g). Eodem anno m. Oct. Francofurti ad Moenum convenerunt Electores, Archiepiscopi, Principes, aliique. Adfuit quoque *Trithemius*, litteris & nuntiis modo memorati Marchionis IOACHIMI vocatus, atque apud ipsum decem continuis permansit diebus, rationem eorum, quæ Princeps ab eo audire cupiebat, promtissime reddens. Verum autem Abbate nostro Francofurti commorante, Legatus apostolicus ad Marchionis mensam invitatur; invitatur & ipse *Trithemius*, qui tandem abiturus, ab utroque muneribus donatur magnificis. Valedicens Abbati Legatus, b. Antonii verbis *est usus*, dicens: *O quam tarde notus, quam cito recedis* h)!

A. 1504. iniustissimo bello contra PHILIPPVM Palatinum conflato, & Würtenbergensibus nec non Hassis plurima Palatinatus loca occupantibus ac miserum in modum devastantibus, *Trithemius*, hostium metu perterritus, in vigilia Petri & Pauli, in proximum Palatinatus oppidum, nempe *Crucenacum*, secessit; introductisque paulatim eodem libris, privilegiis, & cunctis utensilibus, ne adversariis in prædam paterent, hæsit ibidem mensibus quinque, diebus quatuordecim, usque ad belli finem, atque in vigilia S. Andreæ in monasterium revertit i).

An.

e) Ibid. p. 416. f) Ibidem. g) Ibidem. h) Ibid. p. 418.

i) Ibid. p. 419; sed p. 422. dicitur, *Trithemium* Crucenaci permansisse menses V. dies XX; quæ inter se non cohærent.

An. 1505. ipsis Cal. April. *Trithemius* circa horam septimam matutinam cum nuntio PHILIPPI Palatini atque unico famulo abequitans monasterio, Heidelbergam versus iter ingressus est, licet aliquantulum corpore debilis febribusque laborans tertianis, imperio ipsius Principis simul & litteris evocatus, in caussa exusti monasterii Limpurgensis consilium daturus, ut nimirum *Wachenhemii* constitueretur. Qui cum Heidelbergam advenisset, aëris intemperie adfectus, atque infirmitas eius ita fuit aucta, ut redire, sicuti apud animum suum statuerat, citius non potuerit. Eo sic infirmo apud Heidelbergenses exsistente, quinta post eius ex coenobio discessum, in dicto coenobio Sponhemiensi contigit gravissima rerum perturbatio, quippe quam, sibimit veluti nimis iniuriam existimans, ægerrime tulit. Quod factum nimium temere præsumtum susceptumque *Trithemio* caussam multarum adflictionem & persecutionum attulit, quin immo plurimos adversus ipsum æmulos provocavit. Ad monasterium suum deinceps non revertit, non quidem eam ob rationem, ut ab aliquo prohiberetur, sed propterea, quod vereretur potius, ut pacem cum æmulis habere postea posset k).

Ineunte m. Iulio anni modo memorati frequens Principum conventus, per regale mandatum convocatus, Coloniæ Vbiorum celebratus fuit, & quidem ad concordiam pacemque confirmandam; utpote qui ad finem eiusdem mensis duravit. Ad dictum conventum IOACHIMVS, Marchio Brandenburgensis & Princeps Elector Palatinus iturus, ad *Trithemium* nostrum, qui tum Spiræ Nemetum in domo Abbatis Limpurgensis morabatur infirmus, nuntium equitantem cum litteris præmisit, quibus, simul illi viaticum mittens, rogabat, ut ad se Coloniam descenderet; qui tanto Principi lubenter adnuit. *Vnde* l) *quamvis ex parte adhuc esset debilis, & propter casum cum equo fluxum sinistro patere-*

 tur

k) Ibidem p. 423.

l) Sunt verba ipsius chronographi p. 423. seq.



tur in crure, ob idque paululum claudicaret, tamen ad complacendum Principi, conducto curru una cum nuncio descendit ad Moguntiam, & inde navigio usque ad Coloniam, ubi per integrum mensem cum ipso Marchione permansit. Verum enim vero cum iniuriarum sibi factarum auctores necdum plene scire potuisset, reditum ad monasterium aliquandiu differre statuit, donec videret, quorsum æmulorum suorum laberetur intentio. Quod cum innotuisset sæpe dicto Principi, rogabat eum instantius, ut secum ad terras Marchionatus Brandenburgensis pergeret, per menses aliquot cum eo mansurus: quod facere sine consilio illustris Principis PHILIPPI, *Comitis Palatini*, Trithemius *noluit; cuius multam humanitatem & tunc & ante expertus est. Vnde consensu ipsius Principis impetrato, Abbas Marchioni promisit, se facturum, quod postulaverat. Conventu igitur Principum tandem soluto*, IOACHIM *Marchio per Saxoniam iter faciens, ad sua reversus est, consignato prius Abbati copioso viatico & comitiva satis honesta. Anno itaque prænotato die mensis Augusti* VI. Ioannes Trithemius *Abbas cum suis exivit Colonia, & navigio adscendit ad Moguntiam: non enim volebat intrare Marchiam, nisi prius de monasterio necessariam fecisset narrationem Priori. A Moguntia igitur rursus ascendit Spiram, & vocatum ad se* Nicolaum de Reinig *Priorem suum, omnem curam & dispositionem monasterii huius illi commisit, dispositisque, ut potuit, rebus, per Thuringos Marchiam intravit, & veniens ad Berlin oppidum, in quo Marchionis est residentia, cum gaudio magno & honore ab eo susceptus est; & in omnibus iuxta principalem munificentiam copiose provisus. Mansit autem cum eodem Principe in Marchia mensibus* IX. *varia ad institutionem illius laudabilem componens opuscula.* In laudato Principum conventu Imp. MAXIMILIANVS die tricesima Iulii concordiam pacemque inter Principes diffidentes restituit & veluti reformavit. Tunc temporis idem Cæsar vicesima mensis eiusdem die ad se vocavit *Trithemium*, & de variis S. Scripturæ quæstionibus longam cum eo habuit disputationem. *Vnde non parum eo loquente Rex exhilaratus est, privilegium illi*

Ca-

Capellæ Imperialis cum certis libertatibus contulit, ac muneribus honoratum magnificis a se cum benevolentia dimisit m).

Eodem anno, cum Colonia Spiram revertisset, eum adiit *Narcissus*, Gallus, Medicinæ Doctor, iustructus litteris Episcopi Cohursensis, (Cahors, Cadmeum) qui *Trithemium*, ingentibus donis propositis, in Galliam invitavit. Sed fidem, Marchioni datam, violare nolens, in Galliam non intravit. Eodem anno die vicesima Octobris *Trithemius*, in Marchia hærens, ad Sponhemienses misit fratrem *Theodoricum* de *Els*, suum tunc temporis sacellanum, *cum literis ad Priorem & conventum, quibus significavit, se ante festum Dominicæ resurrectionis huc non esse reversurum. Marchio etenim Princeps eius institutione, moribus simul & scriptis plurimum delectatus, rogabat, ut diutius secum manere consentiret, qui usque post Pascha consensit* n).

An. 1506. quidam ex fratribus per incautas suas locutiones stultasque cavillationes, quæ omnes ipsi *Trithemio* fuerunt denuntiatæ, animum eius nimium exulcerantes, ipsum a Sponhemiensibus tandem penitus alienaverunt. Quum eodem anno IOACHIMVS, Marchio Brandenburgensis, universale gymnasium Francofurti ad Oderam instituisset, Abbas noster præsens fuit. Eodem onno die XIV. m. Maii *Trithemius*, egregiis donis muneribusque a laudato Marchione condecoratus, impetrataque abeundi licentia, cum honesto comitatu profectus, tandem die secunda m. Iunii ad urbem Spirensem pervenit. *Præmiserat autem* o) *ex Franckenfurt fratrem* Theodoricum *Capellanum suum ad Sponheim, quatenus & statum monasterii rerum diligenter inquireret, &, si quievisset commotio æmulorum, investigaret, Prioremque suum ad Heydelbergam evocaret: quia noluit Abbas redire ad monasterium, nisi prius animos erga se intelligeret fratrum. Mansit*

m) Ibidem p. 424. seq.

n) Vid. ibid. p. 425.

o) Sunt ipsius chronici verba p. 425.

ergo cum Abbate Limpurgensi usque ad finem m. Septembris apud Budoras p), *& rei tacitus præstolabatur eventum. Verum posteaquam animos quorundam fratrum erga se intellexit minus in ardore charitatis esse sinceros, & animum Ducis* Iohannis de Siemern, *Principis alioquin valde pii, quorundam æmulorum incuriosa delatione aliquantulum, ut sibi dicebatur, commotum, tutius omnino iudicabat, Abbatiam Sponheimiensem cum pace ac bona voluntate deserere, quam se in medium turbationis collocare.* Eodem anno in fine m. Augusti annuum Capitulum apud urbem Moguntiam celebrabatur; cuius præsides Heidelbergam miserunt duos præsules ad *Trithemium*, qui illum rogarent, ut ad monasterium suum reverteretur; Sed tamen noster suum tenacissime tenuit propositum q). Eodem anno, voluntate Pontificis audita, nuntius Heidelbergam citius mittitur, atque Herbipolim *Trithemius* vocatur; utpote qui Serenissimo Principi Domino suo PHILIPPO, Comiti Palatino Rheni, caussam proponens, ex illius consensu, quorsum vocabatur, adscendit. *Tertia itaque die m. Octobris venit ad Herbipolim, & post resignationem* Ciliani *abbatis voluntariam,* XII. *die mensis præscripti, qui fuit secunda feria post festum S. Dionysii martyris, compromissione fratrum in dominum Episcopum & duos Abbates facta, in abbatem sæpe dicti monasterii electus constituitur, & quarta die eiusdem mensis post decimam ab eodem reverendissimo Præsule confirmatur, atque in possessionem abbatiæ S. Iacobi realem altera mox die, qui festo S. Burcardi fuit solennis, introducitur* r). Dicto igitur anno, nimirum indict. IX. die m. Octobris decima quinta *Trithemius* electus & confirmatus Abbas S. Iacobi Herbipolitani munus suum suscepit, præsentibus *Conrado* Abbate S. Stephani, M. *Petro* Sigillifero ceterisque, tamquam testibus. Hæc autem acta sunt, anno ætatis suæ quadragesimo quinto non-

p) Per *Budoras* non satis accurate intelligit auctor *Heidelbergam.*

q) Ibidem p. 426; ubi omnia fusius enarrantur.

r) Ibid. p. 427. circa finem.

nondum completo, suæ vero Abbatiæ Sponhemiensis anno XXIII. m. II. die XVIII. absolutis s).

Evocatus itaque fuit ad regendum Herbipolitani suburbii monasterium Bursfeldense S. Iacobo ad Scotos dicatum; quorsum etiam multos codices manu exaratos transtulit, qui in bibliotheca monasterii hodiedum adservantur. Magna autem cum laude huic coenobio per decennium præfuit Abbas. Tandem ibidem pie defunctus fuit, & quidem anno MDXVI t), ipso S. Luciæ die, ætatis quinquagesimo quarto. Sepultus in coenobii templo, quemadmodum ex eius lapide sepulcrali, in Abbatia Herbipolensi ad parietem erecto, patescit; cuius inscriptio:

ANNO DOMINI MDXVI. IPSO DIE
S. LVCIAE OBIIT VENERABILIS PATER
DOMINVS IOANNES TRITHEMIVS
ABBAS HVIVS COENOBII u).

Aliud epitaphium alibi v) legimus, hoc modo conditum:

Hanc meruit statuam *Germanæ* gloria terræ
Abbas *Trithemius*, quam tegit ista domus.
Quam fuerit literis, simul & virtute celebris,
Admiranda sui dant monimenta styli.
Arguit hoc etiam multorum gratia Regum,
Ex quibus in primis Maximus Aemilius.
Maximus Aemilius Romani gloria sceptri,
Qui fuit *Austriacæ* clara propago domus.

Huius

s) Rursus ibid. p. 428.

t) Non an. 1499, prouti quidam male computant, censente *Labbeo* Tom. I. p. 610; nec an. 1519, uti *Bellarminus* refert.

u) Conf. *Ioan. Busæus* in historica relatione, præfixa operibus *Trithemii* piis & spiritualibus, Moguntiæ an. 1604. a sese editis.

v) Nimirum apud *Thomam-Pope Blountium* in censura celebriorum auctorum, p. m. 505. ed. Genev. 1694. in 4. mai.



Huius magnifica fuit acceptiſſimus Aula,
    Et primum tribuit docta caterva locum.
Abſit ſuſpicio de *Dæmonis* arte *Magia*,
    Contra quam magnum ſcribere coepit opus.
Vt vivit fama, ſic vivat mente beatus,
    Et videat ſummi coelica regna Dei!

Lorenzo Craſſo.

In monaſterio Sponhemienſi ſub effigie *Trithemii* hodiedum leguntur ſequentia, maiuſculis exarata litteris:

„ Effigies Ioannis Trithemii, qui fuit XXV. Abbas
„ Huius monaſterii Sponheimenſis. Miraculum
„ Doctrinæ & ſcientiarum ſui ævi; in Latinis, Græcis,
„ Et Hebraicis & omni ſcibili, cuius fama ipſe
„ Etiam Philippus Comes Palatinus & Dux Ba-
„ Variæ inclytus, cum Ludovico ac Ruperto Filiis ſuis,
„ Christophorus quoque Marchio Baadenſis huc in Spon-
„ Heim venerunt gratia Trithemium alloquendi &
„ Viſendi monaſterium ſimul & bibliothecam, qua
„ Hic & in Germania nulla ei ſimilis fuit. etiam
„ Maximiliano Regi Roman. Ioachimo Marchio-
„ Ni Brandenburg. & pluribus aliis Principibus
„ Chariſſimus, qui & intuitu eius multa huic
„ Monaſterio bona contulere. Mortuus eſt. 1516.

Ceterum de *Trithemio* hæc legimus: *Io. Trithemius, Abbas Sponh. qui ut in Palatinatu degit vitam, ita Palatinas res, Palatinorumque Principum geſta diligenter conſignavit litteris. In multis tamen humani quid paſſum eſſe conſtat* w).

Plurima, quorum nonnulla ſuperius iam indicavimus, *Trithemius* ſcripſit x). Eius chronologia myſtica de intelli-gen-

---

w) Quæ legimus apud ampliſſ. Dn. *P. W. L. Flad* in tentam. primis de ſtatu litter. & eruditis in Palatinatu Elector. p. 11.

x) Quorum quædam poſt *Labbeum* recenſent *Henr. Wharton* in adpend. *Cave* p. 113. ſeq. & ipſe *Guil. Cave* in hiſt. litt. P. II. p. 316.

gentiis, orbem post Deum moventibus, seorsim Coloniæ an. 1567. in 8. prodiit. Compendium seu breviarium primi voluminis chronicorum de origine Francorum, Paris. 1539. fol; De origine Francorum liber, Basileæ 1547. cum opere præcedenti; chronicon successionis Ducum Bavariæ, & Comitum Palatinorum, Francof. 1544. & 1549. in 4 y); Catalogus scriptorum ecclesiasticorum, Moguntiæ 1494, & eodem an. Basil. sed Paris. 1512, Colon. 1531 & 1546, in 4, & quidem cum duabus adpendicibus *Anonymi* scilicet & *Balthasaris Werlini*, Florent. 1593. Basil. 1594. De quo ven. Litterator z) ait: *Trithemii liber de scriptoribus ecclesiasticis sæpius est vulgatus, tamen raro hodie obvius, venalis certe nusquam prostat. Cum tamen hic auctor unus sit, ex quo plurimi scriptores recentiores hauserunt, hauriuntque, quæ de sequiorum temporum scriptoribus, ubi veteres nos illi destituunt, sive vera, sive falsa, tradunt* a). Hactenus *Fabricius*. Habemus quoque

que

---

y) Apud *Scbardium* rerum German. T. I. p. 170. Hoc chronicon vocatur liber rarissimus in bibl. Sarraz. apud cel. *Dan. Gerdesium* in florilegio hist. crit. librorum rariorum p. 347. ed. III. Groning. & Brem. an. 1763. in 8. mai.

z) Nimirum *Io. Alb. Fabricius* in præfat. ad lectorem bibliothecæ ecclesiasticæ, præmissa.

a) Conf. bibliotheca *Reimanniana* (Hildesiæ, 1731. 8.) p. 105. seq. Ubi hæc subiunguntur: „ Cum quo (*Fabricio*) conferendus *Aubertus Miræus* de scriptoribus Sec. XVI. qui p. 156: *Iob. Werlini* appendix ad *Tritbemium* eget quibusdam in locis expurgatione sive lima censoria, nominatim ubi agit de *Beato Rhenano* &c. Ratio est, quia ibidem & Protestantium honorificam facit mentionem. Quibus ita infensus fuit *Miræus*, ut in sec. XVI. scriptoribus eos omnes silentio prætermiserit, vel, si quos interdum nominaverit, eos infami stigmate notandos existimaverit. Non sine manifesto legum historicarum neglectu ac fastidio. „



que chronicon Sponhemiense; chronicon Hirsaugiense, Basil. 1559. ibidem 1581. fol. b). Hæc & alia eius opuscula historica c) sunt duobus tomis evulgata Francof. 1601. fol. d). In fine horum opusculorum adiuncti sunt eiusdem libri duo epistolarum familiarium p. 436 - 574. e).

Iam

b) Quod chronicon auctius & emendatius separatim prodiit ex mſ. cod. Sangallensi S. Galli in duabus partibus an. 1690. fol.

c) Scilicet curante *Marq. Frehero.*

d) De iis in cit. bibl. *Reimanniana* p. 84 & 85. legimus: „ Prima hæc est & optima operum historicorum, quæ a *Trithemio* (potius a *Frehero*) congesta sunt, editio. In quibus nitent præ cæteris (1) de *viris illustribus Germaniæ*, (2) de *scriptoribus ecclesiasticis* Libri. Stilo non quidem casto, æquabili tamen, & facili & dilucido conscripti. Et ea industria exarati, ut & sibi, & Germanorum genti iisdem laudem sempiternam compararit Auctor, vir πολύιςωρ, πολύγλωττος, πολύγραφος, & in iis, qui ex Germanorum ordine historiæ literariæ dederunt operam, primas partes tenens. Sane *primus* est *Trithemius*, qui vanitati exterorum insultans docuit, Germaniam non pauciores habuisse viros doctos, quam Italiam aliasque terras Europæorum. *Primus* etiam, qui ex *Hieronymo*, *Gennadio*, *Isidoro*, *Honorio*, *Sigeberto* &c. cognitione quæque dignissima excerpsit, & Scriptorum ecclesiasticorum omnium a χριςογονίᾳ usque ad sua tempora breve quoddam concinnavit compendium. Ac licet in eo non semel lapsus sit, & a veritate discesserit, dandum tamen hoc est obscuritati temporis, & loci, in quo vixit, & id potius spectandum, quod assecutus est Auctor, tot difficultatibus impeditus, quam quod tenebris undequaque circumseptus assequi non potuit. „

e) Has *Trithemii* epistolas separatim antea edidit *Iac. Spiegelius*, Selestadiensis, Hagan. 1536. 4. vid. *Hirschii* millenar. II. n. 686. apud charissimum & cl. *Bern. Frid. Hummelium*, in der neuen Biblioth. von seltenen &c. Büchern &c. vol. II. p. 149. Ceterum de iisdem epistolis

vid.

Iam ſequuntur libri quatuor de viris illuſtribus ordinis S. Benedicti, Coloniæ ſeparatim excuſi 1575. 4; Commentarius in regulam S. Benedicti, Valencenis, 1608; Sermonum ad Monachos lib. II. Argent. 1486. fol. Antverp. 1574. 8. & Florentiæ 1577. 4. f). Maximilianus I. Imperator, hancce quæſtionem propoſuerat diſcutiendam: *Quare fides noſtra tot myſteriis & arcanis ſit occultata?* Atqui inter *Trithemii* libros eſt, qui inſcribitur: *Curioſitas Regia*, ſeu *Quæſtiones octo theologicæ, a Maximiliano, Imperatore, propoſitæ, & a Trithemio ſolutæ;* qui liber primum, quantum novimus, prodiit Oppenhemii an. 1515. 4. g); dein recuſus

I i 2 Fran-

vid. obſerv. cel. *Heumanni* in miſcell. novis Lipſ. Tom. II. p. 109. ſeqq. apud *Gerdeſium* l. d. Dignæ utique ſunt, quæ hodie legantur. Conf. *Iac. Burckhardus* in comment. de linguæ Lat. in Germania per XVII. ſæcula & amplius fatis P. II. cap. IV. p. 163. 165. ſeq.

f) Hæc cum aliis, a *Whartono* & *Labbeo* memoratis, ſub tit. *Opera ſpiritualia* vulgavit *Ioan. Buſæus*, Mogunt. 1604. fol. Collectio infrequens, quæ conſtat viginti variis opuſculis a *Trithemio* elaboratis, & ita digeſtis, ut ſtromata theologica vocare poſſis. Vid. bibl. *Reimanniana*, p. 347. ſeq; ubi non ſatis accurate ponitur annus 1605.

g) Conf. celeb. noſter D. *Böttinghauſen* in incunab. typographiæ Oppenh. p. 14. Hanc editionem optime recenſet ven. *Ioan. Barthol. Riederer* in den Nachr. zur Kirchen- Gelehrten- und Bücher- Geſchichte, vol. I. p. 162-67. Quæſtiones quintam, ſextam & ſeptimam, tamquam fragmenta, variis vicibus, ex. gr. Ingolſtad. fuiſſe edita, novimus; quaſi vero hæ quæſtiones antea nondum fuiſſent editæ. Vid. cit. *Riedererus* l. d. pag. 165. Aliam adhuc huiusce libelli editionem, Moguntiæ an. 1601. publici iuris factam, adlegat ven. *Fabricius* Tom. VI. hiſt. biblioth. ſuæ, p. 475. Extat etiam in *Buſæi* paralipomenis *Trithemii*, Mogunt. 1605. editis; quæ collectio Coloniæ an 1624. demum typis eſt exſcripta. Poſſideo hunc libellum Germanice redditum ſub hoc titulo: Antwort Herrn Iohann Abts zu Spanhaim, auff acht

frag-



Francofurti 1550. 8. & 1601. 8. & Duaci an. 1621. 8. atque alibi, v. g. Coloniæ 1534. 8. In hoc libello ſequentia tractantur: (1) de fide & intellectu; (2) de fide neceſſaria ad ſalutem; (3) de miraculis infidelium; (4) de ſcriptura ſacra; (5) de reprobis atque maleficis; (6) de poteſtate maleficarum; (7) de permiſſione divina; nec non (8) de providentia divina. Quæ argumenta quis non videt eiusmodi eſſe, ſuis ut non careant difficultatibus; utpote quas perſpexiſſe acuminis erat MAXIMILIANI, pietatis autem, &, quam in cognoſcenda veritate conſectabatur, accurationis, ut ſolutas eius cuperet & diſcuſſas h).

De laudibus ordinis Carmelitarum, Florentiæ 1593. 4. Lugduni 1639, Coloniæ, edente *Iodoco Kolcov*, 1643. 8. atque alia i); Vita S. Maximini, Archiepiſcopi Trevirenſis k); Vita S. Maximi, Epiſcopi Moguntini l); Epiſtola ad *Petrum*, Abbatem Amerbachienſem m). Polygraphiæ lib. VI. cum clave —— 1518. fol. Francof. 1550. 4. Colon. 1571.

---

fragſtuck, Ime von weylandt Herrn Maximilian Röm. Kayſer &c. hochlöblichſter gedechtnusz, fürgehalten, in Latein beſchriben, vnd jetzund in das Teutſch erſtlich transzferirt. Die acht fragſtuck. &c. Mit Kayſerlicher Majeſtet Freyhaiten nit nachzüdrucken. Ingolſtat durch *Alexander* vnnd *Samuel Weyſſenhorn*, gebrüder. M. D. LV. in 4. opera & ſtudio *Hieron Ziegleri*, Prof. Ingolſtad.

h) Vid. cel. *Erb. Andr. Frommannus* in opuſculis philol. atque hiſtorici argumenti (Coburg. an. 1770. in 8. 2. Tomis) Tom. II. num. VIII. in commentatione de Maximiliani I. Imp. Rom. in rem litterariam meritis, §. IV. p. 642. ſeq.

i) Quæ iunctim produxit idem *Buſæus*, Mogunt. 1605. 8; Colon. 1624. 8.

k) Habetur apud *Surium* d. XVI. Novembr.

l) Apud eumdem d. XIIX. Novembr.

m) Exſtat apud *Lambecium* in comment. de bibl. Vindob. Tom. III. adpend. p. 342.



1571. 8 n); Tractatus de Providentia Dei, Altorfi, 1611. 8; Tractatus chymicus ——— 1611. 8. Argent. 1613. 8; Liber de veneficis, Germanice, Ingolstadii, 1555. 4; Büchlein von den sieben Ertz-Engeln. Nürnberg, 1705. 4. o).

Nonnulli magum ex *Trithemio* frustra faciunt, qui eum criminis huius nimium audacter accusarunt. Illis enim a *Naudæo* aliisque iamdudum fuit solide responsum. Nam *Trithemii Steganographiam* p), quæ Francof. 1606. 4. & Darmsta-

 dii

n) Hæc polygraphia *Trithemii*, Steganographia est inculpatior, & minus suspecta; sed rarior tamen & magis lectu digna, ob alphabetorum antiquorum, aliorumque excerptorum lib. VI. extantium, & ad historiam litterariam pertinentium, præclaram syllogen. vid. bibl. *Reimanniana* p. 779.

o) De eo libello in cit. bibl. p. 784. hæc sunt obvia: „ Si quid laudandum est in his annalibus Seraphicis, hoc est cumprimis, quod auctor eam, quam exhibet rerum seriem, narrare, non affirmare scribit. Neque enim tuto, & citra formidinem oppositi id affirmari potest, quod fictum est, & quod alio documento probari non potest, quam quo fabulas Romanenses probare solemus. Extat tamen hoc schediasma in operibus Trithemii historicis, Ftancof. 1601. in f. excusis, cum hac ἐπιγραφῆ: Multa scitu digna, mira brevitate in se complecti arcana. „

p) Conf. bibl. *Reimanniana* p. 779. seq; ubi sequentia habentur: „ Hæc Steganographia *Trithemii* infamata est a *Mart. Delrione* in disquis. magicis L. II. Qu. 3. pag. 88; *Ioan. Bodino* in Dæmonomania s. consultatione *Wieri* p. 483; *Carolo Bovillo* apud *Wierum* L. II. de præstigiis Dæmonum L. II. cap. VI. p. 156; *Goropio Becano* in Hermathena L. I. p. 15. &, quod mireris, ab ipso *Io. Wiero* l. c. Et a Friderico II. Electore Palatino ita improbata, ut αὐτόγραφον flammis absumi curaverit, quod in eius bibliotheca adservabatur; Sed vindicata, & a Magiæ suspicione liberata, primum ab ipso *Trithemio* in præfat.

Poly-

dii 1621. 4. cum clave seorsim prodiit, aversati sunt multi, multi vero benignius illam tractarunt q).

Trithe-

Polygraphiæ ad Maximilianum Imp. tum a *G. I. Vossio* L. I. de arte grammatica cap. XLI. p. 141; *Gustavo Seleno*, sive *Augusto*, Duce Brunsvicensi & Luneburgensi, in Crypto-menitices & Cryptographiæ libris IX. Luneb. 1624. impressis, & tandem a *Wolffgango Ernesto Heidelio*, Wormatiensi, in Steganographia *Trithemii* reserata & illustrata. Norimb. 1721. in 4. Vt alios taceamus, quorum catalogum condidit *P. F. Arpius* in apologia *Vanini*. p. 11. Et *I. C. Wagenseilius* in diss. varii argum. p. 38; ubi & hoc notat, *Trithemium* opus hoc Steganographicum ad finem non perduxisse. Et scripsit ad nos Vir doctiss. *C. Z. ab Uffenbach*, esse in sua bibliotheca *Trithemii* Steganographiam, opus magicum MSCtum, ἀνέκδοτον, ab edita Steganographia plane diversum. „

q) Nimirum *Adamus Tannerus*, S. I. in orat. quadam inaugurali, Ingolstadii an. 1515. in 4. edita, tentatis & conquisitis, quæ ubicumque habuit, omnibus, tandem pag. 20. concludit, ab omni culpa, propter mali speciem, se non posse *Trithemium* absolvere. At vero, prouti modo vidimus, *Gustavus Selenus*, hoc est, Serenissimus Brunsvicensium Dux, *Augustus*, sub ingeniose ficto nomine isto latens, grandi volumine, librisque novem *systematis Cryptographiæ*, an. 1624. f. Luneburgi editæ, dictum *Trithemii* opus ab omni magicæ suspicionis labe prorsum purgare fuit ausus. Quo successu? vide *H. Conringium*, de bibl. Aug. ad illustr. *Boineburgium* p. 151. seqq. Ab hoc crimine etiam eum liberum declarat *Dan. Georg. Morhofius* in polyhist. Tom. I. lib. I. cap. VIII. §. 25. p. m. 80. ed. Lubec. 1708. ed. *Ioan. Möllero*. Idem fere tentavit *Io. Caramuel Lobkowitz*, in vindiciis Steganographiæ Trithemianæ, Colon. 1635. 4.

Trithemius præterea ſcripſit de veterum Sophorum ſigillis & imaginibus magicis librum, qui demum ex mſc. an. 1612. in 8. fuit evulgatus. Habemus etiam eius binas epiſtolas ad *Corn. Agrippam* r). Aliis eiusdem opuſculis, quæ in Mſſ. paſſim deliteſcunt, iam non immoramur s).

Sæpius in arenam contra Monachos deſcendit, certamenque ſuſtinuit feliciter, dum, eorum ſcelera fortiter adgreſſus, victor evaſit. Accuſat in quadam epiſtola ſacerdotes, quod ſint ſacrarum litterarum contemtores. In alia graviter conqueritur, quod non tam CHRISTVS, quam *Ariſtoteles*. in ſuggeſtu prædicetur. Ceterum fuit ſingulari raraque eruditione pollens philoſophus, mathematicus, poëta, hiſtoricus atque inſignis theologus, adeo ut omnino & purioris litteraturæ, & ſincerioris Theologiæ, quam multi ipſius coætanei, fuerit ſtudioſior t). *Trithemium* quoque membrum fuiſſe

r) Harum altera præfixa eſt operibus *Agrippæ*; altera vero reperitur Tom. II. opp. *Agrippæ*, epiſtolarum lib. I. ep. XXIV. p. m. 704. & ſeq; quæ epiſtolæ ſubiunctæ ſunt operibus *Henr. Corn. Agrippæ* ab *Nettesheym*, ed. ultimæ Lugdun. 8. mai.

s) Horum catalogum ipſe *Trithemius* in epp. Famil. lib. II. p. m. 555. & 562; idem de ſcriptoribus eccleſ. p. 398; atque in annal. Hirſaug. T. II. p. m. 450. 512. 517 & 634. *Ioſ. Simlerus* in bibl. Tigur. p. 421; atque alii apud *Ioan. Gottfr. Olearium* in biblioth. Scriptorum eccleſ. Tom. I. p. m. 410. ſeq. exhibent. Quibus addi meretur *Hummelius* meus l. d. vol. I. num. XIV. p. 90. ſeq.

t) Vid. *Wolfius* in Lect. memorab. cent. XV. p. 532. ſeqq; atque ex eo *Matthias Flacius*, Illyricus, in catalogo teſtium veritatis, num. CCCXCV. p. m. 825. ed. Francof. 1666. 4. mai.

fuiſſe ſocietatis litterariæ Rhenanæ, nemo litterator inficias ibit u). Varia de Abbate noſtro iudicia legi poterunt alibi v).

S.)

---

u) Conſule cel. *Bruckerum* in biogr. *Conradi Celtis*, in dem Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit. Ven. *Wienerus* in progr. de Rhen. ſocietate litt. a *Celte* fundata, p. 17. ſcribit: „ *Tritbem* habe ſeinen würdigen Schüler, den gelehrten Moench *Lang* hin und wieder in die Klöſter geſchicket, um nachzuſehen, ob er nichts finde, das ſeinen Catalogum ſcriptorum eccleſ. mehr erlaeuteren könne. Er fande aber die Geiſtlichen als faule Baeuche. „

v) Nimirum apud laudatum *Blountium* p. 503. 504. & 506. Ceterum de noſtro conferri merentur *Morhoſius* l. d. Tom. I. lib. I. cap. 8. §. 25. p. 80; ibid. cap. 13. §. 25. p. 138; ibid. lib. IV. cap. 2. §. 4. p. 12; *Ioan. Hallervordius*, Regiomontanus, in ſpicilegio de hiſtoricis Lat. p. m. 746. apud *Io. Alb. Fabricium* in ſupplementis & obſervationibus ad *Voſſium* de hiſtoricis Gr. & Lat. edit. Hamburg. 1709. 8; *vid. idem Fabricius* in bibl. hiſt. Hamburg. cent. II. p. 290-325; rurſus idem in biblioth. medii ævi lib. IX. p. 451-469; *Heur. Pantaleon* in proſopogr. &c. P. II. p. m. 407. &, præter ven. *Ioecherum* in dem allgem. gel. Lex. ſub. tit. *Tritheim*, cel. *Iac. Burckhardus* l. d. P. II. p. 358. 359. 360. 363. 364. 365. 366. 367. 403; nec non *Niceronis* Nachrichten P. XVIII. p. 293. ed. Germ. Ceterum vita *Trithemii* fuſius delineata legitur præfixa eiusdem Steganographiæ, quam poſtmodum denuo edidit cit. *Wolfg. Ern. Heidelius*, Norimb. 1721. 4. Vbi multa, dictam vitam non præciſe ſpectantia, ſunt obvia. Catalogum ſcriptorum ibidem haud ſatis accurate ordinatum, nec ſcalpellum criticum ſuo loco, quemadmodum oportuit, adhibitum, multo minus aliorum iudicia ſubiuncta fuiſſe, quilibet, hæcce cum illis ſincere collaturus, ingenue confitebitur.

S.) Modo laudatum *Trithemium* excipit famosissimus iste *Ioannes Faustus*, a superiori w) cautissime discernendus, qui germanice vulgo vocatur *der Schwarzkünstler*. Hunc aliquamdiu scholae Crucenacensis fuisse Rectorem, infra videbimus x). Erroris sunt omnino arguendi, qui *Ioannem* huncce *Faustum* alio nomine *Ioannem Teutonicum* adpellari existimant; quippe quem arte prodigiosa pariter inclaruisse novimus. Sed vero *Teutonicus* iste, patre Presbytero quodam natus, ad Halberstadiensem evectus fuit Canonicatum, adeoque nihil adfinitatis, quod cum *Fausto* intercedat, præ se ferre potest y). Deinde verum *Fausti* nostri nomen erat *Georgius Sabellicus*, prouti loco suo pluribus. Historiam ipsius intricatissimam esse variisque fabulis refertissimam, inficias ibit nemo, qui sagacissime rem oderatur. Nos ea, quae in citanda *Neumanni* dissertatione invenimus, breviter excerpturi sumus, tum vero nostra subiuncturi. De ipso præstigiatore variæ sunt scriptorum opiniones. Prius autem, quam ceterorum seriem nectamus, liber de *vita factisque Fausti* primum sibi locum vindicat; qui vernaculo sermone quondam conscriptus, vel potius compilatus est a quodam obscurissimi nominis auctore z).

In

w) De quo supra lit. G. pag. 225.

x) Conf. *Io. Gottl. Wilh. Dunckel* in den histor. crit. Nachr. von verstorbenen Gelehrten Vol. II. p. 636. num. 1836.

y) Vid. *Wolfius* in lect. memorab. T. II. p. 434.

z) Nimirum *Georg. Rudolpho Widemanno*; cuius scripti, editione sæpius iterata, iteratæ pariter, magis magisque auctæ sunt fabulæ. Hunc *Widemannum* sub initium seculi XVI. vixisse, docet *Crusius* in annal. Suev. P. III. p. 369; ubi, commemoratis quibusdam eius scriptis, quæ tamen bello rustico perierint, fatetur, sese multas de magia rela-

In magna vero ſcriptorum penuria neminem *Ioanne Manlio* priorem facile deprehendemus; qui cum ex relationibus ſaltem, doctorumque virorum colloquiis *collectanea* ſua ſe confeciſſe teſtetur, non nullius illa erroris arguuntur. Quod ſi tamen ex ramentis aurum colligatur, quædam procul dubio occurrent, quibus aliquam præſenti rei lucem accenſum iri confidimus. *Fauſtum* igitur, *Scholaſticum Cracovienſem* a) vocat, & *Kundlinga* b), quod exiguum Sueviae oppidum eſt, oriundum. Audiatur ipſe haec ediſſerens: *Novi quendam nomine* Fauſtum *de Kundling: quod eſt parvum oppidum patriae meae vicinum; hic cum eſſet ſcholaſticus Cracovienſis, ibi magiam didicerat, ſicut ibi olim fuit eius magnus uſus, & ibidem fuerunt publicæ eiusdem artis profeſſiones* c). Ergo quoque cognitus *Manlio* videtur fuiſſe hic magus, & conterranei civisque loco habitus. Neque aliter eius facinora recenſet, ac ſi illa aetate eſſent perpetrata. *Vagabatur*, pergit, *paſſim, dicebat arcana multa: Venetiis cum vellet oſtendere ſpectaculum, dixit, ſe volaturum in coelum: Diabolus igitur ſubvexit eum, & afflixit adeo, ut alliſus humi pene exanimatus eſſet, ſed tamen non eſt mortuus.* Quam narrationem in *hiſtoria vitae* non reperimus, ut vel hinc illius compilator naevi alicuius argui queat. Ceterum non hic locorum, ſed in

relationes ex eodem percepiſſe. Ceterum exſtat liber, ac medio ſec. XVII. D. *Pfizeri* cura, Norimbergæ ingenti monitorum moralium cumulo refertus prodiit: cui quidem editioni aliquam auctoritatis ſpeciem facit, quod ad ipſum autographum provocatur; *Plazii* quoque Theologi, qui tractatu de *Spectris & lemuribus* olim inclaruit, nomen præfigitur.

a) Forſitan *Crucenacenſem.*

b) Hodie *Knitlinga*, oppidulum inter Brettam Palatinam & Maulbronnam Würtembergenſem ſitum.

c) In collectan. Baſil. editis an. 1600. p. 38.

in pago quodam Ducatus Wittenbergensis exstinctum commemorat; ipsam autem urbem Wittenbergam semel invisisse, non abnuit; *Hic Faustus*, inquit, *in hoc oppido Wittenberga evasit, cum optimus Princeps Dux Iohannes dedisset mandata de illo capiendo &c.*

Iam paucis exponemus, quae *Andreas Hondorfius*, seculi decimi sexti ecclesiastes, memoriae reliquit; cuius tamen, in colligendis historiis, utrum pietatis maior cura fuerit, an vero veritatis, incertum merito relinquimus. Antiquitate saltim cum priori ceterisque certat, quia iam anno LXXV dicti modo sec. XVI. lucem publicam vidit ipsius *Promtuarium Exemplorum;* in quo *Manlii* secutus sententiam, *Faustum*, ait, Wittenbergam se contulisse, sed tamen Principis edicto, de vinculis ipsi iniiciendis promulgato, rursum evasisse. Et sic sibi consuluisse dicitur praestigiator d).

Ad *Ioannem Wierum* transeo; quippe qui, quum *Henr. Cornelio Agrippae* a *Nettesheim*, homini magicis superstitionibus infami, operam in pueritia navasset, adeo erga praeceptorem optime de se meritum gratus exstitit, ut opus illud, quod diu post *Agrippae* mortem de praestigiosae huius scientiae vanitate luculentum edidit, ea occasione publicavisse credatur e). Equidem a quibusdam huius criminis aperte accusatur, &, si *Crespeto* f) credimus, ob magiae crimen poenam mortis incurrisse perhibetur. Interim non desunt apologiae, quibus defenditur, exstantque non clara tantum doctrinae ipsius testimonia, sed virorum quoque doctorum, *Caroli* Galli Theologi, pariter & *Bartholi Richii*

 iu-

---

d) In eius Promtuario exempl. ad Præc. II. p. 167.

e) Quod *Thuani* pene verbis refero, qui verbosam ipsi dicam scribit lib. XCI. hist. ad annum 1588.

f) In discursu III. de Satanæ odio.

iurisconsulti, aliorumque non contemnenda iudicia, quibus merito adsentimur g). De *Fausto*, cuius gratia hic adducitur *Wierus*, non tam artes magicas refert, quam imposturas; existimatque, quod inani iactantia & pollicitationibus non nihil effecerit, fallendi ceteroquin atque imponendi maxime peritus. Ceterum, quam alii reticent, ipsammet epocham quoque figere ausus est *Wierus*, aetatemque designare, qua vixisse nauci homuncio narratur. *Ioannes Faustus*, inquit, *ex Kundling, oppidulo, oriundus, Cracoviae magiam, ubi olim docebatur palam, didicit, eamque paucis annis ante quadragesimum supra sesquimillesimum cum multorum admiratione mendaciis & fraude multifaria in diversis Germaniae locis exercuit.*

Neque dissimile symbolum adponit *Conradus Gesnerus* h). Is nimirum in *Onomastico* suo huncce *Faustum* in censu vagantium Scholasticorum habet, similemque facit *Paracelso* aliisque id genus necromantis. Sed quemadmodum de *Paracelso*, quem spiritus familiaris insimulant, doctissimi quique dubitaverunt; ita ingens omnino est postulatum, an magus hic impostoribus istis ac nugivendis adnumerari queat? quippe qui non tam commercio cum Satana inito, quam fallaciis & benefica, uti adpellitant, magia utebantur i). Hic vero artibus prorsus illicitis animum adplicuisse perhibetur.

Insuper hac serie non excludendum esse censeo *Philippum Camerarium*, maximae doctrinae auctorem, quam tamen non aeque solidam atque curiosam in *horis succisivis* exhibuit. Quod ad *Fausti* historiam spectat, eadem prorsus cum *Manlio* ce-

g) Lege epistolas *Wieri* tract. suo adnexas p. m. 687 & 690.

h) Quem Polyhistorem ac Medicum insignem stupendaeque virum eruditionis declarat *Chilinus* in theatro litt. vol. I. p. 40.

i) Prouti cel. *Thomasius* probavit in disp. de vagab. scholast. §. 28. seqq.

ceterisque oberrat chorda; variisque abreptus vulgi relationibus, neminem ex plebe ait reperiri, qui non aliquod artis Faustinae documentum commemorare possit. Omnia, quae de obitu *Fausti* adfert, ex *Wiero* depromsit, unico saltim specimine præstigiarum addito; quod, dum omisit *Historia vitae*, brevissimis nunc verbis repetemus. Nimirum, cum apud quosdam divertisset *Faustus*, ab eo petierunt, ut aliquod artis suæ specimen ostenderet; quod cum diu recusavisset, tandem, importunitate sodalitii commotus, promisit, sese praestiturum, quodcumque expeterent. Vnanimi proinde consensu flagitarunt, vitem uvis praegnantem ut in mensa repraesentaret. Adsensit *Faustus* & serio pollicitus est, iamiam easdem conspectum iri, sed tamen hac conditione, ut omnes altissimo exspectarent silentio, donec illos iuberet uvas decerpere. Singuli, se legi obtemperaturos, promittunt. Mox infamis artifex ebriae huic turbae ludibriis suis ita oculos sensusque praestrinxit, ut illis tot uvae adparerent, quot ipsorum adessent. Rei itaque novitate cupidi, sumtis suis cultellis, exspectabant, ut eos mandaret rescindere uvas; sed vero, cum aliquamdiu suspensos in vanissimo errore tenuisset *Faustus*, evanescunt vites atque in fumum abeunt. Illi, nebula magica iam discussa, visi sunt singuli suum quisque tenere nasum, adposito cultello iamiam pro uva secandum. Quod si quis immemor praecepti aut contemtor, iniussus uvas secare voluisset, se ipsum naso mutilasset k).

k) Vid. *Camerarius* horis succis. cent. I. p. 314; quam narrationem in *diebus*, quos vocat, *canicularibus* denuo repetit *Simon Maiolus* Tom. II. coll. 3. p. 602. Sed cum primi saltem tomi auctor habeatur *Maiolus*, adlegandus erat potiori iure *Georg. Draudius*, cui cura reliquorum adscribitur. *Drexelius* etiam hancce commemorationem ceu fide non indignam collectaneis suis inseruit, litterisque demum consecravit in Aurifodina P. II. cap. 8.



Praeterea *Martinus Delrio*, fidissimus rerum magicarum commentator, *Faustum* hunc & *Agrippam* veluti socios in medium producit; relationibus autem edoctus: *Sic refert fama*, inquit l), *Faustum & Agrippam; cum iter facerent, solitos nummos ad oculum sinceros in diversoriis numerare, quos qui receperant, post pauculos dies cornuum frusta vel scruta vilissima reperiebant.* Quod si ita est, miror equidem, nec in quoquam vitae Agrippinae scriptore, nec in epistolis, quas de vario argumento scripsit, vel minimum huiusce rei vestigium conspici. Parem profecto, si *Wieri* annos numeramus, aetatem uterque habuisse videntur; nec desunt, qui *Agrippam* ex *Fausto* quasdam artes magicas didicisse existimant. Verum enim vero nodus hicce eo usque Gordius erit, donec gladium cuiusdam Alexandri experiatur.

At enim, qui tam infami omnium sermone increbuit, quemdam tamen habuit famae suae defensorem. Quidam namque historicus m), aliquam *Fausti* artem recitans, nequam huncce hominem adpellat *probum piumque filium.* Id quod sive ex animi sententia pronuntiet, sive κατ' ἀντίφρασιν intelligat, certe risu est dignissimum. Dicti vero historici libros multae labis insimularem, nisi clarissimum simul nomen *Matthaei Dresseri*, insignis historici, laederetur; ex cuius recensione miror illos libros tam incaute temereque prodiisse.

Maximi quondam nominis Philologus & Medicus Parisinus n), apologiam illorum suscepit, qui magicae artis suspicione fuerunt infames. Sic o) egregia quaedam monita prae-

l) *Delrio* in disq. mag. lib. II. quaest. 11.

m) Nempe *Meigerus* in Nucleo Historico lib. VII. cap. 18.

n) Nimirum *Gabriel Naudaeus* in singulari quodam tract. an. 1625. edito, speciatim cap. 1.

o) Idem cap. 1.

praemisit, docuitque, scriptoribus promiscue fidem non esse tribuendam, cum magni saepe Politici & admiranda quorumdam ingenia, ac studia praesertim mathematica, magiae infamia fuerint notata. Quocirca hoc vitio liberat, non modo ex antiquis *Zoroastrum*, *Plotinum*, sed etiam *Michaëlem Scotum*, *Io. Trithemium* p), ac denique *Io. Faustum*; utpote cuius historiam, in Germania ortam, non longe alio, quam fabulae loco habet, suoque idiomate recte satis adpellat *Roman Magique*, hoc potissimum fundamento nixus, quod a multis quidem scriptoribus, quales sunt *Delrio*, *Wierus* aliique; a nullo autem probatae fidei Historico res *Fausti* litteris proderentur.

Quare hoc consilio adducti eruditiores animo fluctuare, atque in dubium vocare hanc *Fausti* historiam coeperunt. Nonnulli videlicet hoc *Fausti* nomen fictum aiunt, hominique cuidam magico inditum, ob faustum in rebus peractu difficillimis successum. Alii a *Fausti Socini* nomine aliquam, sed prorsus levissimam, originis ansam petunt; hic enim, cum in Polonia q) venenum Photinianismi spargeret, litterisque & artibus rudiori genti esset miraculo, magiae infamia laborasse dicitur; unde coniectura est, abiecto cognomine *Socini*, nomen *Fausti* increbuisse. Sed, cum iamdudum ante *Socini* aetatem haec narratio sit orta, istius furfuri omnia sua sponte corruunt. Sunt quoque, qui vel adlegando saltem, vel commemorando, aliquam *Fausti* fecerunt mentionem r).

Prae-

p) Conf. supra p. 253. seq. not. p. & q.

q) Vbi magus noster vixisse perhibetur.

r) Verbi gratia *Gisb. Voetius* P. III. select. disput. p. 539; *Thomasius* in disp. de Scholast. vagab. §. 28; *Freudius* in casual. de mag. p. 256; *Conr. Dietericus* conc. XVII. in Eccles. p. 237; & *Zeilerus* in chron. Sueviae p. 564.



Praemiſſis hisce, vitam factaque *Fauſti* penitius examinaturi, disiecta fabularum mole, hanc hiſtoriam, ſuis denudatam commentis, quantum quidem poterimus, iam trademus. Tres eius numerantur patriae: videlicet *Knitlinga*, Sueviae oppidum s); deinde *Roda*, vicus terrae Vinarienſis t); *Soltwedelia* tandem, Anhaltini Principatus oppidum u).

At vero ſedulo caveamus, ne palpum nobis obtrudat *Fabularum Compilator*, cum dubium ſit nullum, quin fidem ſibimet prae illo vindicent auctores ſuperius memorati. *Manlius* certe, licet in quibusdam vacillet, in hoc prorſus fallere nequit, quando *Fauſti* patriam ita recenſet, ut & noviſſe hominem ſeſe teſtetur, atque *Knitlingam*, ubi natus eſt, *oppidum patriae ſuae vicinum* adpellet v). Non dicam de unanimi ceterorum auctorum conſenſu, qui, ſi vel maxime Hiſtorici nomen mereantur, *Fabulae* tamen *Scriptori* palmam ideo praeripiunt, quia *fictam hiſtoriam* deſcripturi, patriam vel omittunt plane, vel, ob maiorem veritatis ſpeciem, aliam praetexunt. *Autographum*, quod in vetuſtiori quadam bibliotheca repertum iactitant, fide ſua, *ſi quam* habet, minime privabimus; ſed, num *Fauſti* ipſius iuſſu ſit conſignatum, quod aiunt, ne probabile quidem ullo modo videtur. Quid? quod multis commixtum erroribus, atque eo ſaltem fine confectum dicitur, ut improbis atque maleferiatis exemplum eſſet ſemper extimeſcendum w).

Ceterum prouti Magi vita ſemper fuit vagabunda, ſic Ingolſtadienſem quoque academiam inviſiſſe narratur x).

Id

---

s) Vti *Manlius* in coll. p. 38. ceterique ſtatuunt.

t) Si *Ge. Rud. Widemanno* credimus.

u) Quod hiſtoriæ *Fauſti* autographum teſtatur.

v) In collect. p. 38.

w) Vid. præfatio hiſtoriæ *Fauſti*.

x) Sic legimus in hiſtoria *Fauſti* P. I. cap. 1.

Id quod, quamvis nullus auctorum confirmet, in dubium tamen non vocabimus, cum circa id temporis academiam hanc egregiis studiis floruisse, virisque abundavisse celeberrimis persuasi sumus y). Quorsum vagari, quid obstat, quo minus homuncio noster potuisset?

De *Wittenberga* vero, quod *Fausti Historia* fingit, nihil eo fabulosius arbitramur. Nominis enim errore deceptus auctor, eum temere errorem erravit geographicum, ut, si *Würtembergensis* civitas adpellanda fuit, propter evidentissimam vocum adfinitatem, *Wittenbergae* nomen adlegaret. Vnius saltem illum mendi convincam, ut ex eo corrigantur reliqua: Videlicet z), convocatis quibusdam sociis, in silvam quamdam urbi vicinam, quam *Spessart* vulgo dicunt, *Faustus* commigrasse perhibetur. At vero hicce lucus eo nomine nuspiam terrarum celebris est, nisi in Ducatu Würtembergensi. Opponunt tamen adversarii, quemdam *Fausti* patruelem, tunc fuisse civem Leucoreae urbis & incolam, a quo noster susceptus atque in filium adoptatus esse, immo eiusdem gratia ibidem degisse memoratur a). Verum enim vero ex universali curiae Wittenbergensis catalogo certissimum est, neminem olim hoc nomine insignem, fuisse numero civium adscriptum. Proinde nihil commercii nihilque negotii cum *Fausto* habuit Saxonum *Wittenberga*, sed *Würtembergae* illud omnino adscribendum esse, ex dictis clarissime patescit. Quod si quis tamen famam praetendat publicam, quae non semper vanissima esse creditur; hanc insuper exorti rumoris occasionem accipiat. Nimirum, quum belli tricennalis tempestas in Saxonicis quoque terris in-

y) Teste *Erasmo Roterodamo* Lib. XI. Epist. XVII. p. 121. ed. Lond.

z) P. I. cap. 6.

a) Ibid. P. I. cap. 1.



ingrueret; nihil non incola tentabat, quo hostium saevitiam vel propellere, vel saltem evitare posset. Praetor itaque pagi, quem Albis adluit, quique *Brodae* nomen habet, invadenti militi persuadere conatus est, aedes suas horrenda *Fausti* morte esse notabiles, ostensoque pariete, bovis forte cruore tincto, metum invasoribus, quandoque fugam incussit. Ita vanissimus etiam rumor, si quam veri speciem habet, ad posteros transfertur.

Videmus autem, huic sententiae repugnare *Manlium*, qui non tam Latine, quam audacter: *Hic Faustus*, inquit, *in hoc oppido Wittenberga evasit, cum optimus Princeps Dux Iohannes dedisset mandata de illo capiendo.*

Sane modo citatus scriptor b) vitam *Fausti* ad eamdem retulit aetatem, qua *Ioannes*, Saxoniae Elector, quem glorioso cognomine *Constantem* adpellitant, fasces regiminis tenuit. Neque fidem superat, quin, cum Norimbergae, Venetiis & Lipsiae sit conspectus, *Wittenbergam* quoque semel inviserit: Simulac tamen ex mandato Electorali finibus ac terris hisce prohibitus est, fuga salutem quaesivisse *quidem*, non tamen fixam alibi sedem tenuisse iudicatur c).

Dum facta Magi conficta persequimur, de Imperatore MAXIMILIANO I. aliquod occurrit commentum. Imperator videlicet aliquando *Oeniponte*, quae tunc Archiducum Austriae sedes erat, animi recreandi caussa commoratus, *Faustum*, cuius fama iam tum inter aulicos infamis erat, per nun-

---

b) Nempe *Wierus* de Præstig. Dæmon. p. m. 142.

c) Testes cito commensales *Lutheri* sermones; ad omnes *Melanchthonis* libros eiusque generum *Peucerum* provoco, quorum silentium mihi facundi instar testimonii habetur. Et *Peucerus* quidem tanto minus hanc *Fausti* historiam reticere debebat, quanto maiori cura & labore suos de *Divinatione* & *Magia* commentarios confecit.

nuntium ad ſe accerſivit. Hic, ut aliquod artis ſuae ſpecimen exhiberet, rogatus, abnuit initio; ſed tandem certus de Imperatoris clementia pollicetur. Quid vero? Se magnum illum Macedonum regem adnuit ſpectare, ideoque geſtit Caeſar. Quo cognito, *Fauſtus*, dum conclavi incluſum ſcivit Imperatorem, ſine ulla mora excitatum ab inferis *Alexandrum Magnum* produxit, tali quidem ſpecie, qualem ab hiſtoricis deſcriptam eſſe fatebatur Caeſar. Artificem igitur, gratia donisque praeditum, dimiſiſſe diciturd). En nugas! iam olim *Ioannem Trithemium* Abbatem, quem *Wierus* aeque ac *Bodinus*, ſed temere e), magiae accuſant, hoc praeſtitiſſe ferunt; quomodo ergo *Fauſto* adſcribitur? MAXIMILIANUS vero Imperator tantum abeſt, ut a quopiam ſcriptore hanc temeritatem incurriſſe memoretur, ut potius graviſſimi hiſtorici f) elogio *Princeps religioſiſſimus*, alterius vero ſcriptoris g) encomio *integrae pietatis & incomparabilis virtutis Heros*, adpellitetur. Alibi quoque ab anonymo quodam multa promiſcue recenſentur h). Huius vero fabellae nec vola nec veſtigium exſtat.

Nec pluris quoque momenti eſt, quae vulgo de eodem Imperatore hiſtoria innotuit. Somno namque Caeſar aliquando ſopitus, mane cum elevaret oculos, conclave ſuum, *Fauſti* artibus ita vidit exſtructum, ut omnia florum, arborumque & herbarum genera, ſuaviſſimos avium cantus & nihil non deliciarum elegantiſſime repraeſentaret i). Verum autem iſtud ex *Alberti Magni*, cui ſcelus idem exprobrant, hi-

d) Hiſt. *Fauſti* P. II. cap. 20.

e) Supra p. 253. ſeq. not. p. & q.

f) Nimirum *Cuſpiniani* de Imper. Rom. p. 494.

g) Videlicet *P. Iovii* in Elog. cap. V. p. 155.

h) In libro, cui tit: *Maximiliani res geſtæ*, Ingolſtad. ed. 1631.

i) Hiſt. *Fauſti* Lib. II. cap. 11.

hiſtoria eſt ſubreptum. WILHELMUS enim Imperator cum anno MCCLX Aquisgrani coronatus aulam repeteret ſuam; Monachus hic in honorem novi Caeſaris, neſcio quid viridarii, hiberno tempore molitus, quum vulgi fidem excederet, *Necromantae* nomen inde reportavit. Sed *Suevus* erat hic *Albertus*; *Suevus* itidem *Widemannus*, hiſtoriae *Fauſti* auctor; hinc exteris ipſi deficientibus fabellis, quasdam in patria ſua ſubnatas pullulatasque collegit.

Cetera mihi bilem, iſtud ferme riſum movit, quando ruſtico cuidam, plauſtrum foeni plenum vehenti, obviam factus eſſe magus narratur. Inita proinde ſolvendi pretii ratione, *Fauſtus* integram foeni molem, obſtupefacto ruſtico, ingurgitavit k). Sed vero eadem commemoratio alii cuidam monacho, in colloquiis D. *Lutheri* adlegato, pariter adſcribitur. Ergo ſub *Fauſti* nomine vendita ab eo peracta eſt fabula. Quin immo de *Zythone*, Bohemo quodam praeſtigiatore, eadem propemodum narratio repetitur l).

Denique de Cane, adſiduo itinerum *Fauſti comite*, quae memorantur m); ad *Corn. Agrippae* vitam pertinere creduntur. Hunc enim Necromantiae ſuſpicione velut infamem exſecrant nonnulli: quod cacodaemonem nigri canis ſpecie circumduxiſſe ſecum cenſeatur. Auctor huius rei eſt modo citatus ſcriptor n): *Cum propinqua morte*, inquit, *ad poenitentiam urgeretur, cani collare loreum, magicis per clavorum emblemata inſcriptum notis, exſolvit, in haec ſuprema ver-*

k) Ibid. P. I. cap. 42.

l) Sic ex *Dubravio* narrat *Camerarius* l. d. cent. I. p. 314. addito haud ineleganti epiphonemate: *Eadem ludibria, quae modo de Bohemo mago diximus, Fauſto adſcribuntur.*

m) P. I. cap. 25.

n) *Paul. Iovius* in elog. p. 121.

verba irate prorumpens: Abi, perdita bestia, quae me totum perdidisti: nec usquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est, quum praecipiti fuga saltem in Ararim se immersisse, nec enatasse, ab iis, qui id vidisse asserebant, existimetur. Quae cum historia *Fausti* ex asse, quod aiunt, & amussi congruunt.

Sed eiusmodi de *Agrippa* adfirmatio dubio non uno laborat. *Iovius* enim tantae non est auctoritatis, quin ab alio viro erudito o) *scriptor nimiae superstitionis* adpellitetur. Certe *Wierus* praeceptoris sui partes tam graviter tuetur, ut aliorum de *Agrippa* sententias, ex invidia potissimum subortas, non temere meras nugas vocet p). Alius scriptor q) etiam non nisi singulari doctrinae, qua polluit, hanc magiae suspicionem refert acceptam. Interim non omni reprehensione prorsum liberandus est *Agrippa*, nec immerito in ipsum invehitur quispiam r): *De Corn. Agrippa*, inquiens, *quid omnino sentiam, nihil habeo necesse dicere, nisi quod, cum in literas declamitavit, videri voluit egregie literatus: quanquam tamen non minus apud sanos videatur aucupio vanitatis delectatus, quam otiose solers in vanitate artium insectanda.* Et vanissimus profecto de *scientiarum vanitate* liber est, in quo novitatis suae argumenta ex sacris etiam paginis confirmare nititur: quasi feliciori ope tantas ingenii opes ostentare nequiverit, nisi vir educatus in litteris, atque a Caesare propter eruditionem equestris ordinis dignitate condecoratus, importunos arietes Eloquentiae, aeternis optimarum litterarum arcibus, admovisset. Quidquid vero sit, quantum ex scriptis eius s) coniicio, videtur satyrica saltem mimesi vitia

o) Nimirum *Delrione* in disq. mag. lib. IV. cap. II. p, 586.

p) De præstig. Dæmon. Lib. II. cap. 5.

q) Videlicet *Naudæus* in apologia cap. 15.

r) *Claudius Minos* in notis ad embl. Alc. p. 63.

s) Ex epist. XX. Lib. VI. Epist. *Agrippae* p. 300.



docentium exagitasse, aut certe in re ludicra exercere ingenium voluisse.

Verum autem ne extra oleas spatiemur, ad Theologum Belgicum t) revertimur, qui utramque de Magia paginam facturus, non potuit huius *Fausti* non meminisse. Pactum vero magicum distinguit ille in *occultum* & *expressum*: huius reum se fecisse *Faustum* existimat, quod & aperte initum, & sollemni scriptione instrumenti, signo denique stigmatico cuidam corporis parti impresso, fuerit stabilitum. Cuius nunc ideo recordari iuvat, ut *Gesneri* pariter & *Wieri* sententiae renuntiem, qui *Faustum* in *Vagantium Scholasticorum* classem referunt. Esto autem, vitam eius ambulatoriam fuisse, quin & Cingarorum consuetudine, chiromantiam ut edoceretur, usum esse: magiam tamen, quam illi coluere *fallacem*, hic longe sceleſtiori, cum verus esset incantator, exercuit schemate.

Nimium autem flocci pendet *Fausti* praestigias *Wierus*, quum eiusdem facinora tantummodo iactantiam & fraudes nuncupat. Sane si illustrium virorum familiaritate exclusus non fuit homuncio, potius albo lapide, quam atro carbone notandus videtur. Istud autem non modo *historia vitae* satis superque refert, sed *Wierus* ipse u): *Hic scelestus*, inquit, *captus Batoburgi in Mosae ripa ad Geldriae fines*, Barone *Hermanno absente*, *mitius ab eius Sacellano D. Iohanne Forstenio tractabatur*, *quod huic viro bono*, *nec callido*, *plurium rerum cognitionem artesque varias polliceretur*. Ast sustulit hanc litem, & ad vivum resecuit acutissimus aetate sua Philosophus & Iurisconsultus v). Quin etiam *Wierus* sui oblitus, tale de *Fausto* recitat iniquioris magiae documentum, & quidem hisce verbis: *Ludimoderator apud Goslarienses ex*

Fau-

t) *Gisb. Voetium* in disp. select. P. III. p. 548.

u) De præstig. Lib. II. p. 143.

v) *Thomasius* in disp. de vag. schol. §. 145.

Fausti magi, vel verius infausti mali doctrina instructus, modum, quo carminibus in vitro coerceretur Satan, didicit. Ut itaque impediretur a nemine, die quodam in sylvam abiit: ubi in magica execratione aberranti apparuit Daemon, horrenda admodum forma, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli morem intortis, oblongis dentibus aprinis non dissimilibus, genis felem referentibus, & in universum terribilis. Hoc idolo terrefactus hic prosternitur, iacetque horas aliquot semimortuus w). Sic nemo *Faustum* hoc crimine absolvit minus, quam qui maxime illum absolvere conatur.

Ceterum *Doctoris* certe titulo, quem in ordine Medico dicitur adeptus, spoliari omnino debet praestigiator. Rectissime proinde id omni studio negat scriptor non contemnendus x), nec persuaderi potest, hominem in suspectis scholis educatum, tamque nefariis artibus nullibi non infamem, ad tantum decus, quod tunc temporis distributum rarius, evehi potuisse; cum neque locus designetur, neque offerendae dignitatis occasio. Forsitan tamen eo more nomen ipsi adhaesit, quo Agyrtis & id genus impostoribus, qui cum medicinam vel faciant, vel sese facere impudenter iactitent, Doctoris nomen vulgo sortiuntur.

Cum itaque historia candorem, nullam in partem temere inclinantem, sibi legem posuerit supremam, adeoque, missis aliorum sententiis, solius *Gabr. Naudaei* partes arbitramur amplectendas, cuius in hac re vestigia premimus, in multis autem pedem retrahimus; nonnullos enim & scelestiores quidem *Necromantas* cum defensum ivit, Aethiopem lavare visus est; proinde de paradoxis illius apologiis non aliter iudicamus, quam de Neronis laudibus a *Cardano* decan-

---

w) Lib. II. p. 144.

x) Nempe *Freudius* casual. de Mag. p. 265.



cantatis, aut de doctorum virorum encomiis rerum apprime futilium. Interim tamen *Naudaeus* hic emunctae naris est, qui vitam *Fausti* nec fabulam plane nec historiam, sed verbo ab utraque parte paulum discrepante, *Roman magique* Gallico sermone non inepte vocat y). Cui proinde nostrum calculum, salvo aliorum iudicio, adiicere non erubescimus z).

Sic igitur haec dubia de *Fausto* historia *narrationis scenicae* seu *magicae* nomen habet, quae de persona hominis non ficta quidem, sed artibus magicis olim infami, in istum fabularum passim additarum cumulum succrevit. Mera proinde fabula non est. Quis enim in dubium vocabit vulgarem adeo constantemque universae Germaniae notitiam? Ἀυτόπτης est *Manlius*, qui semet novisse hunc *Faustum* adfirmat; *Camerarius* audita loquitur; *Wierus* ex amico, *Fausti* ludibriis decepto, facinora accepit a). Quid? quod hic militat ipsa Suevorum confessio, qui, quoties Knitlingam, patriae terrae oppidum, indicant, numquam non ob *Fausti* vitam reddunt notabilem b). Neque tamen *historiam* quis vocabit tam languidam tamque ineptam de *Fausto* narrationem, nisi forte, cui historiae maiestas est ignota. Nulli namque annales, qui per singulas etiam decurias facta vel levissima loquuntur, nulla monumenta, quorum fides est probatissima, huius vel minimam produnt mentionem. Quid ita? videlicet, antequam innotuit *Faustus*, obscuritas eius obstitit, quominus calamo historici cuiusdam dignus videretur; cum vero nomen ipsius increbuisset, nimius fabularum cumulus omnino deterruit scriptores.

Hinc

y) In apolog. cap. XV. p. 419.

z) Id quod quoque credit celeb. *Iac. Bruckerus* in hist. philos. crit. Vol. II. lib. III. cap. 10. p. 62.

a) l. cit. p. 143.

b) Vid. *Conr. Dietericus* conc. XVI. in Ecclesiast. p. 237.

Hinc Hiſtorici talia daemonologicis minusque ſeriis ſcriptoribus merito commiſerunt. Aſt vero & ipſorum nonnulli, ſuſpenſa, quod aiunt, manu hocce tractarunt negotium. Tantum igitur abeſt, ut cum Hiſtoria familiam ineat huiuscemodi narratio, ut potius a *magica* ne latum quidem unguem diſcedat. Nam haec de *Fauſto* commemoratio, exiguis ſane orta initiis, prouti ſeculum iſtud fabularum erat fertiliſſimum, tanta deinceps ubique ſumſit incrementa, ut ingentem hic miremur ſilvam, vitioſis aliorum frondibus adauctam.

Qui vero negant, Incantatorem, hoc nomine tunc temporis inſignem, unquam vixiſſe, a *Ioanne Fauſto* Typographo fabulae repetunt originem c). Cum enim *Guttenbergius* quaedam artis typographicae rudimenta inveniſſet, ſocium is vel ſucceſſorem habuiſſe fertur *Ioannem* hunc *Fauſtum*, cuius opera multum ad promovendum artificium acceſſit. Inde Monachi, quorum magnus quaeſtus veniebat a libris deſcribendis, vehementer indignati, quod fundo ſuo pararetur calamitas, artificem hunc artibus magicis reddiderunt infamem. Sed quamcumque veri ſpeciem prae ſe ferat iſtius furfuris coniectura, haud tamen efficit, ut tam locupletibus nuntium mittamus teſtimoniis auctorum, qui & his proxime temporibus accedunt, atque uno omnes ore hunc hominem *Knitlinga-Würtembergenſem* vocant. *Fauſtus* autem Typographus (quem alii ſimpliciter *Fuſt* nominant) civis Moguntinus d) fuit, eoque minus cum Incantatore confundendus. Legitur quippe nomen eius in primo exemplo *Offi-*

c) In eadem ſententia fuit magnus ille Anglus *Humfredus Prideaux* in concatenatione Hiſt. V. & N. T. fol. 255.

d) De quo paſſim egregie agit celeb. *Dan. Gerdeſius* in hiſt. Reform. Tom. I. p. 5. ſeq.



Officiorum Ciceronis membranae impressum his verbis: *Presens M. Tullii opus Iohannes Fust Moguntinus civis, non atramento plumali, canna neque aerea, sed arte quadam perpulchra manu Petri de Gernsheim; pueri mei feliciter effeci. Finitum Anno* MCCCCLXVI. *quarta die mensis Februarii.* Quod monumentum *Petrus Ramus* in bibliotheca sua adservatum reliquit e). Cetera silentii velo involvimus f).

Faustum nostrum non posse eumdem esse cum typographo vel potius typographiae inventore, inde quoque praeter alia liquet, quod posterior iam diu ante magum exstiterit.

Ceterum magus noster, commendante *Francisco* de *Sickingen*, scholae Crucenacensi fuit praefectus, & quidem sub regimine PHILIPPI, Electoris Palatini; per famam quoque notus *Ioanni Virdungo* de *Hasfurt*, acutissimo Mathema-

e) Vid. *Melch. Adami* in vit. Philosoph. &c. p. m. 2. ed. in 8.

f) Plurima haecce decerpsimus ex *Car. Christiani Kirchneri*, vel potius *Ioan. Georg. Neumanni* disquisitione hist. de *Fausto* Praestigiatore, quam in alma Leucorea publico examini commiserunt, d. XXIII. Maii an. 1683; cuius secunda editio correctior eodem an. 83. ibidem prodiit; quae deinceps recusa Wittenbergae an. 1693. 4; rursus ibidem de novo vulgata an. 1746. 4. *Fausti* biographia, a *Ge. Rudolpho Widemanno* in sermone Teutonico compilata, saepius, & iam *Neumanni* temporibus, Norimbergae, cum *Ioan. Nicol. Pfitzeri*, Medicinae Doctoris, novis admonitionibus, quaestionibus & historiis, & *Conradi Wolffg. Platzii*, Theol. D. praemonitis de peccato Magiae, edita est Norimb. 1681. 8; tum quoque postmodum ibidem prodiit an. 1695. 8; rursus ibidem an. 1726. 8. Mentionem *Fausti* quoque fecit *Christianus Francisc. Paullini* in den auserlesenen geistl. und weltl. Merckwürdigkeiten P. III. num. CXII. p. 694 — 703. edit. Francof. an. 1697. 8; ubi docetur, omnia, quae de *Fausto* narrentur, meram sapere fabulam. Quod senes nido concinunt, id pulli statim garriunt.

matico; innotuit etiam ipſi *Trithemio*, qui eum invenit Gelnhuſae, prouti ex *Trithemii* ad *Virdungum* epiſtola diſcimus, ex Herbipoli viceſima die m. Auguſti anno Chriſtianorum 1507 ſcripta; ubi inter alia leguntur haec notatu dignisſima: *Homo ille, de quo mihi ſcripſiſti*, Georgius Sabellicus, *qui ſe principem necromanticorum auſus eſt nominare, gyrovagus, battologus, & circumcellio eſt, dignus, qui verberibus caſtigetur, nec temere deinceps tam nefanda & eccleſiae ſanctae contraria publice audeat profiteri. Quid enim ſunt aliud tituli, quos ſibi aſſumit, niſi ſtultiſſimae ac veſanae mentis indicia, qui ſe fatuum non philoſophum oſtendit? Sic enim titulum ſibi convenientem formavit:* Magiſter Georgius Sabellicus, Fauſtus iunior, fons necromanticorum, aſtrologus, magus ſecundus, chiromanticus, agromanticus, pyromanticus, in hydra arte ſecundus. *Vide ſtultam hominis temeritatem, quanta feratur inſania, ut ſe fontem necromantiae profiteri praeſumat, qui vere omnium bonarum literarum ignarus fatuum ſe potius appellare debuiſſet, quam magiſtrum. Sed me non latet eius nequitia. Cum anno priore de Marchia Brandenburgenſi redirem, hunc ipſum hominem apud Geilenhuſen oppidum inveni, de quo mihi plura dicebantur in hoſpitio frivola, non ſine magna eius temeritate ab eo promiſſa. Qui mox, ut me adeſſe audivit, fugit de hoſpitio, & a nullo poterat perſuaderi, quod ſe meis praeſentaret aſpectibus. Titulum ſtultitiae ſuae, qualem dedit ad* Te, *quem memoravimus, per quendam civem ad me quoque deſtinavit. Referebant mihi quidam in oppido ſacerdotes, quod in multorum praeſentia dixerit*, tantam ſe omnis ſapientiae conſecutum ſcientiam atque memoriam, ut, ſi volumina Platonis & Ariſtotelis omnia cum tota eorum philoſophia in toto perisſent ab hominum memoria, ipſe ſuo ingenio, velut Ezras alter Hebraeus, reſtituere univerſa cum praeſtantiore valeret elegantia. *Poſtea, me Neometi exiſtente, Herbipolim venit, eademque vanitate actus in plurimorum fertur dixiſſe praeſentia*, quod CHRISTI Salvatoris miracula non ſint miranda,

 ſe

se quoque omnia facere posse, quae CHRISTUS fecit, quoties & quandocunque velit. *In ultima quoque huius anni quadragesima venit Stauronesum* (Crucenacum), *& simili stultitia gloriosus de se pollicebatur ingentia, dicens*, se in Alchimia omnium, qui fuerint unquam, esse perfectissimum, & scire atque posse, quicquid homines optaverint. *Vacabat interea munus docendi scholasticum in oppido memorato, ad quod* Francisci ab Sickingen *Balivi Principis tui, hominis mysticarum rerum percupidi, promotione fuit assumptus, qui mox nefandissimo formationis genere cum pueris videlicet voluptari coepit; quo statim deducto in lucem, fuga poenam declinavit paratam. Haec sunt, quae mihi certissimo constant testimonio de homine illo, quem tanto venturum esse desiderio praestolaris. Cum venerit ad te, non philosophum, sed hominem fatuum & nimia temeritate agitatum invenies* g). Sic quoque in corollario cuiusdam disputationis h) adfirmatur, hunc *Faustum* aliquamdiu *Crucenacensem* in Palatinatu fuisse Rectorem.

Quapropter de vita *Fausti* non est, quod amplius dubitetur, accedentibus, quae supra & nunc spectavimus, indubiis scriptorum testimoniis. Restat autem, ut aetatem, qua innotescere coepit, annumque vitae, quantum quidem poterit, designemus. *Wierus* sane, quippe quem, ut comperta narrantem, audire fas est, paucos annos ante quadragesimum seculi XVI. decernit i): & sic quidem subscribi iubet *Delrioni* k), qui *Agrippam* atque *Faustum* συγχρόνους vocat. Anno

quippe

g) *Trithemius* in epp. fam. operibus hist. subiunctis, lib. II. p. 559. seq; atque ex eo *Zeilerus* topogr. Palat. p. 23.

h) Cui tit: *Supplementa historiae litterariae Goettingensis; quam sub praesidio cel. Chr. Aug. Heumanni* ibid. an. 1755, defendit *Henric. Philippus Stollbergius*, Goettingensis.

i) L. cit. p. 141.

k) In disq. mag. l. d.

quippe tricesimo nono seculi decimi sexti, & quod excedit, *Agrippae* nomen orbi terrarum maxime innotuisse constat. Sed vero *Faustum* iam diu antea, nimirum an. MDVII. fuisse notissimum, modo vidimus l).

Ex alio autem scriptore m) colligitur, *Faustum* circa annum MDXXXIX. adeoque eodem praesertim fuisse infamem tempore, quo Pontificis iniuriam ulturus, Italiam perdomuit Caesar; inquit enim: *Vane gloriabatur de se, omnes victorias, quas habuerunt Caesariani exercitus in Italia, esse partas per ipsum* sua magia. Id quod potius in an. MDXXVII n) recurrit; adeoque perspicue incidit in tempus regiminis IOANNIS, Electoris Saxoniae; utpote qui, mandato quodam promulgato, huncce erronem finibus Saxoniae prohibuisse dicitur o). Neque parum lucis huic rei adfert aetas *Vagantium Scholasticorum*, quos eodem tempore feliciter evanuisse, iam ab aliis luculenter ostensum est p). Sic igitur *Faustus*, quamvis natales eius certo annorum numero vix adstringi nequeant, ex indiciis autem quantum colligi potest, circa initium seculi XVI. vagari coepit, eiusque temporis non exiguum spatium, quo praestigias exercuit, attigisse videtur. Inde concludi forsitan poterit, eum circa annum seculi XV. septuagesimum octavum fuisse natum.

Adeoque vitam satis obscuram transegit praestigiator, futurus longe obscurior, nisi in scenam theatrumque tragicum toties fuisset productus q).

Mm 3 De-

l) *Trithemius* in ep. cit.

m) Nimirum *Manlio* in collect. p. 39.

n) Iudice *Thuano* lib. I. p. 10.

o) Vid. *Hondorffius* l. c.

p) V. g. a *Thomasio* in adleg. disp. p. 112.

q) Sic clar. ille pictor *Frid. Müllerus*, Crucenacensis, haud ita pridem scripsit: *Dramatische Geschichte vom D. Faust.*, Mannh. in 8.

Denique infelicem praeſtigiatoris obitum quod ſpectat, de illo veri haud diſſimilia pronuntiantur alibi r). Ipſa igitur *Knitlinga*, quam natale *Fauſti* oppidum ſupra diximus, hunc magum, eliſa, prouti referunt, cervice vidit exſtinctum s).

Verum autem iſta, quaecumque ſint, nemini paulo cordatiori profecto imponere poſſunt; niſi hoc ſaltem in Phyſicorum palaeſtra litem moverit, an videlicet vi cuiusdam Daemonis atque ſaevitia trucidari homo, diriſſimisque modis perimi queat t)? Sed vero, ut ne ultra ſepta, quod aiunt, transiliamus, pedem hic ſiſtimus, cetera relicturi iis, qui penitiorem eius rei notitiam ſibi pollicentur. Haec igitur de infauſto *Fauſto* ſufficiant! Nam homuncio, in foediori nebula verſatus, prorſum non merebatur, ut clarior hic eluceret u).

Prae-

r) Apud *Conr. Dictericum* l. d. p. 327; qui ideo vel maioris aeſtimandus eſt fidei, quod ipſe, ex Suevica oriundus terra, non potuit patriae ſuae res geſtas non calluiſſe.

s) Id quod *Manlius* Suevus idem & conterraneus teſtatur; nec diſcedunt hinc *Wierus* l. c. & *Camerarius*, qui mortem eius deſcripturi, quando ad pagum Ducatus Würtembergenſis provocant, non niſi *Knitlingam* ſive pagum ſive oppidum innuiſſe iudicantur.

t) Conf. *Neumannus* in cit. diſp. cap. III. §. 7. 8 & 11. Legi hac de re meretur cel. *Frid. Hoffmanni*, Conſiliarii, Archiatri & Prof. regii, de Diaboli potentia in corpora diſſ. phyſ. med. curioſa, emendatior edita. Halae Magdeb. 1729. 4.

u) De hoc *Fauſto* exſtat tract. *Heumanni* in D. *Eberh. Dav. Hauberi* biblioth. magica, parte XVII; ubi ille inter alia merito cenſet, praenomen *Fauſti* non *Ioannis*, ſed *Georgii* fuiſſe. Vid. *Ern. Chriſti. Hauberi* ſymbola &c. P. XIII. *Fauſti* imaginem in aere inciſam reddidit

Rem-

Praeterea de ſcriptis *Fauſti* nonnihil addamus. Sic ei vulgo tribuitur ſcriptum ita dictum: *Der Geiſterzwang*, Paſſaviae in 8. typis vulgatum v). Ipſius *Geiſter*- vel *Hoellen-zwang* tamen Manuſcriptum praeſto eſſe, vel ſaltim exiguum ſcriptum ab iis, qui illum librum poſſident, pro eo haberi habitumque eſſe, de ipſo eo minus dubitandum eſt. Obvius etiam liber manu ſcriptus ſub hocce titulo: *Iohannis Fauſti Haupt- und Kunſtbuch, das iſt, Cabaliſten und Weiſen praxis in geheim ſeinem Diener Criſtoph Wagnern hinterlaſſen* w). Sunt non pauci x), qui exiſtimant, totam de *Fauſto* prae-

Rembrantius. vid. neue Bibl. der ſchoenen Wiſſenſch. und freien Künſten B. XII. St. I. p. 44. Ipſam autem ipſius effigiem, mera callida, aſtuta & verſuta ſpirantem, vidi praefixam Parti V. Bibliothecae, actorum & ſcriptorum magicorum, an. 1739. 8.

v) Quod commemorat *Tenzelius* in bibliotheca de an. 1704. p. 764; utrum autem hoc ſcriptum praeſto exſtet, dubitat *Frid. Petrus Tacke* in tr. von den Sünden der Menſchen nach dem Tode, in praefat. ſecundae editionis. Vid. *Vogtius* in catal. hiſt. crit. libror. rar. p. 252. De *Fauſti* ſcripto *Hoellenzwang* nonnulla habet *Io. Andr. Rinnebergius* in exercit. theol. (ſub praeſidio *Mich. Foertſchii* habita Ienae d. IV. Iul. 1716. 4.) de pactis hominum cum diabolo, §. XIII. p. 29. ſeqq. §. XIV. p. 33.

w) Legatur catalogus librorum Lipſiae 1756. in 8. editus, p. 358. inter libros Mſs; quod iam obſervavit *Dunckelius* l. d. vol. III. in adpend. ad vol. II. P. IV. p. 1035.

x) V. gr. celeb. *Ioan. Conr. Dürrius*, Profeſſor quondam Altorfinus. Nam huius epiſtola de *Io. Fauſto*, ad *Georg. Sigism. Führerum* an. 1676. ſcripta, occurrit in cl. *Schelhornii* amoenitatibus litter. Tom. V. p. 50. ſeqq; qui totam hancce narrationem a monachis fictam, atque ex aliis hiſtoriis magicis tantummodo compilatam putat fabulam, ſimulque cenſet, eosdem monachos ea narratione voluiſſe ſenem iſtum & anti-

praeſtigiatore narrationem mere fictam; atque ex hiſtoria *Ioannis Fauſti*, Typographi, repetendam eſſe Verum enim vero quaeſtionem hancce longe alio modo eſſe discutiendam, diligens rerum discuſſor, ut cum *Macrobio* loquar, ex iis, quae ſupra monuimus, facillimo iudicabit negotio.

§. XLVI.

Iam ſecunda ſequitur claſſis eruditorum, & quidem recentiorum; utpote quorum numero ſequentes, ſive Dii maiorum, ſive minorum gentium, quos adpellitant, adſcribi poterunt:

1) *Ioannes Gauch*, Sobernhemienſis; qui ideo hic loci commemorandus eſt, quoniam primus cum aliis undeviginti a FRIDERICO II, Electore Palatino, Heidelbergenſibus Philoſophiae Profeſſoribus in collegio Sapientiae fuit commendatus, & quidem hisce verbis: *Omnes hos viginti a vobis prius examinatos, ut fideliter inſtruatis, ad diligentiam & induſtriam in ſtudiis ſerio cohortemini, mandamus: quemadmodum ex fundatione & legibus cognoſcitis. Cui voluntati noſtrae procul dubio ſatisfacietis. Quod nobis pergratum erit. Valete. Script. ex arce nova* 11. *Novembris Anno* 1555. y).

2.) Er-

---

antiquum typographum *Ioan. Fauſtum* nigro depingere colore. Conf. Leipzig. neue gelehrte Zeitung de an. 1756. num 56. apud cit. *Dunckelium* in den crit. hiſt. Nachr. &c. Vol. II. P. IV. num. 1836. p. 636 — 638. Huic calculum ſuum addit ven. *Io. Conr. Zeltnerus*, olim V. D. M. in Altenhann prope Altorfum; qui relinquebat ms. ſchediasma de *Fauſto* praeſtigiatore, ex *Io. Fauſto*, typographo, a quibusdam ficto. Vid. celeb. *Willius* in Lex. eruditor. Norimberg. T. IV. p. 344.

y) Conf. epiſtola Frid. II. El. Pal. ad Decanum & Seniores facultatis philoſophicae, qua praeſentat primos alumnos collegii Sapientiae.

Haec

2.) *Erhardus Neuphardus* z), Medicus Crucenacensis, simulque aliquamdiu Bipontinus Archiater, cuius tres filios bonis disciplinis artibusque liberalibus in ill. collegio Hornbacensi operam dedisse, ex eius Albo dilucescit, nempe *Ioannem Garsilium*, *Conradum & Ioannem Ehrhardum*. Horum autem frater natu minimus sine ullo dubio *Ioannes Vlricus*, circa annum 1570. natus, Consiliarius postea & Pro-Cancellarius Bipontinus a). Vitam *Ioan. Vlricus* produxit ad annum usque 1655; quo illatus est sepulcro d. XIV. Febr. anno aetatis quinto & octogesimo. Hic ex *Catharina*, *Danielis Obernheimeri*, Camerae Consiliarii, filia, coniuge lectissima, quam d. II. Iunii an. 1634. amisit, praeter aliquot filias, susceperat, quantum novimus, tres filios, videlicet *Ioannem Danielem*, *Wolfgangum Nicolaum & Ioannem Vlricum*; ex quibus *Wolfg. Nicolaum* Correctorem sive Quaestorem, quem vulgo Landscribam adpellitant, dioecesis Crucenacensis Baden-

Haec epistola adfixa fundationis dicti collegii prooemio, quod ex Germanico in Latinum versum est, & quidem in *Quirini Reuteri*, S. S. Theol. Prof. & pro tempore Rectoris academiae Heidelb. & collegii Sapientiae Inspectoris, Iubileo primo laudati collegii, celebrato, Sereniss. Electore Palat. FRIDERICO IV, illustriss. Ducibus Bipontinis, generosis ac magnificis Comitibus, nobiliss. ampliss. & summis aliis viris praesentibus, in academica panegyri. Haec oratio typis publicata an. cIↃIↃcvI. in 4.

z) Ad huiusce nominis memoriam me adduxit ven. *I. H. Zwipffius*, Ecclesiastes Hefshem. sedulus rerum Palatinarum, speciatim ad historiam litterariam spectantium, indagator.

a) Vid. celeb. *G. C. Ioannis* in schediasm. de eruditis per quinquaginta annos Bipont. celebr. p. 21. seq. num. V.

denſem fuiſſe, atque d. XXII. Decemb. an. 1655, obiiſſe, cognovimus b).

3.) Iurisconſultum excipit Theologus *Ioannes Stibelius*, Lutra-Caeſarea Palatinus. Hic eam ob rationem praeſertim memoratu digniſſimus eſt, quod fuerit *Davidis Parei*, apprime inſignis quondam Theologi Palatini, fideliſſimus adfinis, adeoque *Io. Philippi Parei* c) avunculus. Primum Paſtor fuit eccleſiae Heppenhemienſis ad Stratam montanam. Poſtea Sereniſſimi Ducis IOANNIS CASIMIRI Palatini caſtrenſem in notiſſimo illo Colonienſi bello Concionatorem, atque Eccleſiaſten aulicum, nec non Conſiliarium eiusdem Principis egit Heidelbergae; tandem nuncupatur Antiſtes eccleſiae Crucenacenſis ad Navam; ubi quoque die VIII. Martii an. 1595. debita naturae ſolvit. Errat itaque hiſtoricus, alioquin celeberrimus d), *Proteſtantes*, inquiens, *inſtigante Adolpho Nuenario ad Mecterenſem vicum Nonis Quintilibus conveniunt, Zacharia Vrſino Sileſio in id a Iohanne Caſimiro ſubmiſſo.* Hoc omnino σφάλμα eſt προσωπογραφικόν. Non is enim fuit *Vrſinus*, qui numquam in Palatinatu Concionatoris munere functus eſt, ſed laudatus *Io. Stibelius*, vir non minus iuris civilis, quam S. Theologiae ſcientiſſimus, quem illuſtriſſ. Princeps IOANNES CASIMIRVS tunc in caſtris ſecum habuit a ſacris concionibus. In eiusdem obitum doctiſſimus, elegantiſſimus ac limpidiſſimae venae poëta *Ioannes Adami*, Rugenwaldenſis Pomeranus, hanc odam ad *Davidem Pareum* modulatus eſt: quam gratae memoriae gratia hic repetere placet:

Eheu,

---

b) Conf. celeb. *G. C. Crollius* in comment. de Cancellariis &c. Bipont. p. 130. 133 & 134.

c) De quo infra num. 14.

d) Nimirum *Auguſtin. Thuanus* hiſt. lib. LXXVI. ad an. 1582.



Eheu, acerbis occidit, occidit,
PAREI, fatis, STIBELIVS, DEI
Fidus miniſter, ſive Nicri
Propter aquas populum doceret,

Antiſtes aulae, non minus optimo
Martis probatus tempore, Principi,
Quam pace, IANO CASIMIRO,
Suppetias Vbiis ferenti:

Seu Navus illum purius audiit
. . . .
Sacras pagellas partiente,
Nemine dexterius docente.

Atque ipſe plebem, nil dubiis vafer
Vſus cothurnis, nec popularibus
Abductis auris, inſtruebat.
Hei mihi, quos pius hoc dolores

Cadente caetus concipit, & graves
Horret procellas, ceu lacrymabili,
Nautae, Magiſtri contremiſcunt
Interitu, metuuntque fluctus,

Non absque cauſa: Scylla timebitur,
Nec non Charybdis, ſuaviter & nimis
Cantare Sirenes peritae.
Quo melior cadit, hoc ruinae

Communis inſtar maior acerbitas!
Laudes an eius ſub numerum vocem

Nulli



Nulli ſecundas? non diei
Vnius hoc opus eſt, nec anni.

Illas Nicrinus, quem penes intima
Eccleſiarum ſtat moderatio,
Novit Senatus, cuius olim
Portio magna fuit, libello

Dignas notari, poſterioribus
Quo dentur annis: conſtet ut optimi
Paſtoris exemplar, virique
Simplicis, & fidei tenacis.

Quod ſi valerent quid mea carmina,
Eius virorum docta celebrium
Me vate, nomen pervolaret
Ora, nihil metuens ſepulcri.

Hoc, eius in me, pluraque, debeo,
Si ſit facultas, officiis, quibus
Me proſperavit, coniugemque,
Filiolumque, meumque fratrem.

PAREE, vere dixero, vix tibi
Ceſſit merendo, qui ſtudiis tamen
Me plurimis vel mancipaſti.
Pectore quae memori recondam,

Et gratus illi, qua licet, & tibi.
Sic ergo vitae dulce decus meae,
Iniurioſa vi Dearum,
Parcere quae didicere nullis,

Amiſi:

Amiſi: eundem perdidit unicum
Charumque fratrem MAGDALIS unica
Soror: redundat verus in te
Hinc dolor, illius ob dolorem,

Affine rapto non reparabili.
Quid lacrymamur? Non quit in aethera
Metro reduci luctuoſo,
Non gemitu aſſidue novato.

Quin ipſe fleri ſe novus aetheris
Felicis hoſpes non probat, angelis
Immixtus, & iuxta beatae
Tempora pacis agens, remotus

Mundi procellis. Hanc ego gratulor
Illi ſalutem: namque faventibus
Vſum quis illum Diis negarit.
Tempore cui datur hoc obire,

Nobis timendis absque doloribus,
Queis orbis hoc iactamur in Adria.
Dum fata finem largiantur,
Hunc ſibi quis renuat precari e)?

Huius *Stibelii* ſororem *Magdalenam Stibeliam*, Lutrenſem, virginem honeſtiſſimam & piam, vitae ſociam duxit *David Pareus.* Conſilium hocce nuptiarum alteri ſuo parenti D. *Zachariae Vrſino*, caelibem adhuc vitam agenti, lubens me-

e) Vid. narratio hiſt. de vita & obitu D. *Davidis Parei*, conſcripta a *Philippo Pareo*, Dav. fil. praefixa opp. theol. exeg. Tom. I. ed. II. Genev. an. 1642. fol.

merito aperit *Pareus*, atque hoc ab ipso responsum refert, quod memoriae & honoris caussa producam: *Salutem. Precor Deum, ut tibi & ecclesiae suae hunc annum velit esse felicem, & salutarem: tibi autem fortunet coniugium. Valde probo, ac laudo consilium tuum. Est enim tua aetas & conditio, quae non tantum fert, sed etiam requirit vitam coniugalem. Ego qui hactenus maximis causis impeditus sum, & haud scio, annon & nunc impediar, experior, quam sit grave, non habere ullum fidum hominem, qui serio & constanter curare & iuvare velit sanum & aegrum, & in bonorum ac malorum, & in precum societatem descendere: etiamsi omnem tuam mendicitatem effundas in alios, qui etiam deaurati & deargentati aut non faciunt, aut non diu faciunt officium. Praesertim nunc istud sentio, dum ingravescit aetas, decrescit valetudo, & illa quasi hyems vitae accedit. Caeterum cum amicis venire non possum. Versor enim in morborum meorum curatione saepe iteranda, prolixa & taediosa, quae non patitur me hoc tempore ex manibus Medicorum fugere: non enim sine incommodo possem eam interrumpere. Quapropter tibi satis erit, me animo & piis votis esse vobiscum.* DEVS *cumulet vos benedictione spirituali & corporali. Amen.* 2. Ian. 1574. Celebratae vero sunt nuptiae an. 1574. d. 5. Ian. Hembsbaci in strata montana; ubi antehac nullus ecclesiae minister sponsus fuit vel maritus f).

4.) Amico fautorique comitem adiungimus *Ioannem Adami*, Rugenwalda-Pomeranum, generum *Lamberti Helmii Pithopoei* g); cuius filiam *Saram* d. XVI. Febr. anno 1591. Heidelbergae duxit uxorem. Hic aliquamdiu *Crucenaci* docuit, prouti ex sequentibus patet:

Nuper

---

f) Quae leguntur ibidem.

g) De quo fusius egimus in comment. hist. de erud. Palat. Belg. Sect. I. §. IX. p. 14. seq.

Nuper *Iohanni* despondi hanc (Saram) laetus *Adamo*,
Cui patrium tellus est Pomerana solum:
Cultori Aonidum, & verae pietatis amanti,
Parvus ubi tardo flumine Navus aquas
Reni intrat rapidas, pulcrae ubi moenia Bingae,
Vrbsque sacra clarum de cruce nomen habet h).

Deinde noster Heidelbergam transiit, ibique primum aliquamdiu in Gymnasio, ni fallor, docuit. Edidit autem *Adami* Horatianarum parodiarum librum primum, illustres rerum, maxime novarum, historias complectentem, Heidelbergae, typis Gotthardi Voegelini, 1611. in 12; qui libellus 45 paginas complectitur. Secundus harum parodiarum liber ibidem apud eumdem prodiit an. 1612. in 12, constans pariter 45 paginis. Insuper edidit odarum librum primum, amicorum memoriae destinatum, Heidelbergae, typis laudati *Voegelini*, quadraginta quinque pagellas continentem, an. 1615; libellum, cui titulus: *Io. Adami Nicer* ibid. an. 1593. in 12. Hic *Nicer* hisce verbis p. 48. finitur:

Haec ego brumali digressus *Adamus* ab Arcto,
Wipper ubi tumido se miscet & *Istula* ponto,
Wipper, qui puerum me fovit, & *Istula* me ephebum,
Cantabam, FRIDERICE, tibi, proiectus in umbra
Ad celebres *Nicri* ripas, arcem suspectat, & alluit urbem i),
Vrbem Pieridum, sedem sed Principis arcem.

Susci-

h) Conf. ipsius *Pithopoei* elegiacum, quod ultimum est in amicorum carminibus, in nuptias *Io. Adami* &c. editis, Heidelb. 1591. in 4.

i) Hic versus obscurus & hypermeter procul omni dubio ex duobus in unum coaluit.

Suſcipe primitias, iuvenemque tuere poëtam,
Conatumque proba. Quod ſi ſub pondere vires
Defecere, tamen magno excuſabimur auſo.

Propter libri huius, a pauciſſimis viſi, raritatem, permulti novam eiusdem editionem exoptant. Tandem an. 1616. publici iuris fecit ideam concion. *Abrah. Sculteti* & *Barthol. Pitiſci* in Pſalmos Davidis. Habemus quoque ad D. *Quir. Reuterum*, S. S. Theol. Prof. Domusque Sapientiae Inſpectorem, & adfinem ſuum, M. *Ioan. Adami* melos, quo ei de magnifico Academiae Heidelb. Rectoratu, ſub finem anni 1606. collato, gratulatur hoc modo:

Laborioſi ſceptra negotii,
Et dirigendae ius Academiae,
Suffragio deliberantum
Vnanimi ſocium capeſſis

REVTERE, quamquam te Sapientiae
Sat occupatum cura domus habet;
Poſcitque mentem publicarum
Praemeditatio lectionum

Curis vacantem. Sed tamen ordinem
Probum ſequendum eſt, non variabili
Qui lege maiorum, viciſſim
Nunc tibi, nunc aliis reſignat

Faſces; honoris nomine debitos
Magnum ſonantis Mercurialium
Turbae virorum, quae decoro
Ingenua ratione vitat

Prae-



Praeferre lucrum: Numinis interim
Contenta ductu, imponere nescii
Cui non statumen largiatur
Sufficiens oneri ferendo.

Gaudet iuventus promtius ad tuum
Parere nutum, vidit ut inclyti
In se favorem FRIDERICI
Principis, indicio benigno

Recens probatum, de Sophiae domo
Attentiores cum tibi publice
Praeberet aures differenti,
Materia merito placente,

Origo quae sit, quis fuerit prius,
Quis nunc sit usus rectior, ex ea
Quot clariores orthodoxae
Prodierint fidei ministri.

Istis celebres elogiis amat
Illectus aedes visere, Principum
Stipatus ingressu: refectus
In solito genium paratu

Conviva quantus! Non sine GRYNIO
Musis amico: teque, BREDENRODI,
Qui Belgicorum, quos superbo
Maurus agitque premitque bello,

Legatus audis integer Ordinum:
Cum ceteris, qui sunt Academiae



Selecti Atlantes. Qualis olim
Imperii graviore cura

Mentem levatus, delicium sui
Augustus aevi, discubuit, bono
Non absque Mecaenate, Vatum
In medio celeberrimorum;

Fautor vigentum maximus artium:
Fama beandus, donec Horatii
Versabit odas, & Maronem
Posteritas studiosa discet.

Confide certae Principiis spei,
QVIRINE, plenis; nec tibi prosperum
IOVAE invocato polliceri
Auxilio vereare cursum

Finemque laetum: quem bona provehant
Linguis amicûm vota faventium:
Fortuna quidquid moliatur
Ambiguo variata motu

Securus. Isto namque modo bene
Pectus paratum vis iuvat ingenI
Felicis, & curae sagaces
Expediunt per acuta rerum k).

5.) *Io-*

---

k) Paucula de nostro habet cel. *Joecherus* im allgem. Gel. Lex. P. I. p. 83. ex *Koenigii* biblioth. vet. & nova. Scripsit quoque odam in obitum *Dav. Parei*, subiunctam vitae ipsius modo citatae.

5.) *Ioannes Ludolfus Adami*, Crucenacensis, forsitan prioris, si non filius, certe consanguineus, curavit, ut *Ioannis Adami* Nicer, qui primum an. 1593. prouti modo vidimus, fuit evulgatus, de novo sub incudem revocetur, eamque iteratam editionem Electorali Principi heredi FRIDERICO V. in carmine Latino dedicavit sacramque fecit l). Plura de eo iam in promtu non habeo.

6.) *Wigandus* (al. *Winandus*) *Spanhemius*, qui natales *Crucenaco* nostro debet m). Hic primum fuit Rector scholae S. Galli in Helvetia n). Deinde creatus fuit Rector Gymnasii Ambergensis in Palatinatu superiori, postea S. Theologiae Doctor, nec non Ambergae a consiliis FRIDERICI V. Electoris Palatini Regisque Bohemici. Praeter alia scripta contexuit Analysin orationis Ciceronianae pro *Deiotaro*; varia poëmata; Teutonice exaratum speculum anni 1588; de effectibus eclipsium; potissimum autem orationem de FRIDERICO IV. Principe Palatino & Domo Palatina, Ambergae d. V. Martii an. 1595. praesentibus illustris Regiminis Ambergensis Proceribus, atque Electoralibus Consiliariis in Ducatu Bavarico dignissimis, habitam, ibidemque eodem anno typis expressam o). Haec oratio ut iterum excuderetur, quam maxime optandum est. Quemadmodum *Wigandus* no-

l) Prouti observavit ven. & celeb. D. *Büttinghausen* in den Beytr. zur Pfaelz. Gesch. Vol. II. P. III. p. 240.

m) Vid. *Godofr. Ludovici* hist. Gymn. celebr. P. V. & quidem in adpend. scholar. deperditarum, p. 278.

n) Sic refert *Io. Iac. Hottingerus* in der Helvet. Kirchengeschichte sub art. St. Gallen. P. III. p. 946. (an. 1708. 4.)

o) Integrum huius orationis titulum dedimus in comment. hist. de erud. Palat. & Belg. Sect. II. §. XIII. p. 27.



noster numquam fuit Professor Heidelbergensis p), sic ipsi in Ambergensi Rectoratu successit *Christianus Becmannus*, Borna Misnicus q). Idem *Wigandus* pater fuit *Friderici*, senioris r), avus autem *Friderici* iunioris, *Ezechielis* s) & *Danielis*, meritissimi quondam Academiae Heidelbergensis Bibliothecarii t). Ceterum hic loci sequentia subiungimus. Exstat u) epistola *Wig. Spanhemii* ad *Chr. Becmannum*, quae propter argumentum suum omnino meretur, ut hic repetatur; est autem ea:

Nae rite ac scite ortus conditionisque suae incunabula ac munia, tametsi in tertiis postremisque sita videantur, haut adspernanda tamen, spectant ii, queis post sanioris in S. Theologia sobriaque philosophia rationis cultum, haec etiam quasi duumvirae reginae illi necessario atque indissolubili amicae coniurationis nexu famulans orationis puritas curae ac cordi est. In tenui namque aut saltim non ita difficili labor ille; at eloquii & salis, ut ait ille, non ita tenuis utilitatis fructus, non modica gloriae adorea, quae & linguam casto sermonis nitore imbuit. & orthodoxae pietatis non mediocriter provehendo curriculo haut exiguam navat operam, ex illius doctissimi viri (Bonaventuram Vulcanium *intell go*) *scitissimo effato:*

Si

p) Vti legimus in serie Profess. Heidelberg. Merito huius *Wigandi* meminit Vir illustris. *P. W. L. Flad*, in tentam. primis de statu litter. & eruditis in Palatinatu Electorali, p. 25.

q) Conf. *Ludovici* l. d. pag. 278.

r) Cit. comment. de erud. P. & B. l. c. p. 28. seqq; ubi addatur cel. *Io. Ge. Walchius* in hist. crit. linguae lat. p. 163. ed. Lipf. an. 1729.

s) In cit. comment. sect. IV, p. 11. seqq. & §. V. p. 23. seqq. De *Ez. Spanhemii* Iuliano legatur idem *Walchius* l. d. p. 468.

t) In dicta comm. sect. II. p. 28. not. a.

u) Nimirum in *C. Becmanni* schediasm. philol. & apologia pro eodem p. 207 — 212, cum aliis scriptis ed. Hanoviae 1619. 8.

Ωἶ Θεὸς ἐυεπίῃ γλῶσσην κοσμήσας, ἔδωκεν
Ξὺν μεγάλῃ μεγάλην ἐυσεβ' — σοφίην.

Cuius equidem ſenſum ſubito hoc Latinitatis hoſtimento repenſum eo, tametſi impari:

Cui Deus eloquii linguam comſit bene, magnam
Huic Sophien magna cum pietate dedit.

Quorum in virorum cenſu TE *quoque*, BECMANNE *doctiſſime, iure merito collocant & tuae illae Latinitatis origines* ἔτυμοι *& introductiones in eampſe & philologica induſtria tua, qua* Ζητήματα *pronuper de trium vocum harum* (accipiter, ſorbeo, ſpondeo) *affectionibus, flexu, uſu, quantitatisque menſura in dubia doctorum alea conſtitutis, qualemcunque iudicii mei cenſuram requirebas. Ego vero qui tabernaculum vitae in tranquillitate Biblica collocavi, cui cum ſerioribus negotium, & parum hanc ad rem otii, tametſi id quod petis iuſta de cauſſa inſuper habere potuiſſem, quippe meae paupertinae ſupellectilis probe conſcius, & in hisce parum verſatus literis, cum item non deſint harum capaciores & ſagaciores me intervallo ſane longiſſimo: quia tamen tuis petitionibus locum dare nonnullum me debere exiſtimavi; malui* τὴν ἀγνωμοσύνην *prodere meam, quam amici officium defugere, fidemque induſtrio homini datam fallere.*

De Genit. Accipitris *nulla lis, nullum dubium. Solens enim probatumque ſatis. Verum* τὸ Accipiteris *ut analogicum, ſuo ſenſu; ita rarum. Autor Priſcianus haut ſpernendus lib. VI. illuſtrat Genitivis* Marspiteris, Iupiteris. *Et quaeris, annon videatur vox haec quinqueſyllaba,* (Accipiteris) *favere non analogiae ſolum; ſed etiam uſui alicui, eo, quod breves illius vocis ſyllabae quatuor perniciſſimum huius avis volatum non obſcure exprimant. Non abnuo equidem ſic eſſe,* SI *κατὰ πάντα ſyllabarum & brevitas & pronuntiatio celeris ſpectetur. At*



proportio Priſcianea illa per omnia non videatur quadrare. Quod enim Iupiteris *&* Marspiteris *dici poſſit; in promtu originis* παρὰ τοῦ πατέρος *monſtrata ratio eſt, quae res parem locum in* τῷ accipiteris *non, credo, habuerit; niſi quis itidem hanc vocem ab eodem illo fonte deduxerit; quaſi* accipiter *prae caeteris avibus omnibus accipiendi quaſi & rapiendi ad ſe curvis unguibus & adunco roſtro eviſcerandi minores aves pater & princeps ſit. Veruntamen ut quadriſyllabi ſecundi illius caſus in ſoluto ſermone uſus eſt perfrequens: ita huius quinqueſyllabi uſus eſſe aliquis ſolet in numeris adſtricto; hoc forſan praepropere a me interſcribendum effuſo Ariſtophanico & anapaeſtico acatalecto metro:*

Accipiteris ut eſt volucris
Vis rapida, furor & minimas
Heu rabidus in aves trepidas:
Sic avidus ad opes miſerum
Heu Phalaris animum gerit &
Accipiteris avis rabiem.

Secundo loco in disceptationem venit apud philologos, id quod & tute agitas: an etiam τὸ ſorpſi, *una cum* τῷ ſorbui, *Latinum claſſicisque receptum autoribus probetur: quod ſit non nemo, qui reiculum illud arbitretur. Ego vero ſic ſentio; quod nec tu, nec ullus alius* νουνεχῶν *improbarit meo quidem animo, de facili rem omnem decidi poſſe, diverſa analogiae & uſus conſideratione, utramque vocem Latinae civitatis ius obtinere.*

Illa quidem duplex eſt ex duplici coniugationis flexu: Nam ut a Sorbeo *eſt* ſorbui*: ita a* Sorbo *antiquo tertii ordinis verbo eſt* ſorpſi. *Hinc factum, ut pro pervulgato Grammaticorum canone, verbum ſecundi ordinis hoc praeſens, formarit praeteritum ex tertio ordine. Sicut enim (quod vel lippis ac tonſoribus proculcatum)* Ui *diviſis hic literis, ſecundi:* Ita SI *eſt*

prae-

praeteriti tertii ordinis characteristica. At usus hic dexteriore videtur spectandus oculo. Quanquam enim fatear lubensque concedam, Sorpsi, *a Probo, Prisciano, caeterisque non dico sequioris, sed recentioris aevi scriptoribus non paucis iisdemque doctissimis, nec dicam Lexicographis eruditissimis, partim usurpatum, ut a Lucano in 4. ut & aliis participium a supino,* absorpta mors, *olim κατ' ἀναλογίαν praeteritorum tertiae coniugationis in* psi *recensitum fuisse: tamen sunt etiam, quibus video praeteritum secundi ordinis arrisisse magis. Sic probatissimus & antiquissimus αὐθέντης Tullius tribus in locis in Bruto, pro Murena, 2. invectiva in Antonium τα'* absorbuit, exsorbuit, exsorbueras, *adhibuit. Cui nunc succenturiatum Latinissimum Plinium Lib. 9. cap. 35. de Cleopatra, quae unionem maximum* absorbuit *liquefactum, subiungo. Atque his quoque adprobae Latinitatis autoribus calculum suum inter alios subiunxisse animadverto in castissima Latinitate versatissimum Franc. Iunium virum caetera etiam summum, in Latinissima S. Bibliorum interpretatione, Psalm.* XXXV. 25. absorbuimus; Ps. CXXIV. 3. absorbuissent. *Interim idem Iunius etiam admisit τὸ* absorpsi: *Iob.* XX. ℣. 15. *opes* absorpsit *& evomit illas. Nec non magnus ille Theologus iuxtaque Latinissimus Theod. Beza Apoc.* XII. 16. *Aperuit terra os suum &* absorpsit *flumen. Ex quibus satis omnibus apparet, quod τὸ* sorpsi, absorpsi, *etiam vere Latina, proba, & frequentata vox sit, quam nemo doctorum repudiare ausit.*

De tertio succinctius eo, quo facilioris, ut puto, considerationis. Si praeteritum in spondeo *contempleris, illud ut analogicam sui aemulationem aemulatur, ita vetustiores eiusce usum agnoscentes* spospondi *κατὰ διαπλασιασμὸν, ut &* totondi, momordi, pependi, *& similia a suis deducta fontibus, dictitabant. Autores Priscianus, Gellius, alii. Quid? quod hic ipse in Noct. Att.* L. 7. c. 9. *non modo* poposci, momordi, pupugi *&* cucurri *&* descendidi, *(pro quo nunc* descendi)

verum

verum etiam peposci, memordi, spespondi & cecurri, *idque Graecae rationis exemplo, a viris non indoctis, neque ignobilibus, dictatum fuisse memoriae prodidit. At postea antiquitatis doctoribus visum tum* (e) *mutare in* (o), *tum* (s) *in* spospondi *tollere e medio & euphoniae & facilioris pronuntiationis gratia. Quanquam antiquius illud* spospondi *bono iure tolerari posse existimem. Sed &* spondi *praeteritum κατ' ἀφαίρεσιν poëtis in usu esse, testis Ausonius Popma. Sed manum a tabula abstrahunt negotia, quae me urgent, & quae negligere religio sit. Bene vale & salve. Ambergae,* 1615. Id. *Novemb.*

Scripsit quoque carmen ad eumdem *Becmannum* v):

Vocibus euge suos *Becmane* sagaciter ortus
Adsere Romanis, adsere philologis.
Quidpe litasse suis Etymis scitissima res est;
Quidpe vocabla suis pleraque originibus
Deduxisse decente modo, ratione probante;
Vincit vel quodvis nectar & ambrosiam:
A stolidis ruditer derivavisse scatebris;
Vincit vel quodvis barbar & arcadiam.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Succinit Ausoniae gloria prima lyrae w).
Quod factum tibi rite tui docuere libelli,
In primis liber hic mactus *Originibus* x).

Ergo

v) Quod occurrit in C. *Becmanni* poëmatibus miscell. Hanov. 1619. 8. editis, p. 12.

w) *Horatius* in epist. ad Pisones de arte poëtica, Ⅴ. 343.

x) Scripsit namque *Becmannus* manuductionem ad Lat. linguam, nec non de originibus linguae latinae. Huius libri editio quinta multo auctior, melior & correctior prodiit Francof. & Lipf. 1672. 8.

Ergo quis heic te iunxe negaverit utile dulci,
Ac dulci meritae laudis honore frui?

7.) *Eustatius Husaeus*, fuit adhuc anno 1612. Monzingensis y) ecclesiae Pastor & vicinarum Inspector. Huius filius *Philippus Stephanus Husaeus*, tunc temporis collegii Sapientiae Heidelberg. studiosus, theses theolog. de induratione ac similibus actionibus DEI, ad publicam disputationem a D. *Quir. Reutero*, S. Theol. Prof. ord. & coll. sap. primario Praeceptore, propositas, ad d. XIX. Decemb. defendit. Heidelb. 1612. 4. z).

8.) *M. Balthasar Germanus*, Lipsiensis, aliquamdiu Crucenaci docuit. Hic in nuptias ornatissimi Iuvenis *Ioannis Adami*, Rugenwaldensis, Pomerani a), & honestissimae Virginis *Sarae Helmiae*, *Lamberti* filiae, *Pithopoeae*, Heidelbergensis, celebr. XVI. Febr. Heidelbergae, an. 1591. sequens condidit epigramma:

Nuper, Adame, tuos liquida qui voce solebas,
Et numeris ignes ludere disparibus,
Dic, age, dic, cur nunc, numeri cum voce, quiescunt,
Nec iuvat harmonicos fingere, ut ante, modos?
Ergone Pierias artes, & molle canendi
Surripuit studium virgo vel una tibi?
Foeminei o vires, o magna potentia sexus,
Vestra opera quid non perficit alma Venus?

Nunc

y) Huius oppiduli situm & amoenitatem poëtice delineavit Vir ampl. *Cas. Fuchs*, tit. curiae matrimonialis Palat. Consiliarius in den Rhein. Beitraeg. zur Gelehrsamk. an. 1781. fasc. 3. Num. VII. p. 270-273.

z) Quod iam observavi in *Mosbaco* Palat. §. XVIII. p. 23.

a) De quo supra in h. §. num. 4. p. 286. seqq.

Nunc elegos dictat, vocaliaque instruit ora,
　Nunc pedis & vocis comprimit omne melos.
Iane Dionaeum cautus moderare capistrum,
　Adque tuos cantus, suetaque metra redi.
Tuque puellarum mitissima, desine Sara,
　A numeris sponsum sponsa vocare suis.
Frustra ambo monitis nostris parere recusant,
　Et votum constans servat uterque suum.
Det DEVS, ut, quia mens vobis est una duobus,
　Perpetuo haec eadem, pectora vestra liget b).

9.) *Balthasar Hoffmannus*, natus est *Sobernhemii* d. VII. Martii an. MDLXIII. patre quidem *Henrico Hoffmanno*, Grünbergensi Hasso, verbi divini in ecclesia, quae ibidem CHRISTO colligebatur, ministro; matre vero *Anna Guthenia*, Heidelbergensi. Pater Sobernhemiensis ecclesiae Antistes, inter praecones CHRISTI in archiducatu Palatino, locum aetate sua sortitus est haud postremum. Avus autem maternus *Henricus Guthenius*, architectus Heidelbergensis, OTTONI HENRICO, Comiti Pal. Rh. Septemviro Imperii, carissimus fuit atque acceptissimus. Avia denique ex honoratissima *Lechleriorum* familia duxit originem.

Ac patris quidem sui praesidio pestis illa epidemica, an. 1564. per universam Germaniam vehementissime grassata, puellum nondum bimulum orbavit. Sed anno tamen subsequenti alium nactus fuit parentem, nempe *Fridericum Waltherum*, Trevirensem, ecclesiae ad D. *Iulianum* Pastorem; ut

b) Hoc epigramma scriptum est Cruceneci d. IX. Febr. dicti anni, & subnex[illegible] est carminibus amicorum *Pauli Melissi Schedii*, Comitis sacri Pal. & Eq. civis Romani; *Ioan. Posthii* M. D; *Simonis Stenii*; *Quir. Reuteri*, Mosbachensis, editis Heidelbergae 1591. 4.

utpote cuius cura domi prima litterarum & religionis elementa percepit, deinde an. 1577. ad Saletianum, eoque non diu post dissoluto, ad Heidelbergense Gymnasium fuit ablegatus. Inde, fundamentis philosophiae rationalis, & Latinae ac Graecae linguae probe utiliterque iactis, an. 1580. ad academiam Wittebergensem, tunc longe florentissimam, sese contulit: in qua cum iurisprudentiae studio se potissimum dedisset, praeter ceteros viros eruditissimos *Matthaeum Wesenbecium*, celeberrimum illum iuris antistitem, tam sedulo quam constanter audivit, ita ut fructus ex eius lectionibus retulerit uberrimos.

Triennio propemodum ibidem exacto, an. 1583. Marburgum Cattorum sese recepit, ne uno loco omnem conquisivisse eruditionis thesaurum videretur, cum interea optimum vitricum *Waltherum*, alterum vitae suae studiorumque subsidium, amisisset. Vt autem inchoatum iurisprudentiae studium ulterius pertexeret, Heidelbergam nostram, viris praestantissimis tum apprime efflorescentem, an. 1585. revertit. Propter ingenii autem, doctrinæ probitatisque laudem laudatissimo Principi IOANNI I. Duci Bipontino, de meliori commendatus, ab ipso honorifica vocatione Heidelberga accitus, atque in amplissimum collegium eorum, qui patriae consilia moderabantur, cooptatus est an. 1587. d. XXIV. Iunii, aetatis ipsius anno vicesimo quarto. Clementia Principis sui fretus, Biponti sedem cum figere decrevisset, vitae fortunaeque sociam sibi delegit honestissimam virginem, *Catharinam*, experientissimi *Ioan. Georgii Stahelii*, artis medicae Doctoris & Archiatri Bipontini, filiam, anno 1592; quacum in annum XXIV. coniunctissime vixit. Ceterum omnes muneris sui partes tanta fide, tanta prudentia tantaque dexteritate obiit, ut singularem cum Patris, tum Filii & Successoris, IOANNIS II, gratiam sibi conciliaret, atque, *Henrico Schwebelio* fatis functo, sine ullo honoris impedimento ad-

 scen-



ſcenderet altius, & tandem an. 1614. Cancellarii, h. e. ſecretorum cuſtodis atque arbitri, dignitatem conſequeretur. Ex prima coniuge *Catharina* decem ſuſcepit liberos; e quibus filius natu maximus, nimirum *Ioannes Balthaſar*, I. V. D. eidem Sereniſſimo Principi IOANNI II. ſedit a conſiliis. Noſter autem, qui vir fuit ingenio, doctrina, prudentia ac pietate commendatiſſimus, d. XI. Octob. an. 1623. placido deceſſu finem vivendi fecit c).

10.) *Theobaldus Meuſchius*, Crucenaci natus, litteris humanioribus aliisque ſtudiis propaedeuticis ſedulam navans operam, Electoralis alumnus fuit *Neohuſii* prope Wormatiam Vangionum, *Ambergae* in Palatinatu ſuperiore, nec non *Heidelbergae* in collegio ſapientiae. Poſtmodum per totos triginta quinque annos in Palatinatu noſtro variis praefuit eccleſiis, v. g. Sobernhemienſi; ubi ſequens evulgavit ſcriptum: *Theob. Meuſchii Pfarrherrn der — Stadt Sobernheim, trewhertzige Gegenwarnung von der Genugthuung Ieſu Chriſti für alle arme buſsfertige Sünder, ſo von Gott auſs Gnaden auß dem verdampten Welthauffen erwehlet.* Amberg 1592. 4. Hocce ſcriptum habitae Simmerae d. VIII. Dec. 1590. concioni dehortatoriae, quam vocant, *Alberti Photinopotami* (Germ. *Albrecht Hellbachs*) oppoſitum eſt, atque H. *Meſſerſchmidtio*, Principis Simmerenſis ab epiſtolis, eam ob rationem dedicatum, ut inſpicere quilibet eo melius queat, noſtram doctrinam minime tam pravam eſſe, quam *Hellbachius*, tunc aulicus ſacellanus, Principi ſuo, Duci REICHARDO aliisque pro-

c) Vid. *Io. Phil. Crollius* in cit. orat. de Beckelnh. p. 45. not. **; in primis autem eius filius celeb. *Georg. Chriſti. Crollius* in comment. de Cancellariis & Procancellariis Bipontinis p. 118—124, ex mſc. orat. *Iſaaci Crameri*, Rectoris quondam ill. ſcholae Hornbacenſis, qui coaevi ſui *Hoffmanni* memoriam coram Ephoris ſcholae an. 1624. d. VIII. Iunii conſecravit.

proposuerat d). Tandem noster fuit ecclesiae Alceianae Pastor & vicinarum Inspector nuncupatus. Verum autem ab ultimo isto munere, iniuste quidem, prouti ipsemet publice confessus est, remotus, ab Equite *Ioan. Frid. Riedeselio* de *Bellersheim*, Domino in *Altorff*, quem summis extulit laudibus, clementer recipitur, atque Pastor ecclesiae, quae Altorfii pascitur, rite designatur. Scripsit quoque & edidit systema chronologicum V. T. ab initio mundi ad desolationem templi secundi Hierosolymitani demonstratum; Spirae, an. 1612. 4; in quo systemate variae ad Danielis prophetae cap. IX. ỽ. 24. adnotationes occurrunt. In titulo eiusdem systematis sese adpellat *Ministrum ecclesiae, quae est Altorffii Equestrasinorum* (Rittesel) *in agro Nemetum.* In dedicatione, Serenissimo IOANNI, Comiti Palat. Rh. & Administratori, atque iuveni Principi Electori FRIDERICO, nominis sui *quinto*, consecrata, nonnulla de ipsius vita leguntur e).

11.) *Hermannus Doverinus:* Hic pariter vitale lumen Crucenaci primum adspexit. De eo autem nihil est, quod hic loci commemorem, nisi quod mihi duo libri sub sequentibus noti sint titulis, nimirum (1): *Trinum secretorum politicorum; Politische Geheimnisse, worinnen Fürsten, Herren und Obrigkeiten, dero Raethe und Officianten, sodann die Staedte und Obrigkeiten sich nützlich zu ersehen haben.* durch *Herm. Doverinum*, Crucenacensem, gedruckt in 8. zu Strasburg. 1622. (2) *Wohlgegründete Prophezeyung, genannt das Hahnen-Geschrey.* durch *Herm. Doverinum*, Crucenacensem, gedruckt im Iahr 1622. in 8.

d) Quae debemus Viro celeber. D. *Büttinghausen* in den Beitraeg. zur Pfaelz. Gesch. Vol. II. P. II. p. 146.

e) Vid. idem ibid. Vol. II. P. I. p. 25. Quod iam quoque animadvertimus in Alceia Palat. illustr. §. XX. p. 54. num. 6.

12.) Huic Crucenacensi rursum adiungimus alium Crucenaco-Palatinum, videlicet *Ioannem Conradum Monaeum.* Hic quidem in oppido dicto natus, sed educatus Marburgi fuit; ubi & studiis operam dedit, in Philologicis & Philosophicis audiens *Rudolphum Goclenium, Georgium Crucigerum, Ioannem Combachium*, aliosque viros eruditissimos, in iurisprudentia vero viros celeberrimos *Ioan. Goeddeum*, *Anton. Matthaeum*, *Christop. Deichmannum*, in primis autem *Hermannum Vulteium.* Interim, bello tricennali per totam Germaniam vehementissimum in modum grassante, Bremam Saxonum secessit, & postmodum cum L. B. Domino de *Kniphausen* iter litterarium in Helvetiam suscepit, ibique Genevae Allobrogum ab ore *Steinbergii* & *Godofredi*, filii *Dionysii*, avidissime pependit. Quum autem cum generosissimo suo discipulo Galliam, Italiam & Angliam peragravisset, tandem in Hassiam rediit, Rintelii Doctor & Professor Iuris nuncupatus. Munere suo variisque legationibus, v. g. ad Potentissimam Sueciae Reginam, & ad Serenissimum Hassiae Landgravium felicissime functus, an. 1645. Groningam ad iurisprudentiam, quam *Plato* merito *regiam* vocat *scientiam*, publice docendam evocatur, ibique defuncto *Nicolao Langio* sollemniter succenturiatur. Verum autem biennio post calculi dolores eum sic lecto adflixerunt, ut, paucis diebus praeterlapsis, morti succubuerit. In munere publico fungendo non modo fuit diligentissimus, sed privatim etiam domi semet in studio theologico exercuit, S. Biblia, thesaurum omnium librorum quam pretiosissimum, quotannis attento pioque animo perlegens.

Praeter alia scripta in dias luminis auras emisit explicationem Rubricarum ad digesta; tract. de legum interpretatione; tract. de iure publico f).

13.)

f) Vid. *H. L. Benthemius* im Hollaend. Kirchen- und Schulen-Staat P. II.

13) Ab iſto, quem aetate praeceſſit, probe diſtinguendus alius *Conradus Monaeus*; utpote qui ſcholae Neohuſianae Vangionum prope Wormatiam Moderator in fine ſeculi XVI. & ineunte ſeculo XVII. fuit, de quo Poëta g):

Tertius infauſtis turbatum litibus annum
Finierat Titan, cum nondum Rector adeſſet
Gymnaſii, interea clavum moderante *Monaeo.*
Magnum onus ille gerit, totum & requievit in illo,
Vndique quidquid erat molis, nec pondere tanto
Succumbit, rara demulcens arte iuventam,
Ingeniorum ſagax olli compendia tradens,
Queis ſubito Aonias poſſet conſcendere rupes,
Atque Palatinae Sophies ſuperare cacumen h).

Tandem d. X. Novemb. an. 1602. ex Gymnaſio Neohuſiano transiit ad ſpartam Rectoris Crucenacenſis condecorandam i); ubi quoque pie placideque naturae ſolvit debita k) an. 1608.

14.)

II. cap. IV. §. 35. p. m. 265. ſeq; *Balth. Gotth. Niedermeyer* in orat. de Batavorum caelo Germanis maxime propitio p. 17; Merckwürdigkeiten der Koenigl. Dresd. Bibioth. Vol. III. p. 528. num. 500; *Ioecherus* im allgem. Gelehrt. Lex P. III. p. 608; nos in Comment. hiſt. litt. de erud. Palat. Belg. Sect. II. §. XII. p. 26. ſeq.

g) Nempe *Rudolp. Wullenius* in elegantiſſimo de Neuhuſiano Vangionum & huiusdem ill. Gymnaſio Muſarum carmine heroico, quod prodiit an. 1605. 4; ubi in margine vocatur *Cunradus Monaeus*, Haſſus. Hi duo *Monaei* ſaepius inter ſe confundi ſolent. Dictus *Wullenius* fuit diſcipulus *Io. Phil. Parei.*

h) Quod. monuimus in cit. comm. hiſt. litt. p. 26.

i) Extract aus dem Pfarr- und Schul-Regiſter de an. 1585. ſeqq.

k) Aus dem Sterb-Regiſt. de dicto anno.



14.) Iam sequitur olim hodieque longe celeberrimus *Ioannes Philippus Pareus*, Poëta laureatus, artium liberalium Magister, Philosophiae & S. Theologiae Doctor, magni illius Theologi Palatini *Davidis Parei* l) haudquaquam degener, sed & doctrina & virtute simillimus Patri Filius, d. XXIV. Maii media tertia pomeridiana an. 1576. *Hemsbaci* haud procul a Wormatia natus; sed baptismi sacris initiatus d. XXVII. eiusdem mensis, susceptore & sponsore D. *Philippo Glinckero*, vicinae ecclesiae Laudenbacensis Pastore m). Opti-

l) Germanice dicebatur *Waengeler*, *Waengler*, Conf. *Gundlingius* in der hist. der Gelehr. Tom. III. cap. IV. sect. IV. §. 70. p. 3649. seqq. Nam constat, viros litteratos, quos superiora tulere secula, praesertim nostra in Germania, Germana sua cognomina vel in Graeca vel in Latina crebro commutavisse. Legatur *I. A. Bernhard* in der curieusen hist. der Gelehrten Lib. III. Sect. VII. cap. 12. p. 596. seqq. pronti observavimus in disq. litter. de *Francisco Fabricio*, Marcodurano, §. 3. p. 4. seq. Sic, quod hic addimus, primus ecclesiae D. Martini in oppido Curiensi Pastor reform. erat *Ioannes Dorfmann*, qui, nomine pro illius seculi more in Graecanicum converso, *Comander* dici voluit, uti commemorat ven. *Petr. Dominicus* de *Porta* in hist. reformat. ecclesiarum Raeticarum Tom. I. Lib. I. p. 67. (Curiae Raetorum 1772. in 4. mai.)

m) Huic defuncto d. XVII. Cal. Iunii an. 1577. *Dav. Pareus* concione funebri, quae in T. II. opp. theol. exstat, parentavit, ac tale posuit epitaphium, quod in templo Laudenbacensi ante belli tempora visebatur:

Praeclara, heu dolor, eruditione,
Et multa pietate vir celebris,
Praeclarus sed & eloquentioris
Linguae laudibus ac suavitate
Antistes bonus, atque purioris
Doctrinae intrepidus, sacrique cultus
Assertor: pariterque disciplinae
Custos impiger, indigûm patronus,
Exulum quoque portus hospitumque,
Virtutum decus integerrimarum,
Fatis praeproperis sub hoc PHILIPPVS
GLINCKERVS tumulo iacet peremptus.

Apud *Phil. Pareum* de vita patris l. d.

Optimam noster matrem habuit *Magdalenam Stibeliam*, Lutrensem, sororem vicini Pastoris Ecclesiae Heppenhemiensis, *Ioannis Stibelii* n). Scientiarum fundamentis in humanioribus aliisque propaedeuticis studiis Neohusii Vangionum, ubi FRIDERICVS III, Elector Palatinus, Paedagogium fundavit o), feliciter positis, florentissimam Musarum Heidelbergensium sedem praesentia sua salutavit, ad studia sua ulterius persequenda, urgenda, perpolienda. Vale Heidelbergensibus suis dicens, an 1599. Basileam concessit, ibique eodem anno d. IX. Calend. Martii liberalium artium Magister & philosophiae Doctor publice creatur. Hinc in testimonio, quo exornabatur p), haec legimus: *Praemia & βραβεῖα a multis iam saeculis constituta sunt iis, qui rectam ingressi viam, philosophica cognitione tantum progressi sunt, ut & alios docere, & ad bene beateque vivendum salubribus praeceptis, vivisque exemplis inducere possint. E quorum numero cum esset* Ioan. Philippus Pareus, *Palatinus*, Davidis Parei, *S. S. Theologiae Doctoris, ac pro tempore Magnifici Rectoris in illustri Academia Heidelbergensi, filius, honesto & legitimo thoro genitus, vita moribusque probatus, primaque ante aliquot septimanas, Logicarum artium laurea coronatus, & ad secundam adspirans, philosophico Basileensium Ordini, πειραστικῷ tentamine, & ὡρισμένῳ examine suum in hoc studio progressum satis*

n) De quo supra in h. §. num. 3. p. 282. seqq.

o) Conf. *Henr. Altingius* in hist. eccles. Palat. p. m. 194, & conatus noster hist litter. de Gymn. Heidelberg. §. 10. p. 12.

p) Hoc testimonium *Iac. Zvingeri*, Med. D. & linguae Gr. Prof. Basil. tunc temporis philosophici Ordinis Decani typis editum est (Hanoviae an. 1647. 4.) in *Phil. Parei* adorea II. p. 5. seqq. Conf. etiam Viri Rev. & Celeb. *Ioan. Werneri Herzogii* Athenae Rauricae p. 40. & 365. Basil. 1778. 8.



satis superque commonstrasset, dignissimus omnium omnino calculo iudicatus fuit, qui in supremum eiusce Facultatis gradum, quem Magisterium, *vel* Philosophicam Docturam *vocant, constitueretur. Anno proin* cIↄ. Iↄ. Ic. *die XV. Februarii, Rectoratus munio fungente Viro clarissimo* Casparo Bauhino, *Med. D. Decanatus vero* Iacobo Zvingero, *Med. D. conventu omnium Academiae Ordinum publice indicto, cum prius toti consessui elegantis Problematis accurata discussione propriam eruditionem comprobasset, fidemque suam praestito solemni iuramento Ordini Philosophico condixisset, exorata prius licentia a Reverendissimo Principe* Iacobo Christophoro, *Basileensi Episcopo, Academiae Cancellario, Promotore* M. Friderico Castalione, *in summam Cathedram conductus, ornamentis Philosopho condignis, pileo, annulo, libro, donatus, liberalium Artium, totiusque Philosophiae* MAGISTER, *sive* DOCTOR, *designatus, pronunciatus & proclamatus est: accepta insuper & heic Basileae, & ubivis locorum, docendi disputandique, quantum philosophicae encyclopaediae latitudo includit, & aliorum insuper privilegiorum, Philosophiae Doctoribus ubivis terrarum concessorum, liberrima & amplissima facultate. Quod ipsum Decanus, & reliqui Collegii Assessores Philosophi, publicis hisce litteris, Facultatis sigillo munitis, ratum testatumque fecere. Actum Basileae IX. Kalend. Martii. Anno Aerae Christianae millesimo quingentesimo nonagesimo nono.* Deinde Theologiae studio sese totum tradidit, inque eo sub Theologis eximiis longeque celeberrimis, in Palatinatu quidem sub parente suo, & D. *Dan. Tossano*: Basileae sub D. *Io. Iac. Grynaeo*, & D. *Amando Polano*: Genevae tandem sub D. *Theodoro Beza*, atque aliis, egregios fecit progressus, unde & Basilea & Geneva pietatis & eruditionis suae praestantissima reportavit testimonia. Salutavit etiam academias Friburgensem, Tubingensem & Argentoratensem.

Prae-

Praeterea noſter cum *Georgio Thurio*, Pannonio, plurium linguarum peritiſſimo, d. XX Decemb. an. M. D. C. Heidelbergae a *Paulo Meliſſo Schedio* Caeſareus Poëta Laureatus fuit ſollemniter creatus, prout ex ipſius *Meliſſi* oda alcaica ad utrumque pateſcit:

Vivax in auras quae liquidas tulit
Lucina Vatem, Pierio choro
Primis ab annis conſecravit
Ad varium melos incinendum.

Apollo favit carminis artifex;
Favere Muſae, candida Numina.
Felice ſenſi cum Minerva
Mercurium mihi ſat ſuperque

Aequum & volentem. Si Venus addidit,
Et gratiarum purpureus decor
Concinnitatis ſeu leporis
Nonnihil, ingenuis amoenum

Et ſuave credo mentibus accidit,
Phoebo, Camenis, Palladi deditis;
Celebritatem conſpicando
Nominis, eximiaeque famae

Me conſequutum, repere non humi,
Clarum ſed alte tollere verticem
Amaſſe: quamquam nil ſuperbe
Aut tumide, nihil arroganter.

His imputantem viribus ingenI
Iam languefacti, prae ſenii mala

 Aeta-



Aetate cani. Nam bis ultra
Sex mihi lustra colum diurnam

Produxe Parcas sortilegas liquet.
Iamque ecce chordas emeritae lyrae
Suspendo valvis sacram ad aedem
Aonidum, & numerosa plectra.

Donetur illis post obitum meum,
Quemcumque dignum sobria duxerit
Clio, sororum dia princeps,
Hesiodo Herodotoque teste.

Summae voluptati est mihi cernere
Agmen minorum pressius insequi
Vestigia antiquûm, Deoque
Proximius Clario videri

Gestire; nec non carpere Laureas
Late comantes, ardua frontium
Artis refertarum Linaeae
Praemia. Vos igitur sequaces

Novem Dearum, & comis Apollinis
Mystae, corollas accipite has duas,
Queis enitescatis decenter
Tempora docta perenne vincti,

Caste & pudice Virgineo in grege
Vosmet gerentes. THVRIVS Vngaris
Cunctis ametur, diligatur
Pannonibus, venerandus Istro,

Ob



Ob eruditi nomina Patrui.
PAREE, Nicri cura, Nemetibus
Amere cunctis, diligare
Lusatiisque Silesiisque,
Ob claritatem conspicui Patris.
Vterque salvete, & quibus utier
Vos iure, pacto, lege par est,
Vtimini, titulo fruentes
Vobis tributo; non sine gloria,
Ornasse dignas iudicio optimo
Hac luce Natali MELISSI
Laurea serta comas utrique.

Locus Sigilli.

PAVLVS MELISSVS SCHEDIVS &c. q).

Hinc *Pareus* noster ad varias functiones easque honestissimas in Palatinatu mature promoveri coepit, easque magna cum laude, fide & diligentia aliquot annis obivit. Nam post reditum suum in patriam humaniora docuit primum *Crucenaci*, scholae praefectus Rector; ubi ad *Philippum Dupinum*, Gallo - Aquitanum, qui, sub praesidio *Dav. Parei*, theses theolog. de sacra Domini coena Heidelbergae d. XXIX. Aug. an. 1601. publice examinandas proposuit, hocce scripsit epigramma:

Si labyrintheos variorum nosse labores
Discupis, e verbis quos plicuere sacris;
Numquam finis erit, sed seculi multa legendo
Consumes, perdes quin oleum atque operam:

q) Vid. *Phil. Parei* adorea I. p. 3. 4. & 5.



Nec modus eſt liquidis nugas affingere verbis;
Myſtica dicta DEI, myſtica ſenſa petunt.
Eia age, theſauros mentis deprome, *Dupine*,
Quos hauſti e ſacris nocte dieque libris:
Verbaque ſalvificae fidei certiſſima ſigna,
Ad fidei normam percipienda, doce.
Ergo Pontificum valeant μοςφώματα coeca,
Et Pantuſiadûm ſomnia abeſſe velint.
Illa fides vere novit comprendere Chriſtum,
Credere qui novit, quae fugiunt oculos r).

Non diu autem Crucenaci permanſit, ſed ad Rectoratum Neohuſiani paedagogii vocatus transiit. Poſtea, nimirum iam an. 1610 praepoſitus fuit ſcholae Neoſtadianae ad Hartam; ubi discendo, docendo, ſcribendoque multis fuit utiliſſimus.

Poſt bina luſtra furor Bellonae in patria noſtra inſano modo graſſari incipit. Fiunt induciae, bellum, *pax*: *rurſus* bellum. Nihil Heidelbergae tutum. Creſcentibus autem in dies periculis, Pater *Philippi* monetur ab amicis, tam domi, quam foris, ut in aliam ſeſe ſpeculam recipiat, unde velut e longinquo imminentia proſpectare mala tutius quiret. Obtemperat, ſtatimque in proximam Pathmum ſeſe confert. Nihil igitur ab officio boni civis aut conſtantis Profeſſoris alienum ſe facturum ratus, ingenti quamvis dolore ſuo, ad d. XVII. Cal. Octobr. an. 1621. *Heidelbergae*, (quam alteram ſuam patriam ſemper in ore habebat, cum hocce gemitu: *O Heidelberga*, *o Heidelberga!*) invitus vale dixit. Pathmus autem

r) Sub hoc epigrammate, pro more temporis illius compoſito, leguntur haec: M. *Joan. Philippus Pareus*, P. L. Rector ſcholae Crucenacenſis, ſcripſit: αυτοσχεδιαςί.

autem ipſius erat *Anvilla*, oppidum Bipontinum, quo poſt ſextam diem pervenit. Interim miles Henoticorum veluti quodam cataclysmo omnem terram Palatinam paſſim inundat, occupat, devaſtat.

Adeoque idem tempeſtatis bellicae terror *Philippum* quoque noſtrum ad chariſſimum Parentem, omni ſubſidiaria ope Anvillae miſere deſtitutum, extrudit: *Qui cum miſcemus* s) *preces communes, gemitus & ſuſpiria de florentiſſimi nuper Palatinatus horribili vaſtitate: De ſcholarum in equilia converſione, de templorum direptionibus, Eccleſiarum everſionibus, miniſtrorum & paſtorum exiliis, ſpoliationibus, flagris, vinculis, caedibus. Plangimus igitur cum Pſalte* (Pſalm LXXX. ỽ. 6. ſeqq.): Cibaſti nos pane lachrymarum, & propinaſti nobis lachrymas in menſura: poſuiſti nos litem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannaverunt nos ſibi. Vitem plantaſti, & radicari feciſti radices eius, & implevit terram. Operti ſunt montes umbra eius: & rami eius ut cedri DEI. Vt quid diripuiſti macerias eius, & collegerunt eam omnes transeuntes per eam? conſumſit eam aper ſilveſtris, & fera agreſtis depaſta eſt eam. Deus exercituum revertere, obſecro, reſpice e caelo, & viſita vitem tuam, & vitiarium, quod plantavit dextra tua.

Praeſentia filii, nurus, & nepotis, quantum exilii fuerit θελκτήριον, *incredibile dictu eſt. Cor ſuum interno tripudio exilire ſaepius conteſtatus fuit, quod haec triſtiſſimi exilii* μειλίγματα DEVS *de caelo largitus ſit in ſinu ſuorum ex hac miſeriarum valle,* ἀναλύεσθαι *ut liceat: intime gaviſus, adeſſe ſibi, qui oculos clauderent.*

Poſt aliquod temporis ſpatium *Philippus* noſter cum ſuis remigravit Neoſtadium ſuum; ubi & pater ipſius teſtamentum condidit, ac ſubſcripſit hisce verbis: *Ego* DAVID PA-

s) Sunt verba ipſius *Philippi* in narrat. hiſt. de vita *Dav. Parei*, fol. m. 11. b.

PAREVS, *S. Theologiae Doctor*, & *Professor Academiae Haidebergensis: nunc vero afflictus exul, maxillari catharro aeger, caeterum animi integer, haec manu propria scripsi*, & *subscripsi Neapoli Nemetum in illustri Collegio Casimiriano* A. D. XIX. *Martii. Anno* M. DC. XXII t). Noster vero, Palatinatu sub tristissimum iugum misso, dicta Neapoli ab Hispanis an. 1622. occupata, direpta & vastata, non solum omnium suarum rerum, potissimum egregiae suae bibliothecae iacturum fecit gravissimam, sed propulsatus etiam, in exilium abire necesse habuit. Singulari autem DEI T. O. M. misericordia conservatus, non diu propter virtutes suas & haud proletariam eruditionem vocatione ad aliud carere munus potuit. Protinus etenim ab illustrissima Principe Arausionensi CATHARINA Belgica vocatur ad novum Gymnasium academicum Hanoviae sollemniter erigendum: utpote cuius Rector electus, & Professor Philosophiae, linguae Hebraicae, ac Theologiae constitutus est, cum rev. D. *Paulo Tossano*, Viri celeb. *Sebastiani Beckii*, Theol. D. & Prof. Basil. olim in Synodo Dordracena collega & constante amico, atque aliis. Alias praeterea meruit adhuc vocationes. Nam anno 1610. ab illustrissimis Frisiae Ordinibus *Franequeram* ad Professionem Theologicam vocatur; sed tunc Pater Filium, senectutis baculum, a se dimittere noluit. Anno 1630. illustrissimus Comes Nassovicus, misso ad illum nuntio, D. *Henrico Alstedio*, in Transilvaniam abituro, succedere voluit. Hinc & a fautoribus Lausannam Helvetiorum, & Harderovicum Gelrorum, ac Daventriam Transisalanam invitatur. Verum autem Magistratus Hanovicus ipsum retinuit, ipseque musis Hanovicis consecrare se ulterius voluit, licet ἀπολύτρωσιν in Palatinatu in senectute sua anhelaverit, ut ad cineres b. Patris, decurso vitae curriculo, componi possit u).

Spar-

t) Vid. cit. narrat. hist. fol. 13. b.

u) Ex *Ph. Parei* adorea III. p. 10. & 11.

Spartam Hanovicam & docendo & ſcribendo egregie condecoravit. Multis quoque adverſae fortunae caſibus fuit agitatus & iactatus, partim in re domeſtica, partim extra eam. Leviorem quemdam caſum ipſe refert v) hisce verbis: *Parentis hic lapſus w) mei me quoque caſus, qui mihi periculo non minori parique eventu contigit. Francofurti enim cum an.* 1628. *die* 10. *Iunii, hora ſeptima matutina, ad amicum forte interviſerem, deque domo illum quaeritarem, pultando oſtium, quod occluſum firme non erat, in ingreſſu infelicem pedem moveo, & ecce cellae ianua limini imminens malo fato recluſa, totum me praecipitem agit ad fundum cellae, per pluſculos gradus lapideos, ad quos colliſus praeter dolores immanes coxendicis gravius malum* DEI *beneficio, non aufero: atque actutum recordatio paterni lapſus mihi hos verſiculos expreſſit:*

Qui te praecipitem, Genitor, ſervaverat olim:
Ille DEVS lapſus dirigit ecce meos.
Vsque adeo hic CVSTOS motus contemperat omnes,
In mala, & ipſe cavet, ne nocitura ruas.
Erige nos verbi fulcro ſceptroque IEHOVA,
In primis noſtram ſuſtineasque fidem.
O DEVS, in CHRISTO ut ſtemus firmi, effice: quando
Huic non innixus, qui cadit, ille perit.

Quum anno 1634. Academia Heidelbergenſis aliqua frueretur pacis tranquillitate, eademque tranquillitas ſpem ſubminiſtraret meliorem, *Pareus* noſter ad Ordinem Philoſophicum ibidem adſpirare coepit; ſed ſpe excidit. Hinc Vir

v) Ex dicta narrat. hiſt. fol. 10. b.

w) Qui accidit d. XXX. Ianuarii an. 1620. in Pareano ſuo ſuburbii Heidelbergenſis, prouti legimus ibid. fol. 10. a. b.

Vir aetate ſua clariſſimus x) ſcribit: *Academia me principe caput erigit, ante menſem docere orſo: cui ſuccenturiatur* Schiſius, *Hebraeae & Graecae linguae Profeſſor, hac ipſa hebdomade lectiones ſuas auſpicatus. Aliorum altum ſilentium; Iurisconſultus nullus, praeter* Bachovium *adeſt: ut nec Theologus.* Pareus Logicam ambit: ſed ambit. *Ethica cuidam* Cunoni *adſignata, ignoto mihi. Phyſicam Doct.* Hemmelius *prenſat. Mathematica & hiſtorica* Berneggero *deſtinata: modo per uxorem Argentina ſeſe extricare quiret. Doctor* Altingius *exſpectatur canicularibus feriis, forſan comites aliquos Profeſſores adducturus. Frater eum hic hiematurum ſperat: quod optarim. Studioſis nullus eſt patefactus locus collegialis, ob ſumptuum defectum. Magaſini enim inſtitutum frumentum omne intercipit; impeditis etiam caeteris reditibus academicis. Exſpectamus nihilominus e meſſe & vindemia, utraque uberrima, copiolas luculentiores, quibus & profitentes & proficientes ſuſtentantur.*

Noſter *Philippus*, iam rude donatus & emeritus, a. d. XX. April. an. 1647, aetatis LXXII. Baſileae, praeſtitis praeſtandis, cum iureiurando theologico, abſens ſummos in Theologia honores fuit conſecutus. Sequentia ex diplomate y) ſubiungere hic placet: *Ex Archi- Palatinis certe Exulibus*

x) Nimirum *Cunradus Schoppius* in epiſt. ad *Dan. Toſſanum*, data Cal. Quintil. Anno 1534. Myrtilleti; quae exſtat in monumentis pietatis & litter. Virorum in re publica & litter. illuſtrium, ſelectis P. I. (Francof. ad Moen. 1701. 4.) p. 350. conf. comm. noſtra de *Iano Gebhardo* p. 38.. not. i.

y) Quod ſcripſit. ven. *Sebaſt. Beckius*, S. S. Doctor, & in academia Baſil. Profeſſor, Promotor rite deſignatus, Facultatis Theol. Decanus; atque invenitur in *Phil. Parei* adorea III. p. 8. — 15. Hic notandum, prodiiſſe tunc ſcriptum, hodie rariſſimum, cuius plenus hic eſt titulus: „כְּבוֹד חֲכָמִים יִנְחָלוּ *Honor eſt ſapientium patri-*

bus Facultati nostrae duo in primis illustria celeberr. & praestantiss. Virorum exempla in promtu sunt, quae illi gradus Theologici faciendi causa obiecta sunt: nempe Dn. Fridericus Spanhemius, *Professor in Acad. Lugduno-Batava laudatissimus, qui iam ante triennium Gradum Docturae Theologicae maxima cum laude, & summo omnium applausu, in hac academia nostra a nobis consecutus est, & Dn.* M. IOH. PHILIPPVS PAREVS, *celeberr. illius* Davidis Parei, *S. S. Theologiae in antiquissima Academia Heidelbergensi Doctoris & Professoris primarii, — filius, qui Gradum eundem a Facultate nostra, litteris humanissime ad nos scriptis, reverenter & obnixe nuper petiit. — — — Quia ergo clarissimus hic noster* Pareus *tantam linguarum cardinalium, ac rerum divinarum humanarumque peritiam, & docendi disserendique facultatem, nec non pietatem sinceram, diversis in officiis tot praeclaris documentis voce pariter scriptisque multis, & conversatione testatam probatamque*

 fecit:

---

trimonium. IOH. PHILIPPI PAREI, Dav. Filii, Adorea triplex. *I.* Laurea Poëtica Caesarea: ornata Vicariatu Comitivae Palatinae. Largitore illustri & magnifico Viro, Domino PAVLO MELISSO SCHEDIO, Alphi Politano Franco, Comite Palatino Caesareo, Equite aurato, Cive Romano, Poëta Laureato. Heidelbergae anno 1600. a. d. 20. Decemb. *II.* Doctura Philosophica, & Magisterium liberalium artium. *III.* Doctura Theologica, & Ius interpretandi scripturas.* Vtraque dignitas, ob merita virtutis & doctrinae collata ab inclytae Rauricae Basileënsis Academiae Facultate *Philosophica*, Iuveni, an. 1599. a. d. 15. Cal. Martii. *Theologica*, Seni rudiario, & emerito. Aetat. LXXII. an. 1647. a. d. 20. April. praestitis praestandis, cum solemni iuramento theologico. Hanoviae apud Iohan. Aubry. Anno M. DC. XLVII. 4.„ Huiusce scripti, quod in Athenis Rauricis merito adnotatur p. 40. & 365. me, rogatu ven. *Zwipssii* mei, ad usum meum humanissime participem reddidit maxime ven. & celeberr. *Herzogius*, egregium Academiae Basil. ornamentum.



fecit: ac insuper consensum suum orthodoxum in sana doctrina cum nostris scholis, ecclesiis, ac confessionibus, secundum S. S. reformatis, scripto ad nos misso clare sufficienterque testatus est: denique iuramentum consuetum & solemne, invocato S. S. TRINITATIS *nomine Ordini nostro, absens ut praesens per scriptum peculiare, religiose praestitit: sicque legibus Facultatis nostrae satisfecit: Iccirco venerabile Facultatis nostrae Collegium, ut aequae eius petitioni satisfaceret, illum in numerum* S. S. *Theologiae Candidatorum retulit, & inscripsit, eidemque Gradum Doctoratus Theologici, per me rite designatum Promotorem, publico hoc Instrumento, non tamen inconsulto Senatu Academico, conferri voluit, & decrevit. Quanquam autem absenti Gradum Docturae conferre, apud nos, quantum scire possumus, res sit nullius exempli, tamen ne Collegium nostrum Dn.* PAREO *id, quod desiderabat, absenti denegaret, fecit & Personae ipsius dignitas, qua coelestis eius Promotor per dona tam eximia in ipsum collocata hoc Gradu dignum fecit, & senectutis eius, annum septuagesimum secundum attingentis, infirmitas, qua longinquioris ad nos itineris difficultates sustinere prohibetur. Allioquin ut nulli iter facere valenti Gradum absenti conferendum censemus: sic tali necessitate detento, dignitatem, quam optime meretur, non denegamus. Iusta vero & perpetua causa omnes a Gradu abarcendi, est indignitas, atque ignorantia; sed accidentalis tantum, & particularis, quae iustae necessitati cedere potest, loci distantia. Vnde, florente Academia Heidelbergensi, non defuerunt exempla eorum, qui Gradum Docturae digni iudicati acceperint, etiam absentes. Quare, Promotoris officio rite mihi imposito, mi reverende & praestantissime Dn.* PAREE *(Te enim praesentibus his litteris nostris nunc alloquor) defungar, decretosque honores iam rite conferam. Quod ut fiat* νομίμως καὶ εὐσχημόνως *decenterque, in possessionem novae Dignitatis te intromittam, etsi usitata symbola corpori tuo, ceu absenti, applicare nequeam, tamen de re ipsa paucissimis monebo. — — —*

Qua

Qua occaſione *Pareo* noſtro varii Viri eruditiſſimi z) ſummum in S. S. Theologia axioma gratulati fuerunt, nempe *Balthaſar Venator*, Ictus & Poëta nobilis a); *Dan. Toſſanus*, Gymnaſiarcha Baſileënſis b); *Ioan. Georgius Beſſerer*, Palatinus Exſul c); & *Ioann. Georgius Meckelius*, Poëta Laureatus d). Verum autem non diu poſt huncce honorem ſibimet collatum in hoc mundi theatro ſuperſtes fuit *Pareus*. Nam an. 1648. e) Hanoviae vitam terreſtrem cum aeterna commutavit. Adponamus hic *P. Meliſſi Schedii* in inſignia *Pareorum* ad cl. *Dav. Pareum*, Theologum incomparabilem, epigramma:

Rupes aurea, Regiusque ſupra
Puer floridulis genis corona
Cinctus aureola, tibi tuisque
Adgnatis Clypeum, *Paree*, pulchre
Ornat, Caſſida cornuum duorum
Robur firmat. Habetis hoc *Meliſſi*
Donum perpetuos gerendum in annos.
Et ſublimis Honos, & alta Virtus
Vos hoc munere iudicavit eſſe
Dignos. Poſteritas & hanc & illam

 Po-

z) Quorum carmina ſunt adiuncta cit. Adoreae *III.* p. 18 — 28.


a) *Ph. Parei* diſcipulus, qui duplex ſuum melos & ſynchariſticum & anacreonticum ſcripſit Meiſenhemii a. d. 28. April. an. 1647.

b) De hoc egregia nobiſcum communicavit laudatus celeberr. Baſil. Theologus *Herzogius* in adumbratione eruditorum Baſileënſium apud exteros celebrium, ed. Baſil. 1780. 8.

c) Fuit Weingarto-Palatinus.

d) Poſtea Paſtor apud Leimenſes in vicinia Heidelbergae.

e) Non an. 1643, prout nonnulli ariolantur.



Ponat ante oculos ſibi usque & usque:
Nil non efficiet per hanc & illam.
Certe quo mage creverint Nepotes,
Hoc crerit mage Honos & ipſa Virtus f).

Huic epigrammati ſubnectimus ipſius *I. Ph. Parei* in eadem inſignia conditum epigramma:

Stemma *Pareanum* decorat Trinacria *Rupes*,
Regius atque *Puer* laudis honorat opus.
Sed mage Virtutem monſtrat Parnaſſia *Rupes*,
Quam nunc in ſummo candidus ornat *Olor*.
Exſurgant alii, *Triplicis* qui culmina *Rupis*
Condecorent factis promeritisque ſuis g)!

Monumentum, quod *Philippus* noſter optimo ſuo Patri poſuit, quoniam *Pareana* inde illuſtrari familia poterit, hic adiungere placet:

MONVMENTVM,
CHRISTO, SERVATORI
SACRVM.

DAVID. PAREVS. HOCCE. TVMBO. EST. CONDITVS.
E. GENTE. SLESICA. VRBE. FRANCOSTEINIA.
QVI. VERITATIS. ORTHODOXAE. PVRIVS.
ET. HAVRIENDAE. ET. EDOCENDAE. GRATIA.

IN.

f) *Meliſſi* ſchediasmata poëtica multo auctiora ſecundo edita ſunt tribus Partibus Lutetiae Pariſ. an. 1586; eiusdem meletemata prodierunt an. 1595. Optandum, ut eius carmina, poſtmodum concinnata, colligerentur typisque ederentur.

g) Vtrumque epigramma cum ipſis inſignibus obvium eſt in cit. triplici adorea, poſt titulum.



IN. PATRIAM. ALTERAM. PALATINI. SOLI.
DELATVS. IPSA. LVSTRA. DENA. ATQVE. INSVPER.
BIS. TRES. DECEMBRES. STRENVE. DEI. GREGEM.
SEMENTE. PAVIT. VERBI. IESV. COLLIGENS.
ECCLESIAM. IVVENTAM. ACADEMICAM. DOCET.
VIGINTI. ET. AMPLIVS. PER. ANNOS. INCLVTVS.
PROFESSOR. OPTAT. DEIN. RELINQVERE. ALTERI.
ORBAM. SCHOLAE. CATHEDRAM. QVANDO. CAELITVS.
PVNIT. SVPREMVS. ARBITER. MORTALIVM.
CVLPAS. PALATINIS. IN. ORIS. VINDICANS.
TER SACROSANCTI NOMINIS. SVI. DECVS.
EXVL. PAREVS. MARTIS. EFFVGIT. CRVCES.
REDITQVE. MYRTILETVM. ANIMAM. CHRISTO. SUO.
POST. REDDITVRVS. TRADIDITQVE. PROTINVS.
SOLVTVS. OMNI. CARCERE. ATQVE. VINCVLIS.
VALETE. MVNDI. PERDITI. SATELLITES.
AT. VOS. VALETE. AETERNITATIS. HOSPITES.
DAVID. PAREVS. HOC. TRIVMPHAT. IN. CHORO.

LVGENT. PARENTEM. FILII. SVPERSTITES.
PHILIPPVS. ET. GEORGIVS.
NVRVSQVE. TRISTIS. ANNA. FLET. SOCERVM. SVVM.
AMBO. DEHINC. NEPOTVLI.
DANIEL. DAVIDQVE. ADEMPTVM. AVVM. SIBI. DOLENT.
NEC. VSQVE. FLERE. DESINENT.
DONEC. PARENTEM. AVVM. SOCERVMQVE. CAELICIS.
RVRSVM. SALVTENT. GAVDIIS.

VIXIT. ANNOS. LXXIII.
MENSES. V. DIES.
XVI.
OBIT. HAIDELBERGAE. DIE. XV. IVNI.
ANNO. ꝏ Iↄ. C. XXII.
PATRI. OPTIMO. CHARISSIMO.
BENE. MERENTISSIMO.

DE-



DEVOTI. OBSEQVI. ET. AMORIS.
IGITVR. SVO. ET. SVORVM.
NOMINE. POSVIT.
PHILIPPVS. PAREVS h).

Quod ad coniuges eius attinet, matrimonio ſibi iunxerat primo *Annam Mariam Beckeriam* i), deinde feminam nobilem, *Annam Catharinam Deckherriam* a *Walhorn*, a. d. XXVII. Iulii an. 1646. denatam, de qua inſignis Poëta k):

Vtrumque motum ſollicitat Domus
Noſtri *Parei*, Coniugis optimae
Oppreſſa fato; oppreſſa fato
Coniugis heu! nimium dolendae.

Fido haec levavit robore diſpares
Annos Mariti; ſi qua valentiae
Pars haeſitavit, dulcis Vxor
Vel dape, vel ſtudio ſalubri

Admovit aegro ſuppetias Viro,
Solatiorum non rudis, otia
Praebere connexo labori,
Et vigiles recreare curas,

Cum

---

h) In hoc monumento memoratur tertius *Dav. Parei* filius, Ioannes Georgius, Heidelbergae natus, d. III. Oct. 1588. Vid. Vita *Davidis*, fol. 6. b. Adeoque numero Profeſſorum Heidelb. non iam an. 1584. inſerendus, uti legimus in ſerie. *Georgius* autem erat Sereniſſ. Principis PHILIPPI LVDOVICI Ephorus, eius in itinere Gallico comes. Vid. ampliſſ. Dn. *Flad* l. d. pag. 28.

i) Sic diſcimus ex *Wolfii* progr. in obitum *Ph. Parei.*

k) Vid. *Balth. Venator* in *Ph. Parei* adorea III. p. 19. ſeq.



Cum fauſta aratrix depoſuit manus
Famoſa chartae iugera Deliae,
Cum feſſa dimiſit *Stagira*
Diſcipulam rationis aurem.

Quanta eſt quietis gratia, poſt decem
Et dena *Marci* Dramata Ludii
Exterſa, & emuncta, & recuſa,
Coniugis alloquium anteferre

Centum theatris! Quae patientia
Reſtat *Pareo*, tot maria & freta
Enavigandi, priſcum ut Orbem
Per veterum monumenta luſtret

Solus ſuperſtes? Sed mala temperat
Caſumque acerbum gloria Rauricûm,
Divinae & humanae Salutis
Notitia *Baſilea* felix.

Averte paulum moeſtitiam, immemor,
Paree, fati, nec Sapientiae
Coeleſtis inſignem galerum
Funereis viola querellis. — — —

Philippus, quantum novimus, duos habuit filios, ſed utrumque obitu ſuo parentis fata antevertentes. Hinc Palatinus Exſul ad eumdem *Philippum* 1):

Tuque *Pareanae* nunc ultima gloria gentis,
Doctor ſic magnum Patrem imitare tuum:

At-

1) Nempe *Io. Ge. Beſſerer*, ibid. p. 22.



Atque patrissare adsidua connitere mente,
Theiologus gnatus Theiologoque Patre.
Et matre, atque patre, & chara prole orbus es omni,
Coniugii & gemini gaudia blanda gemis.
Detrectant presso pendentia brachia collo:
Parce, precor, Manes sollicitare tuos!

Erant autem isti filii, *Daniel*, Neohusii natus, & *David* m).

Iam sequuntur *Io. Ph. Parei* opera omnia edita, aut edenda:

I. Philologica.

M. Accii Plauti comoediae XX. cum animadversionibus & notis; *P. Terentii Afri* comoediae VI. cum animadversiobus & notis? *C. Sallustii* historiae cum notis; *Q. Aurelii Symmachi* epistolae, cum notis & electis; *Papinii Statii* poëmata, absolutissimo indice illustrata; Calligraphia Romana; Provocatio ad Senatum criticum, contra *Vitum Garnerum*; Analecta Plautina, contra *Vit. Garnerum*; *L. Annaei, M. An-*

m) De *Davide* nihil habeo, quod hic addam. Sed de *Daniele* conferri omnino meretur celeb. *Georgius Christianus Ioannis* in praefat. de rerum Palat. scriptoribus, praefixa *Dan. Parei* historiae Bavar. Palatinae, p. 134. seqq; cel. *Ioecherus* l. d. P. III. p. 1254; ampliss. Dn. *Flad* l. d. p. 29; *Morhofius* Tom. I. Lib. IV. cap. XI. §. XII. p. m. 152; ib. cap. XIII. §. 3. p. 189.; ibid. Tom. II. Lib. I. cap. V. §. 2. p. 25; ubi minime laudatur, sed plagiarius & Criticorum simius adpellatur; *Io. Frid. Noltenius* in Lex. L. L. antibarb. Tom. II. (quem edidit filius *Io. Andreas Noltenius*, Lips. 1768. 8. mai.) & quidem in bibliothecae Latinitatis restitutae conspectu speciali, p. 361. seq. Peram autem uterque *Pareus*, tum Pater *Philippus*, tum filius *Daniel*. Professoribus Heidelberg. adscribuntur in cit. serie.

Annaei F. *Senecae*, quae exſtant, opera omnia: quae recenſuit, indice & repertis Stoicis illuſtravit; Muſae fugitivae, ſive Poëmatum liber; de Particulis L. L. commentarius; de Particulis L. Graecae commentarius; Lexicon criticum, ſive theſaurus linguae Latinae.

II. Philoſophica.

Grammaticae Latinae artis libri duo, cum praxi; Grammaticae Graecae artis libri duo, cum praxi; Elementale linguae Hebraeae, cum praxi; Organi *Ariſtotelis* analyſis ad Senatum Dantiſcanum; Rhetoricae artis libri duo, cum praxi; Logicae artis libri duo, cum praxi; Analyſis Logica orationis *Iuſti Lipſii* de calumnia; Electa Platonica; Panoplia Sapientiae humanae; *Philippi Cominaei* hiſtorias e Latino in Germanicum transtulit; Hiſtoria vitae & obitus D. *Davidis Parei*, Patris; Analyſis Logica IV. Libb. Inſtitutionum Iuris civilis; Varias quoque ſcripſit & habuit diſputationes, ac declamationes, de variis argumentis philologicis, philoſophicis, & theologicis.

III. Theologica.

Analyſis logica & theologica Catecheſeos reform. eccleſiarum & ſcholarum; Analyſis typica Catecheſeos, perpetuis tabulis adornata; Theologia ſymbolica de Sacramentis in genere & in ſpecie; Güldin Kleinodt vom H. Abendmal; Chriſtliche einfaeltige Erinnerung vom H. Abendmal; Analyſis typica epiſtolae D. Pauli ad Romanos; Comment. in ep. Pauli ad Coloſſenſes; Anal. typ. ep. D. Pauli ad Coloſſ.; Comment. in ep. D. Pauli ad Philemonem; Comm. in ep. Apoſtoli Iudae; Caſtigationes in *Io. Magirum* Ieſuitam, de auctoritate S. Scripturae; Apologia de poteſtate eccleſiaſtica & civili, contra D. *Dav. Owenum*, Anglum; *Ioan. Cheneti* inſtitutiones theologicas, a *Theodoro Beza* Gallice editas, in linguam Lat. convertit; De Deo, & vera eius agnitione adverſus Atheos, Anti-Trinitarios, Arianos, Samoſatenianos,



Photinianos, veteres & novos haereticos, libri III; Opera Parentis theologica posthuma omnia in tres tomos collegit, recensuit, & vernacula in linguam Latinam transtulit n).

Hinc de *Philippo* nostro Vir venerandus: *Monumenta, quae edidit, quaeque adhuc in lecythis servantur, quorum quaedam etiam nos vidimus, ita multa sunt, ut iis recensendis Instrumenti huius ratio & modus non ferat. Satis sit, ea pietatem eius, variamque doctrinam, maxime vero theologicam, publice omnibus ac privatim venerando nostro Collegio celeberrimam reddidisse* o).

Praemisso hocce librorum catalogo, nonnullorum editiones, atque Eruditorum quorumdam iudicia sumus indicaturi, immo aliqua scripta omissa addituri. In quadam epistola p) ipse *Philippus Pareus* scribit: *Habeo* Nonium Marcellum *Grammaticum, a me cum codice manuscripto bibliothecae Palatinae sedulo collatum, ac recensitum nova prorsus methodo. Si vita superstit, editurus quoque sum.* Vir litteratissimus q) nos certiores facit, *Pareum* revera *Nonium* edidisse, immo semet eiusdem emisse librum r). Praeterea librum evulgavit Hano-

n) Hunc catalogum ita ordinatum, sed non satis accurate concinnatum, nec completum reperi in *Ph. Parei* adorea III. p. 16. 17. & 18.

o) Sunt verba *Seb. Beckii*, ibid. p. 11.

p) Ad *Dan. Tossanum*, Hanoviae d. XXIV. Ian. an. 1643. data; quae exstat in cit. monumentis pietatis &c. T. II. p. 458 — 462; ubi & ad eumdem alia eiusdem *Parei* occurrit epistola, p. 462 — 464. data Hanoviae Cal. Martii 1643; ex quibus epistolis notitia nonnullorum *Parei* scriptorum hauriri potest.

q) Nempe *Io. Alb. Fabricius* in biblioth. Lat. Lib. IV. cap. VI. p. 768, & in supplem. p. 318.

r) Vid. Vir ven. & celeberr. D. *Büttinghausen* in dem Verzeichniss der Schriften die Vniversitaet Heidelberg betreffend. p. 6.

noviae 1624. 4. ſub titulo: *Oberti Giſanii* obſervationes ſingulares in linguam Latinam. De quo libro ipſe s) ſcribit: *Poſt elaborata illa theologica, miro quodam fato ad manus meas pervenit integer commentarius de lingua Latina praecellentiſſimi ICti* Huberti Giſanii, *quem, ut noſti, illuſtris Vir* Gaſpar Scioppius, *Comes de Claravalle olim, cum domeſticus eſſet Ingolſtadii illius Viri, ſumma induſtria compilavit, & eo nomine varie a viris doctis plagii fuit arceſſitus. Quando* Neuhuſii *eſſem, ubi & Te diſcipulum tunc habuiſſe cum gaudio recordor, collega meus* Cunradus Scioppius (Schoppius) *mihi ſuppeditavit excerpta quaedam huius commentarii, quae ego, dum Hanoviae vivo, publice edidi, ſub hoc titulo:* Oberti Giſanii obſervationes ſingulares in linguam Latinam. *Et puto te vidiſſe. At quidem magnopere me Rempublicam litterariam mihi demeruiſſe viſus ſum: ratus, omnia me Giſania protuliſſe, praeſertim cum & in aliorum manibus alia non volverentur, adeo etiam a Philologis, Giſaniana non aliter laudarentur.* Multa vocabula in ſordidis abiicit, quae tamen recentiorum, v. g. *Cellarii* & utriusque *Borrichii*, induſtria ac ſollertia feliciter vindicata, atque meliori ſuo cenſui reſtituta ſunt t).

Eiusdem commentarius de Particulis linguae Latinae. Acceſſit *Benedicti Floretti* apologia pro *M. Accio Plauto*: oppoſita ſcaevo iudicio Horatiano & Heinſiano. Francof. 1647. 1697. 12. In hoc libello *Vallam, Doletum, Stewechium,* nec non *Ioannem Hawkinſium*, celeberrimum quondam in Anglia Medicum, qui eruditiſſimos de Particulis L. L. dialogos emiſerat, & praeſertim *Turſellinum* exſcripſit. Quae autem inſuper de ſuis habet, horum notatu digniora *Turſellino* ab ſe locupletato intulit *Iac. Thomaſius* u). Libellum edidit

 Pa-

s) *Pareus* in cit. ep. ad *Toſſanum* p. 459. ſeq.

t) Conf. *Noltenius* l. d. p. 361.

u) *Hor. Turſellini* de particulis Lat. orationis libellus poſt curas *Iac. Thomae*



Pareus anno aetatis ſuae ſeptuageſimo ſecundo, eumdemque inſcripſit *Ioan. Frid. Gronovio*, docte ſimul in hac dedicatione agens de natura & utilitate συνδέσμων, i. e. coniunctionum, quae ſit in oratione per particulas v).

Eiusdem Lexicon Symmachianum, in quo velut indice locupletiſſimo omnia ſimplicia vacabula, nomina propria, particulae elegantiores, quotquot occurrunt in graviſſimo auctore Q. *Aur. Symmacho*, Praefecto urbis, ordine alphabetico digeruntur. Neapoli Nemetum 1617. 8.

Eiusdem Calligraphia Symmachiana, in qua omnes phraſes & formulae elegantiores, quotquot exſtant in graviſſimo auctore Q. *Aur. Symmacho*, Praefecto Vrbis, in gratiam & uſum Philologiae ſtudioſorum, in primis eorum, qui Principibus ab epiſtolis eſſe cupiunt, per certos titulos locorum communium colliguntur ac disponuntur. Neapoli Nemetum 1617. 8.

Eiusdem Electa Symmachiana: in quibus, quidquid rerum memorabilium antiquitatisque Romanae in graviſſimo auctore Q. *Aur. Symmacho*, Praefecto Vrbis, continetur, ſub certos titulos reales locorum communium refertur. Neapoli Nemetum 1617. 8. w).

Ph. Parei Lexicon criticum, ſive Theſaurus linguae Latinae, ex omnibus L. L. claſſicis auctoribus, ICtis, Hiſtoricis, Antiquariis, Criticis, Oratoribus & Poëtis, congeſtus. Norimbergae 1645. 8. Aerumnabili congeſtus eſt labore

---

maſii & *Io. Conradi Schwarzii* denuo recognitus eſt & auctus. Editio in Germania quarta. Lipſ. 1751. 8.

v) Vid. *Noltenius* l. c. pag. 360, & celeb. *Io. Georg. Walchius* in hiſt. crit. L. L; cap. V. §. XIV. p. m. 386. (ed. Lipſ. an. 1729. 8.)

w) Legatur *Noltenius* l. d. pag. 361.

bore: multas quippe, quas alibi vix repereris, minutias exhibet x).

Calligraphia Romana, ſive Theſaurus linguae Latinae; in quo omnes phraſes, & ſormulae elegantiores, quotquot exſtant in tribus linguae Romanae claſſicis auctoribus: *M. Accio Plauto*, *P. Terentio*, *M. Tullio Cicerone*, per certos titulos locorum communium colliguntur ac disponuntur; ſtudio & opera *Io. Phil. Parei.* Neapoli Nemetum, impenſis *Ionae Roſae*, librarii Francof. excudebat *Henr. Starckius*, an. 1616. 8. Novam hanc & copioſam Calligraphiam donavit, dicavit, commendavit *Pareus* nobiliſſimis, pietate ac ſtudio florentiſſimis *Chriſtophoro a Grorod* & *Philippo a Grorod*, fratribus, magnifici & ampliſſimi Viri *Ioan. Bernardi a Grorod*, Electoralis Palatinatus Praefecti in dioeceſi Vzbergenſi & Vmſtadienſi, ad omnia ſumma natis filiis, diſcipulis ſuis exoptatiſſimis. Data eſt praefatio Neapoli Nemetum, an. 1616. Cal. Martii. Haec Calligraphia typis fuit repetita Francof. 1620. 8. & Norimb. 1646. 8. In hoc libro multa bona ſcituque digna occurrunt; quae tamen incondita titulorum & diverſi generis locutionum farragine obnubilantur. *Schoenſlederus* hac in arena multo currit felicius. Ad calcem adiectae ſunt *regulae elegantiarum* y).

Caii

x) Apud eumdem *Noltenium* p. 360, & apud *Walchium* l. c. p. 386. ſq.

y) Conf. *Walchius* l. d. p. 382. & *Noltenius* l. d. p. 360. *Wolfgangus Schoenſlederus* in adparatu eloquentiae, Monachii primo an. 1630. in 8. & alibi ſaepius evulgato, *Ph. Parei* minimum *Calligraphiam*, ſimili in arena currentem, longo poſt ſe intervallo relinquit; quae merum chaos eſt, ac mira titulorum confuſione ſumma imis miſcet. Hoc eſt iudicium *Morhorſii*, qui in *Pareo* noſtro vituperanda vituperat plerumque, ſed laudanda minime laudat, in Polyhiſt. T. I. Lib. VI. cap. II. §. 24. p. 252. ſeq.

Caii Crispi Sallustii opera, quae exstant: cum fragmentis, ex nova recensione *Io. Phil. Parei.* Neapoli Nemetum impensis *Io. Caroli Vnkelii*, librarii Francof. Excudebat *Henr. Starckius.* A. 1617. 8. Dicatus est hic liber *Paulo Tossano*, S. S. Theol. D. Serenissimo Dn. Electori Palatino &c. a consiliis. Epistola dedicatoria, de studio historico accuratissime agens, lectu est dignissima. Huic editioni *Sallustii* vita, a *Io. Ph. Pareo* descripta, praemittitur z).

Eiusdem Lexicon Plautinum, cuius editio secunda prodiit Hanoviae 1634. 8. a).

Publii Terentii Comoediae sex, cum vetustissimis Codd. Mss. Archi-Palatinae bibliothecae fideliter collatae: addito ad calcem indice omnium dictionum absolutissimo, labore atque industria *Io. Ph. Parei.* Accesserunt seorsim virorum doctorum b) notae criticae in omnes *Terentii* fabulas c). Neap. Ne-

z) Haec *Sallustii* editio perperam tribuitur *Danieli Pareo* apud *Ioecherum* l. d. Tom. III. p. 1254. Index omnium *Sallustii* editionum praefixus est nitidissimae & accuratissimae editioni Bipontinae.

a) Huius quoque meminerunt *Gottfr. Stolle* in der Hist. der Gelahrh. Cap. V. §. XXXVI. p. m. 190. ed. II. Ien; idem in addit. & emendat. p. 26; historia biblioth. *Fabricianae* P. VI. p. 300. seqq; ubi etiam *Parei* vita breviter delineatur; *Noltenius* l. c. p. 360; & praeter alios Vir ampliss. *Flad* l. d. pag. 29; nec non *Walchius* l. c. c. V. §. XV. p. 391.

b) Sunt autem isti Viri *Ioan. Rivius*, *Gabriel Faernus*, *M. Anton. Muretus* & *Georg. Fabricius.*

c) Aliorum etiam animadversiones cum Lectoribus suis communicare voluit, prouti ipse *Pareus* post *Ge. Fabricii* castigationes ad Lectorem scribit: „Animus quidem erat addere *Francisci Fabricii Marcodurani* (de quo in peculiari specimine egimus) adnotationes in omnes *Te-*

ren-

Nemetum, sumtibus & typis eorumdem, quos mox in *Plauto* videbimus, 1619. 4. Haec editio dicitur nova. Litterae Principibus Anhaldinis & Ducibus Lygio-Bregensibus dicatae, datae sunt ex illustri Neapoli Nemetum, Kal. Sept. 1619. In eam editionem *Ioan. Guil. Curtius*, illustr. collegii Neostad. alumnus, odam Alcaicam, & *Ioannes Mylius*, ibidem alumnus, Graecum carmen composuit d).

Eiusdem editio *Plauti*, Francofurti 1610. 8. evulgata, deinde sub hoc titulo prodiit: *M. Accii Plauti* Sarsinatis Vmbri Comoediae XX. superstites, ex solis Mss. codicibus Palatinae bibliothecae pristinae antiquitati suae fideliter restitutae: ac notis tam practicis, quam criticis, sedulo illustratae, & confirmatae: adiectis insuper fragmentis, multo quam antehac nitidioribus: nec non Pseudo-Plauti Querolo: atque indice elegantiarum locupletissimo. Curis secundis *Io. Ph. Parei*, cum Christianissimi Regis Galliarum privilegio, (Gallice scripto datoque Parisiis d. XXV. Maii, 1619.) Neapoli Nemetum e), impensis heredum *Iac. Fischeri.* Excudebat *Henr. Starckius.* 1619. 4. mai. Haec editio dedicata est illustrissimo celsissimoque Principi ac Domino *Ioanni Christiano*, Duci Silesiae, Lignic. & Breg. &c. &c. Deinceps occurrunt doctorum virorum εὐφημίας in *Parei* labores Plautinos f).

Huic

---

rentii Fabulas: ut & *Bembi*, *Goveani*, *Glareani*, aliorumque notas: at cum eae nunc iam ad manus non fuerint: nec in propinquitate nundinarum Francofurtensium aliunde facile a nobis hoc tempore comparari potuerint, hisce, Benevole Lector, contentus eris notis criticis, quas modo dedimus, donec copia nobis fiat alias quoque in lucem edendi.,,

d) Conf. nostrum *Neostadium* ad Hartam illustr. p. 24.

e) Quam *Gundlingius* aliique putant *Spiram* esse.

f) Sunt vero Viri isti docti: *Dionysius Gothofredus*, ICtus: *Daniel Heinsius*,

Huic editioni post elegantissimam ad Lectores Praefationem praemittitur *Parei* dissertatio de vita & scriptis *Plauti.* Postmodum haec editio recusa fuit an. 1641. 8.

Eiusdem Analecta & Electa Plautina g). Neap. Nemetum 1617. 4. & 1619 8; postea Hanoviae 1658. 8. Haec scripta theonino dente roduntur in libro, cui titulus: *Asini Cumani Fraterculus*, ex *Plauti* Electis electus, per *Eustathium Swartium*, 1619 8. h). Huic libro adversus personatos quosdam Pareomastygas *Pareus* opposuit provocationem ad Senatum

---

sius: *Melchior Goldastus*, vir nobilis: *Ianus Gruterus*: *Frid. Taubmannus*: *Iac. Gothofredus*, in Parlamento Parisiensi Advocatus: deinde epistola Graeca *I. Phil. Parei* ad *Georg. Michaelem Lingelshemium*, & epist. Graeca *Frid. Lingelshemii*, *Georg. Michaële* nati, ad *I. P. Pareum*: *Marq. Freberus*: *Iac. Lectius*, IC: *Scipio Gentilis*, IC: *Cunr. Rittershusius*, IC; *Ge. Remus*, vir nobilis: *Simo Stenius*, in carm Gr. quod Lat. dedit *Pareus*: *Casp. Waserus*: *Mich. Piccartus*: *Christop. Hoschelius*: *Io. Weitzius*: *Cunr. Schoppius*: *Ioan. Iac. Grasserus*: *Ioan. Forbesius*, Scoto-Britannus: *Theod. Rhodius*: *Rich. Hemmelius*: *Melch. Adami*: *Abrah. Kimedoncius*: *Ioan. Schmidius*: *Balth. Venator.* Quanta in orbe litterato nomina!

g) In his analectis *Pareus Grutero*, qui in tertia *Plauti Taubmanniani* editione acerbis illum vocibus lacerarat, non minus acerbe respondet, par pari referens. Maledicta autem utrimque profecta parum ornant hos duumviros ceteroquin ornatissimos. Sic nimirum agitur, si litterati, atque adeo omnes alii viri docti vana ambitione intumescunt, & mutuis invidiae stimulis agitantur: pugnant autem tanto acerbius, quanto absunt a Christo longius. Haec *Parei Analecta Thesauro Gruteriano*, (ut mox videbimus) *Tomi VII. instar*, maligne subiecta sunt. Hoc est modestum piumque iudicium *Noltenii* l. c. pag. 360. seq.

h) Auctor huius *Asini Cumani* perhibetur *Ianus Gruterus.*

tum Criticum pro *Plauto & Electis Plautinis*. Francof. 1620. 8. i).

Praeterea *Pareus* sex tomis *thesauri Gruteriani critici* k) an. 1634. addidit, prouti innuimus, septimum; qui haud aliud continet, quam ipsius *Analecta Plautina*; qui vero maxime dissimilis est, atque ratione bonitatis a sex prioribus longe remotus l).

Librum Imperatoris CAROLI *Magni* de imaginibus m), quem *Ioannes Tillius*, Episcopus Meldensis, ex codice manu exarato primus edidit, *Goldastus* an. 1608. publici iuris fecit. Eumdem librum an. 1628. 8. Francof. ad Moenum de novo edidit *Pareus*, mutato tantum titulo & praefatione; doctam adeoque fraudem commisit n).

Carmen heroicum de *Neohusio* Vangionum, cura *Ph. Parei* editum 1605. 4; cui subiungimus eiusdem, qui tunc

 tem-

i) Haec provocatio ad Senatum crit. est quasi altera *Parei* apologia, quae *Gruterum* similiter conviciis proscindit, cum eo rursum paria faciens, ut quoque *Noltenius* l. c. observavit.

k) De *Iani Gruteri* thesauro crit. egregie agit *Walchius* l. d. cap. VIII. §. XVIII. seqq. p. 526. seqq.

l) De Tomo VII. vid. idem *Walchius* p. 527. & 539. De eodem Tomo clar. *Voglerus* in introduct. univers. in notitiam bonorum scriptorum (Helmstad. 1700. 4.) p. 69. scribit: *Quibus* (sex prioribus) *septimus tomus post additus est a* Io. Philippo Pareo, *sed in ignominiam* Gruteri, *& eruditis minus probatus*. Vltimum huncce tomum *Danieli Pareo* perperam tribuit *Morhofius* l. d. Tom. I. Lib. V. cap. I. §. IV. p. 220.

m) Hunc librum *Cramerus*, Prof. Tig. in orat. aliique merito laudant.

n) Vid. cel. *Christop. Aug. Heumannus* in Praefat. §. XV. p. 30. ad *Caroli M.* librum, quem Hannoverae an. 1731. demum evulgavit.



temporis Rector Gymnasii Neostadiani erat, vota epithalamica in nuptias FRIDERICI V. Palatini, 1613. 4. o).

Ph. Pareus insuper in dias luminis auras emisit Delicias Poëtarum Hungaricorum, tunc primum in Germania exhibitas, Francof. 1619. 12 p); impensis heredum *Iac. Fischeri*, typis *Nic. Hoffmanni*.

Eiusdem narratio historica de vita & obitu *Dav. Parei*, Patris, 1633. 16; quae postmodum operibus eius theologicis P. I. praefixa fuit.

Eiusdem oratio panegyrica pro Musis Hanovicis q).

Notae in *Quintiliani* institutiones oratorias, Francof. 1629. 8. Londini 1641. 8; Genevae eodem anno in 8; ibidem 1651. 8; rursus Londini 1662; & tandem Lugduni Batav. 1665. 8. voll. II. a quibusdam *Philippo* tribuuntur, tribuenda potius *Danieli* r).

Mellificium Atticum, sive congeries poëticarum phrasium, in primis Graecanicarum, a nonnullis s) quoque adsignatur *Philippo*, sed minus accurate t).

He-

o) Eadem vota citat celeb. noster *Büttinghausen* in den Beitr. zur Pfaelz. Gesch. P. I. p. 178.

p) Quod quoque observavit diligentissimus *Hummelius* meus in der neuen Biblioth. seltener Bücher, P. II. p. 474; ubi *Iani Pannonii* Elegiae (Viennae 1514. 4.) diiudicantur.

q) Quam citat. *Io. Heur. Hottingerus* in Bibliothecario quadripart. Lib. III. cap. VI. §. 3. p. 452.

r) Conf. *G. C. Ioannis* in praefat. de rer. Palat. scriptoribus p. 137.

s) V. g. a *Morhofio* l. c. T. I. Lib. IV. cap. VI. §. 11. p. 68.

t) Vid. idem cel. *Ioannis* l. d. p. 137. num. II.

Herodiani hiſtoriae ſui temporis libri VIII. ſimiliter a nonnullis adſcribuntur Patri, qui filio adſcribendi. Nam in editione mea Londinenſi an. 1639. 8. expreſſe legitur: *Studio & opera* Danielis Parei, Philippi *filii*, David. *nepotis* u).

Reliqua *Ph. Parei* ſcripta tantum indicaſſe ſufficiet, v. g. Commentarium de metris comicis & praecipue Plautinis; librum de imitatione *Terentii* Plautina, quem rurſus quidam *Dan. Pareo* perperam tribuunt v); Theatrum philoſophiae Chriſtianae; Catecheſin Palatinam ſecunda vice evulgavit an. 1617. 8, eidemque praefationem praefixit.

Caſtigationes in maledicam admonitionem *Io. Magiri* de auctoritate S. Scripturae & infallibilitate Eccleſiae, ad defenſionem Patris ſui, conſcripſit. Alia ſcripta, v. c. analyſis logica ep. ad Romanos; Pauli epiſtola ad Philemonem analyſi logica & commentario explicata; S. Iudae epiſtola analyſi log. & comment. illuſtrata; in epiſtolam Pauli ad Coloſſ. comment. analyticus &c. quae inſerta ſunt operibus Patris ſui exegeticis. Hinc ipſe ſcribit w): *Sunt & plura alia apud me, quae a tenebris eripere geſtio. Nihil tamen magis mihi curae, quam opus theologicum Patris mei: cui multa mea quoque inſerui, ut videbis ſuo tempore, tantum Genevenſes omnem nobis remeliginem obiiciunt: Partem ſecundam, Reipublicae Tigurinae, ſuadente ſic Dn.* Breitingero, *dedicabo. Tertiam Archiepiſcopo Armachano* Iacobo Vſſerio, *a quo nuper litteras accepi. Quartam Reipublicae Daventrienſi. Reſtabunt poſtea duo alii Tomi ſcriptorum* διδακτικῶν καὶ ἐλεγχτικῶν, *quae iam a me ad praelum ſunt elaborata. Fortaſſis an* ἡ ἱμαρμένη *mihi*

u) Idem l. c. num. IV.

v) De quo *Walchius* l. d. cap. XIV. §. II. p. 725.

w) *Ph. Pareus* in ep. Hanoviae a. d. XXIV. Ianuarii an. 1643. data ad *Dan. Toſſanum*, quae exſtat in cit. monum. pietatis & erud. P. II. p. 458 — 462.

telam vivendi abrumpet, antequam votis meis satis fiat. Tam *lente procedit Vidua Rosana, quam impensas facere oportet.*

Davidis Parei opera Theologica filius *Philippus* evulgavit. Operum autem istorum Tomus I. & II. continentes scripta exegetica, & quidem editio secunda cum praefamine *Philippi* prodiit Genevae, ex typographia *Petri Chouët.* M. DC. XLII. fol. Hinc conditum epigramma ad D. *Philippum Pareum*, Patris sui opera Theologica edentem:

Fallor, an ut *Thisbita* olim ad Iordanis arenas,
Sidereum ignito dum petit igne polum,
Pallia *Elisaeo* liquit, quibus orbita aquarum
Orba potenter aquis in duo fissa fuit.
Sic tibi iam caelo transscriptus Athleta relinquit
Pallia, iam currus credit equosque Pater.
Magna Balitarum modo turba, vigetque: supersunt
Flumina Theulogicis discutienda togis.
Tu modo perge, *Philippe*, Patris certissima *imago*,
Sic tibi fit patriae portio dupla togae.

Aliud in eiusdem effigiem:

Pulchrum est, simulque gloriosum, & utile
Pio Parente & erudito nascier.
Magni celebrem Patris effert gloriam
Gnatus *Philippus*, aemulante dextera.
Audit *Pareis* ergo nil beatius.
In Patre vivit Gnatus, in Gnato Pater x).

Sub-

x) Haec epigrammata *Roberti Dicksoni*, Scoto-Britanni, sunt obvia post *Ph. Parei* praefamen ad Tom. I. Opp. exeget.



Subnectimus *Leonardi Weidneri* epiphonema ad Filium, edentem Vitam & Opera Patris:

Vixerit ipse sua quamvis memoratus ubique
  Doctrina Genitor, clare *Paree*, tuus:
Vivat & ex scriptis quanquam alite dextro
  Emissus notus mundi in utrumque latus.
Victurus quibus est cordatis mentibus usque,
  Donec erunt libri, donec eruntque Viri.
Nuncque sua vivat felix fide in astra receptus,
  Coram ubi, quem hic docuit, laetus ovansque videt.
Nil opus, ut vitam viventis & axe fruentis
  (Dictitat ut Momus) scribere velle foret.
Rem tamen illius meritis, votisque Bonorum
  Dignam audes, dignam & rem pietate tua.
Quod vitam illius percurrens ordine cunctos
  Annos & actus arte stili enumeras.
Nec vitam tantum, sed quae nondum edita scripta
  Edis, & ad Lethes nil finis ire foros.
Qua pietate tua assequere hoc, ut vita Parenti
  Posthuma sis, prius ut caussa erat ille tuae.
Hoc immo assequeris, fueras ut qui ante *Philippus*
  Dictus, dicaris postmodo *Philopater* y).

Co-

y) Hoc occurrit in Enneade Epigrammatum *Weidneri* in cit. narrat. hist. de vita *Dav. Parei*, fol. penult.



Coronidis loco & illud epigrammatis adiungimus:

Nemo, Epicurus ait, Mundi dux, nulla guberna:
Semper Aristoteles credidit esse polum.
Omnia mole sua constant, fluitantque per annos,
Vt coepere semel; turba profana canit.
Somnia cuncta notat MOSES, divina propago,
Omniaque ex nihilo condita rite docet.
Tu MOSIS, venerande Parens, nunc dogmata mundo
Explanas doctis egregiisque notis.
Ac, quia pestiferas pellis de MOSE tenebras,
Te merito aeternum mundus uterque colit z).

Haec de scriptis *Philippi Parei* sufficiant! Hoc tantummodo bene notandum, varia *Philippi* scripta *Danieli*, & rursus quaedam *Danielis* mendose tribui *Philippo* a). Non pauci b) errorem huncce erraverunt. Ceterum *Philippus* noster aetate sua Grammaticus omnium, quos umquam Germania viderit, diligentissimus, apprime industrius & maxime exquisitus habebatur c).

15.

---

z) Hoc *Philippus* patris commentario in Genesin Moysis opp. exeget. T. I. p. 4. praefixit.

a) Quod rectissime iam observavit *Gundlingius* in der hist. der Gel. T. III. cap. IV. Sect. IV. §. 50. p. 3649 — 3651. ibique in scholiis.

b) In quibus est *Morhofius* modo sub lit. l. & f. citatus, nec non *Ioecherus* l. d. Tom. III. p. 1254. atque ibid. p. 1257. seq.

c) Vid. *Gundlingius* l. c. & *Noltenius* l. d. p. 362.

15) *Pareum* noſtrum excipit *Ioannes Fridericus Chriſtarius*, Palatinus, egregius Theologus, pie eruditus & erudite pius; qui ſtudiis academicis rite abſolutis, ad varia munera eccleſiaſtica fuit admotus, & tandem eccleſiæ Monzingenſi tamquam Paſtor, vicinisque Inſpector præfectus. In bello tricennali, toti Germaniæ, potiſſimum patriæ noſtræ funeſtiſſimo, a patria exulavit. Vbi vero & quando hanc terreſtrem finiverit vitam, mihi prorſus eſt incognitum. Præter *Militem Chriſtianum*, quem deſcripſit atque edidit, nobis quoque reliquit ſequentem d) libellum, cuius integer titulus: *Monomachia Davidis & Goliathi*, ex libro 1 Sam. cap. XVII. Militi Chriſtiano annexa, a *Ioanne Friderico Chriſtario*, Poëta Palatino, ac Inſpectore Monzingenſe, Meyſenhemii exulante, & ſalutem Iſraëlis expectante. — Argumentum.

Bella Philiſtæi renovant, reparantur & arma,
Iudæosque fero territat ore Gigas.
Sed David victum proprio necat enſe tyrannum,
Quo cœſo, capiunt agmina tota fugam.

Allegoria.

Magnus erat Golias, permagna gerebat & arma,
Quæ formidandi Dæmonis arma notant.
Parvus & hic David, cum ſpretis quinque lapillis,
Deſignat Chriſti vulnera quinque mei.
Occubuit Satanas, cum magnis turpiter auſis,
Victoris Chriſti ſed rubra ſigna volant.
Grates dicebant tibi, David, virque puerque;
Et tibi, mi Ieſu, gratia magna fiet.

Anno ſalutis noſtræ M. DC. XXX.

Poſt

d) In carmine Latino heroico ſcriptum, in 8. ſine loco.

Vv

Post hunc titulum legimus subsequentia:

Cum *verbum Domini maneat* semperque manebit,
Cumque Polus cæli transeat, atque Solum e).

En:

Serenissimo ac Illustrissimo
Principi ac Domino
Dn. IOANNI, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, Biponti, Iuliæ, Cliviæ, ac Montium, Comiti Veldentiæ & Sponhemiæ, de Marca & Ravenspurg; Domino in Ravenstein, &c. Domino meo clementissimo, hanc sacram Monomachiam, ex divino verbo, in æternum mansuro, depromptam,
in piæ posteritatis memoriam, & felix anni auspicium, strenæ & gratitudinis ergo
D. D. D. C.
Io. Fridericus Christarius, Palatinus.

Ad divum IOANNEM, Principem Palatinum.
IANE, Pater patriæ, sis felix sitque beata
Stirps tua; nam IOVAE tu sacra verba colis.
Hinc, ceu palma, vires, ut vitis ovatque *Loysa*, Ps. I. 2, 3.
Et tua progenies floret ut alta cedrus. Ps. XCII. 13, 14, 15.
Hæc bona dantur ei, coluit qui verba IEHOVAE, Ps. CXXVIII.
Postque dabuntur ei cælica regna. Vale.

Deinde in pagellis sedecim ipsa sequitur monomachia, continens quadringentos quatuordecim versus, eosque elegantissimos.

16) *Ioannes Nicolaus Zimmermann*, Crucenacensis, poëta laureatus, ætate sua non incelebris; qui statim post bellum tricennale, nimirum an. 1651. die XI. Iulii Oppenhemiensis ludi litterarii, iuxta eiusdem scholæ collaboratorem *Henricum Rittershagen*, Rector constituitur f).

17) *Casp.*

e) Luc. XXI. V. 33.

f) Vid. nostra comment. hist. de Oppenhemio §. XL. p. 180.

17) *Casp. Fridericus Martini*, qui an. 1675. fuit Rector Gymnasii Crucenacensis, in utraque litteratura satis versatus g).

18) *Iosua Conradus Timannus*, Nicrogemunda-Palatinus, natus ibidem d. XXVIII. Maii st. v. (VIII. Iunii) an. 1664. Patrem habuit *Iosuam Timannum*, primum alibi, postea ecclesiasten Eppingensem, matrem vero *Annam Margaretham*, *Ernesti Andreæ*, Pastoris & Inspectoris Weinhemiensis h), filiam. Noster, fundamentis studiorum propædeuticorum, tunc temporis plurimi æstimatorum, feliciter iactis sub Rectore *Ernesto Andreæ*, scholæ Neostadianæ præfecto, *Godofridi*, Inspectoris Crucenacensis filio natu maximo, Heidelbergæ studiosorum numero in athenæo Sapientiæ adscribitur. Studiis academicis rite imbutus, ab electorali Senatu ecclesiastico die XV. Sept. an. 1686. ad pædagogii Crucenacensis Conrectoratum evocatur. Sed eidem muneri haud diu præfuit; denatus namque die XXIV. Maii (IV. Iunii) an. 1690 i), & quidem Rüdeshemii in pago Rhenensi. Sermo funebris, numquam vero typis publicatus, Crucenaci in templo maiori die VII. (XVII. st. n.) Octobr. an. 1690. habitus est a *Ioanne Adamo Wagnero*, Wolfshemiensi, tunc primæ classis discipulo, postea s. Ordinis candidato, & an. 1701. Gymnasii Heidelbergensis præceptore k).

g) Conf. Pfarr- und Schul-regifter de d. anno, & hochzeitliche Freudenblum, welche bey dem hochz. Freudenfest des tit. *C. F. Martini*, Rect. zu Creuznach mit der Iungfr. *Iudith Haanin*, so den 24. Nov. 1675. vollzogen, ausgestreuet von *Iackli Rainusli* & *Bandle Rudolph* von Ulm Gebrüdern. Heidelb. in 4.

h) De quo fusius egimus in Weinhemio Palat. p. 33.—37.

i) Sterbreg. der Pfarrern de d. anno.

k) Quod iam sæpius laudatus D. *Büttinghausen* monuit in den Beytr. zur Pfælz. Gesch. vol. II. P. III. p. 240; nos in hist. Gymn. Heidelb. §. 16. p. 20.

19) Cognato comitem adiungimus *Godofridum Andreæ*, cum alio *Gottfr. Andreæ*, Eilenburgenſi, nato d. XIV. Octobr. an 1618, minime confundendum l). Noſter, ſi quis alius, variis, propemodum innumeris, iisque duriſſimis ac periculoſiſſimis fatorum procellis fluctibusque iactatus, tandem in portum pervenit tutiſſimum, Inſpector eccleſiarum Crucenacenſium deſignatus. Vitales auras primum adſpexit Braunfelſii in Comitatu, nunc Principatu, Solmenſi, d. XXVII. Iulii an. 1611. Optimus ipſius Pater fuit M. *Tobias Andreæ* m), Concionatur aulicus & ceterarum in toto Comitatu eccleſiarum Ephorus, mater autem *Margaretha*, celeberrimi illius M. *Ioannis Piſcatoris*, Theologi Herbornenſis n), filia natu maxima. Hinc etiam ipſe *Piſcator* Albo, quod vocant, nepotis ſui inſcripſit: *Ad Gotfridum nepotem meum*:

„Sacro in baptiſmo *Gotfridi* es nomen adeptus;
„Det Deus, ut ſemper pace fruare ſua.

An Gotfrid meinen Enckel:

„*Gotfrid* im Tauff genennet biſt;
„Der Fride Gots zu aller Friſt
„Dein hertz bewahr, und läeire dich
„Zu frid und liebe ewiglich.
Io. Piſcator F. Braunfelſii, 19. Aug. 1611.

Noſtro *Godofrido Andreæ*, puerulo vix quinquenni, per mortem fuit abreptus pater probiſſimus; qui decem poſt ſe ſuper-

l) Vid. cit. *Dunckelius* in den hiſt. crit. Nachr. vol. II. P. II. p. 237. ſeq.

m) Qui diſtinguendus a conſanguineis ſuis, utroque *Tobia*, altero Groning. altero Franequer. Profeſſ; de quibus egit meus *E. L. Vriemoet* in Athenis Friſiacis p. 602.

n) Conf. hiſt. Gymn. Heidelb. §. 8. p. 11. ſpicil. II. p. 7. & ſpicil. V. p. 6.

ſuperſtites reliquit liberos, nimirum octo filios, qui ad unum omnes ad lectiones academicas ſollemniter promoti, artibus ingenuis & ſcientiis ſedulam navarunt operam o); in qubius *Godofridus* fuit natu minimus: & duas filias, quarum natu minima, nomine *Iohannata*, eodem die, quo pater ſepultus, ſacro tingebatur lavacro. Mater itaque vidua triſtiſſimos vitæ caſus ſubiit poſt obitum mariti; ſed tamen in viduitate ſua ſemper clementiſſimum auxilium & providam ſummi Numinis curam evidentiſſime perſenſit; immo ſæpius ad maximum ſuum ſolatium memor fuit ultimorum verborum, quibus coniux ante deceſſum ipſam adloquutus conſolabatur, nempe horum: *Hauſſfrau, bekümmert euch nicht all zu ſehr um meinen Tod; verlaſſ ich euch nicht groſſ Geld und Gut, ſo verlaſſ ich euch doch einen gnædigen und barmherzigen Gott, der euch und eure Kinder verſorgen wird.* Iisdem quoque verbis mærentia liberorum pectora mirum in modum leniit. Interim probiſſima & apprime pia mater filiolum *Godofridum* non Braunfelſii tantum, ſed poſtmodum etiam Herbornæ in ſtudiis pietatis artiumque liberalium erudiendum ingenti ſollicitudine curavit, adeo ut quoque in Athenæo Herbornenſi ad publicas, quas vocant, lectiones fuerit rite promotus. Hinc ſtudiorum ſuorum ad altiorem gradum promovendorum gratia Bremam, Groningam, Lugdunum Batavorum atque aliorſum contendit, ibique ab ore virorum celeberrimorum avidiſſime pependit.

Deinceps itinera litteraria in peregrinas ſuſcipit regiones. Nam in itinere Helvetico avunculi ſui M. *Philippi Ludovici Piſcatoris* Achates fuit fidiſſimus. Ambo per urbem Naſſoviorum Diezam feliciter viam direxerunt Baudobrigam (Boppart,) Baccharacum, Bingium, Moguntiam, Oppenhemium, Wormatiam Vangionum, Spiram Nemetum, Argentoratum, ubi tamen

o) Conf. noſtrum Weinhemium illuſtr. §. XIII. p. 33. ſeqq.



non diu propter peſtem, qua iam tunc temporis aliquot millia hominum fuerant abrepta, hæſerunt, porro Colmariam, Baſileam Rauracorum, Scaphuſium, caſtra Conſtantia, Fanum S. Galli, Tigurum, Solodurum, & tandem perrexerunt Bernam, ubi in ædibus *Andreæ* ſororis, *Gabrieli* de *Lüternaw*, Patricio Bernenſi, nuptæ, diverterunt, ibique quatuor permanſere hebdomadas. Poſthac Berna proficiſcuntur Lauſonium, ubi binos viros, eruditione probitateque celebratiſſimos, nempe *Rheinhardum* generumque ipſius *Müllerum* ſalutaverunt; præterea Genevam, ubi avunculus noſtri a ſuo ipſius adfine *Iuſto Rhodio*, Græcæ linguæ Profeſſore, hoſpitio fuit exceptus; Sed *Godofridus* apud illuſtriſſimos Iuvenes Neowiedæ Comites, ipſorum rogatu, divertit, quoniam ii antea Herbornæ in *Andreæ* matris domicilio habitarunt. Tribus menſibus feliciter effluxis, ſeſe ad reditum accinxerunt, & circa nundinas paſchales ad locum ſibi propoſitum dextro pervenerunt omine.

Anno ſuperioris ſeculi viceſimo octavo *Bethlem Gabor*, Princeps Tranſilvaniæ, legatum Herbornam miſerat, ad Profeſſores nonnullos, qui ſcholam illuſtrem Albæ *Iuliæ* Tranſilvanorum erigerent, ſeligendos. Selecti vero ſunt & evocati *Andreæ* noſtri avunculus, ſive matris frater, ſupra laudatus *Ph. Ludov. Piſcator*, *Ioanne Piſcatore*, Theologo Herbornenſi, natus, cum *Ioanne Henrico Alſtedio*, & *Io. Henr. Biſterfeldio*, viris tunc clariſſimis. Quam vocationem non recuſantibus, cuilibet centum ducati pro viatico ſeu viæ auxilio traduntur. Horum triumvirorum in itinere per Germaniam & Hungariam ſocius fuit noſter *Andreæ*. Propter immaturum autem *Bethlem-Gaboris* obitum a Principe *Rakocio* ſchola fundata fuit in domo fuſoria ſive in officina monetaria, dicta ſchola *Bethlemio-Rakociana*.

Quum



Quum vero anno MDCXXIX. *Godofridus* albo novæ istius scholæ nomen suum dedisset, studia sua ulterius prosequi & urgere studuit; sed tamen propter varia servitia, iuvenes ingenuos minime decentia, in scopo suo attingendo vehementer impeditus, & paulo post gravi morbo implicitus fuit, usque adeo ut ei Transilvaniæ tædium obrepserit maximum, atque in Germaniam regredi meditatus fuerit. Quod propositum, cum animadvertisset, avunculo minime displicuit, dummodo occasio redeundi præsto adesset. Interim noster ante suum abitum desiderio flagravit, invisendi Constantinopolin, novem dierum iter ab urbe Alba Iulia, seu Weissenburgo, distantem. Quamvis quoque exoptata occasio se sisteret propositum suum exsequendi per Legatum GVSTAVI ADOLPHI, Regis Sueciæ, *Paulum Strasburgerum;* utpote qui, Alba Iulia iam bis ad Portam Ottomannicam profectus, nostro promittebat, ut secum gratuito sine sumtibus suis proficisci posset; sed tamen febri rursum correptus, a proposito abstinere cogitur.

Postmodum alia in patriam redeundi occasio se obtulit *Godofrido;* quippe qui in comitatu cuiusdam gemmarii *Philippi Milckaw*, Francothaliensis, sese ad iter paravit, eoque fini equum, quo veheretur, emit, & d. XI. Iulii iter inchoavit. Hi igitur itineris socii non sine magnis vitæ periculis per Poloniam & Germaniam advenerunt urbem Erfurtum, inde vero per silvam Thuringicam tandem Herbipolin. Quum autem Herbipoli per dies aliquot quietis gratia commorarentur, noster mercatori comitique suo valedixit, indeque per flumen Mœnum Hanoviam, deinde Francofurtum contendit. Cum vero Hanoviæ in diversorio ad signum Gigantis diverteret, atque ibidem nonnulla de itinere Transilvanico, speciatim de avunculo *Piscatore* narraret, hospes maxime fuit gavisus, subiungens: *Piscatoris Transilvani fratrem nuptias haud ita pridem in ædibus suis celebravisse.*



viſſe p). Poſtridie noſter ab *Abrahamo Rhodio*, ſamiatore adamantis, conſobrino ſuo, in hoſpitium recipitur. Poſt octo dierum ſpatium perrexit Francofurtum ad Mœnum, inde Weinhemium ad ſtratam montanam, ſuis exoptatiſſimus adveniens. Nam ibidem frater eius *Erneſtus* tunc temporis erat eccleſiaſtes, qui ſecum habebat matrem & *Iohannatam*, ſororem natu minimam q).

Qua occaſione *Godofridus* fratri ſcopum aperuit, nempe propoſitum ſuum in Belgium proficiſcendi, atque ibidem ſtudia philologica & theologica, quæ apud Tranſilvanos negligere invitus debuiſſet, ulterius proſequendi & abſolvendi. Quem ſcopum itineris litterarii frater adprobavit, quamvis matri gratius fuiſſet, ſi in Palatinatu permanſiſſet. Tunc temporis fratri quoque ſignificavit *Erneſtus*, eum potuiſſe, ſi ante quatuor hebdomadas adveniſſet, munus Rectoris Weinhemienſis ſcholæ nanciſci. Ceterum, ut eo certius tutiusque ſcopus attingeretur, multo conſultius eſſe dixit, primum Groningam litteras mittere ad *Henricum Altingium*, S. S. Theol. D. & Prof. primarium, eiusque paternum rogare conſilium. Id quod etiam factum. Interea temporis, donec reſponſoriæ Groninga redirent, *Andreæ* noſter tempore hiemali Herbornam proficiſcitur, & quidem ad ſupellectilem aliaque, quæ mater ibidem reliquerat, vendenda, præſertim autem ad bibliothecam, quæ Herbornæ adſervabatur, inde repetendam & Weinhemium transportandam. Hoc igi-

p) Hic erat *Ioan. Georgius Piſcator*, primum Diaconus Herbornenſis, poſtea Eccleſiaſtes Pfaffenſchwabenhemienſis in Palatinatu; (ſupra §. XVII. b. pag. 65. ſeqq.) deinde idem propter totius Palatinatus devaſtationem ſe contulit in Belgium fœderatum, ubi in pago Comitatus Zütphanienſis ter Borgh dicto Paſtor nuncupatus, tandem Zwollæ, ubi per multos annos eccleſiæ CHRISTI bona cum laude ſerviit, atque ibidem terreſtrem finiit vitam.

q) Vid. Weinhemium l. d.

igitur itinere & negotio feliciter peracto, Weinhemium rediit. Interim in absentia sua accidit, ut Weinhemienses scholæ trivialis Rectorem, propter turpem flagitiosamque vitæ rationem de gradu dignitatis deposuerint. Quare Magistratus per duos Senatores ipsi *Godofrido* unanimem ad Rectoratum scholæ vacantis vocationem obtulerunt. Verum autem, quoniam responsoriæ *Altingii*, quem patris loco semper habuit, nondum aderant, Weinhemiensibus pro singulari in se benevolentia gratias egit, simulque iis significavit humanissime, se rursus Musas Belgicas salutaturum esse, & sub earum præsidio studia ulterius exculturum. Quum autem Weinhemienses nostro vehementer instarent, tempus deliberandi ad octo dies sibimet erogitavit, quod singulas in horas a D. *Altingio* litteras exspectaret. In responsoriis, quæ paucis diebus post accedebant, consilium *Altingii* illud erat, ut noster in Palatinatu permaneret, & quamcumque honorificam amplecteretur vocationem. *Altingius* videlicet promisit, se, imminente verno tempore, in Palatinatum Electoralem esse venturum, ibidemque ecclesias & scholas, ex auctoritate Serenissimi Principis Palatini ordinaturum, atque ea occasione paternam omnino pro *Godofrido* curam gesturum.

Hisce litteris, hocce consilio noster permotus, vocationem benigne sibi oblatam non denegavit, siquidem potissimum animadverteret, matri suæ hanc vocationem placere, atque satis acceptam esse. Quo facto, systaticis a Proceribus Weinhemiensium instructus, se confert Heidelbergam, atque a Senatu ecclesiastico legitimam huius vocationis confirmationem repetit, eamque eo citius eoque facilius accipit, quod laudatus Senatus ex nostro audiverit, se in pulvere scholastico, quem iam tum abhorrebant ecclesiastici, nolle vitam finire, sed potius ad ecclesiasticum adspirare suggestum r).

Godo-

r) Hic obiter monendum, tunc Rectoris Weinhemiensis salarium fuisse quatuor & centum florenos, quorum pars quarta singulis semestribus

Godofrido igitur munus ſcholaſticum adgrediente, centum & triginta numerabuntur diſcipuli, quorum in numero viginti quatuor erant, qui in rudimentis Latini ſermonis erudiebantur; reliqui vero tradebantur præceptori, quem tunc collaboratorem nominabant, ita tamen, ut tirunculos, quorum viginti propemodum erant, noſter in ſua diſciplina ſponte retineret, affatim expertus, collaboratorem, Orbilio Horatiano plagoſiorem, parvulos illos nimium ſevere nimiumque dure tractare. Ludo itaque litterario tam egregie inſtituto & conſtituto, mirum in modum gaviſi ſunt parentes; ſed illorum gaudium, licet iuſtiſſimum, non diu durabat. Nam, quum anno ſuperioris ſeculi triceſimo quarto, vindemia vix finita, prælium fuiſſet commiſſum prope Nordlingam, & Suedi cladem accepiſſent ingentem, ingenti miſeria non univerſa tantum Germania, ſed noſter quoque Palatinatus premebatur. Superſtes namque Suedorum exercitus viam carpit per patriam noſtram. Suedos inſequuntur Cæſarei, qui Weinhemium certis ſub conditionibus occupant; ubi etiam per quatuor ſeptimanas ſtatio prætoria fuit, ita ut cives ineffabile & prorſus irreparabile paſſi fuerint detrimentum (s). Verum autem, tempore occupati Weinhemii frater noſtri *Erneſtus*, qui tunc centum quinquaginta medimnos frumentorum variæ ſpeciei cum ſex generoſiſſimi vini plauſtris amiſerat, Francothalii hæſit, & quidem eo conſilio, ut nuptias cum *Suſanna Margaretha*, ſuperſtite p. m. *Ioannis Leonardi Engelii,* Senatoris Heidelbergenſis, optima filia, ſi fieri poſſet, celebraret; ſed tamen in laudabili propoſito propter turbas bellicas impeditus, usque eo ut ob itineris periculum ne redire quidem potuerit. Ceterum *Godofridus* matrem

ſolvebatur, duodecim medimnos frumenti vel farris, duodecim plauſtra lignorum, dimidium vineæ iugerum, pratorum modum, ædificium ſcholaſticum, tunc bene exſtructum iuxta templum & curiam.

s) In Weinhemio cit. §. XII. p. 30.

matrem & iuniorem ſororem transferendas Wormatiam cautiſſime curavit; adeoque ipſe ſolus Weinhemii remanſit, omnibus bonis poſtea ſpoliatus. Interea, dum meditaretur, quo pacto rapaciſſimis evaderet hoſtibus, fortuito accidit, ut milites domeſtici cum noſtro ſal emerent; ſale vero coëmto, unus militum brachium ipſius ſemper tenebat, ut ne aufugeret; ſed noſter, caligine noctis omnia obtenebrante, militem in foro proſternit, atque in terram veluti arietat, quin immo, priusquam ſe recipit miles, in Archigrammatei domum, tamquam aſylum, avolat, & poſtridie circa horam tertiam matutinam iter ſuſcipit Wormatiam. Ibidem, propter innumerabiles moleſtias, quas Weinhemii pertulit, & propter frigora, quibus noctu fuit expoſitus, gravi laborare morbo cœpit. Hicce morbus a natalibus CHRISTI feriis usque ad feſtum diem Paſchatis duravit, quo *Godofridus* cura *Ioan. Caſp. Fauſti*, Med. D. & Prof. Heidelbergenſis, tum Wormatiæ exulantis, priſtinæ ſanitati feliciter reſtitutus. Ipſe igitur cum *Erneſto* fratre, qui pariter ibi morbo corripiebatur, exul aliquamdiu in dicto vixit oppido. Deinceps extremo mortis periculo mater ægrotavit; quæ etiam Wormatiæ poſt tres hebdomadas placide in Redemtore ſuo obdormivit, anno ætatis ſexageſimo. Ibidem cura *Godofridi* filii terræ mandatur honeſtiſſime. Funebrem orationem habuit *Ludwigius*, Paſtor Wormatienſis, ex præſcriptis dictis Apoc. XIV. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Hæc igitur omnium prima fuit, quæ in novo cœmeterio ſepulta, quod vetus mortuorum corporibus prorſus impletum eſſet. Nam eo tempore, præſertim anno dicti ſeculi triceſimo quinto, aliquot hominum millia partim peſte partim fame mortem occuberunt Wormatiæ, quoniam omnes domus propter bellica pericula peregrinis refertæ fuerant hominibus.

Quum vero frater *Erneſtus* convaleſceret, viresque recuperaret priſtinas, a Sereniſſimo Principe PHILIPPO LV-

 DOVI-



DOVICO, Palatinatus Adminiſtratore, rogatur, iter in exteras ut ſuſciperet regiones, atque in iis eleëmoſynas pro alendis Paſtoribus exulibus, ludimagiſtris, viduabus & orphanis colligeret. Quod etiam negotium in ſe lubenter recepit, ſeque cum *Adamo*, paſtore Laudenbacenſi in ſtrata montana, itidem exule, ad iter, auxiliante Deo, accinxit, idque per Helvetiam, Galliam, Angliam, Belgium, Boruſſiam, aliasque oras magno emolumento magnoque magiſtratuum adplauſu feliciter abſolvit.

Abſente autem fratre, *Godofridus* ſe rurſus Weinhemium ſuum contulit, officiumque eccleſiaſticum, quantum quidem Bellonæ furor permittebat, fideliter obiit. Quoniam vero Weinhemii, graſſante ibidem lue peſtifera, qua aliquot millia hominum oppetierunt, nullus aderat eccleſiaſtes, Inſpectore *Leonardo Bockio* Wormatiæ graviter ægrotante, noſter, ab oppidano Senatu rogatus, non ægrotis tantum ſolatia præbuit, ſed funebres quoque ſermones habuit, ita ut propemodum per ſemeſtre quotidie ſub dio concionatus fuerit, quoniam in dies triginta, quadraginta, quinquaginta, interdum plures erant ſepeliendi.

Poſtea Bavarici milites Palatinatum occupant, omnesque a parte Proteſtantium eccleſiaſticos exterminant. Hinc Weinhemienſes ex cœnobio Spirenſi catholicum acceperunt Paſtorem, qui tunc vulgo in plebis ſermone vocabatur *Paſter Baſtian;* utpote qui, Suedis regiones iſtas poſſidentibus, bona ſua nimium curta propter ſuam ipſius fugam amiſerat, eorum compenſationem, vel potius pœnam, ex quo iure neſcio, a *G. Andreæ* expetiit, ipſique quadringentos libros, ut aliquam bibliothecam, qua antea carebat, ex rapinis inſtrueret, audacter abſtulit. Tunc noſtro Weinhemienſes adhuc ex ſalario ſuo debebant triginta ſolidos imperiales; quos vero ob triſtisſima belli fata ſolvere nequibant; adeoque ipſi propter dictum

ctum debitum dabant chirographum, adiuncto minore civitatis sigillo. Promissis quoque suis post quatuordecim annos steterunt, dictam pecuniam ultro numerantes. Abiturientem simul egregio testimonio in membrana scripto, subiuncto civitatis sigillo maiori, condecorarunt. Quantum distamus ab illis temporibus! Hinc merito poëta Venusinus t):

Damnosa u) quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Postquam igitur Weinhemiensibus suis valedixit, Heidelbergam profectus, indeque fratris *Ernesti* sponsam ex domo matris, prandio finito, humanissime abduxit, addens hæc verba: *Se quidem nunc in funestissimo patriæ statu filiam ex matris domicilio abducere, sed tamen sese spem fovere certissimam, fore, rursus ut eam eamdem in domum induceret* v): Noster autem matri sponsæ valedicens, navi Wormatiam descendit, ibique sibi comitem adiungit sororem *Iohannatam*, inde Rheno Moguntiam pergit, deinceps sequenti die Francofurtum ad Mœnum tendit, ubi circa horam vespertinam quintam feliciter cum suis adventitat, ibique ut quatuordecim dies commoretur, invitatur. Hinc per Siegenam, Cassellas Hassorum, Hannoveram &c. tandem Bremam pervenit, sponsamque optimam fratri tradit dilectissimo; qui haud diu post in

 domi-

t) Nempe *Horatius* carm. lib. III. od. VI. ℣. 45. seqq.

u) In nitidissima *Alexandri Cuningamii* editione (Hagæ Comitum, 1721. 8.) legitur *annosa*.

v) Id quod etiam factum. Nam an. 1650. ex oppido Nicrogemunda fratri *Ernesto* obviam ivit, eumque cum coniuge in matris ædes faustissime induxit, & quidem in ipsissimum ædium locum, ubi quindecim annis ante superiora dixerat verba.

domicilio fratris *Wilhelmi*, civis & pharmacopolæ Bremensis w), per D. *Ludovicum Crocium* matrimonio fuerunt copulati.

Ernestus postmodum, nimirum anno dicti seculi tricesimo septimo, suadente D. *H. Altingio*, ad ecclesiam Dantiscanam abiit. *Godofridus* autem cum fratre *Tobia*, hist. & Gr. linguæ Professore x), discessit Groningam; ubi ipsi, per aliquod temporis spatium ibidem commoranti, duorum fratrum Dn. Dn. de *Uithuysen* ab *Altingio* offertur ephoria, quam quoque accipit. Videns autem & sentiens, se scopum suum cum ephebis, sibimet commissis, propter dissolutos ipsorum mores & debacchationes, attingere numquam posse, huic ephoriæ, nondum exacto anno, sponte renuntiat, atque aliquamdiu propria quadra vivens, studia sua continuat, & practicum sub *Altingii* ductu frequentat collegium. D. *Altingii* & D. *Francisci Gomari* auditor ultra biennium fuit. Quum vero frater *Ernestus*, ecclesiastes Dantiscanus, nostrum rogasset, ut per aliquod tempus ad se veniret, & in studiis privatim pergeret, anno seculi memorati tricesimo nono ex fratris *Tobiæ* consilio Groninga Embdam, Oldenburgum, Bremam, Stadam, Hamburgum & Lubeciam terra, atque inde mari Dantiscum fuit profectus, ubi mense Novembr. adpulsus, fratrem cum suis incolumes invenit. Licet statim post adventum in morbum inciderit, mox tamen prosperæ valetudini restitutus, privato studio, sed dirigente fratre, continuavit studia.

Verum autem, quoniam in Germania spes pacis adparuit nulla, desiderio flagravit Angliam invisendi, ibidem sermonem discendi Britannicum. Frater fratris propositum non modo

w) Legatur cit. Weinhemium §. XIII. p. 33.

x) Vid. ibid. l. d.

modo non improbat, ſed ipſi quoque neceſſarios ſumtus aliaque promittit itineris ſubſidia. Quocirca *Godofridus* anno MDCXLI. m. Auguſti Gedano Hafniam Daniæ intra paucos dies proſperrime adpulit, diebus aliquot ibidem commoratus, omniaque commemorabilia ſpectans & admirans. Poſtmodum nauta navim ſolvit Helſingora. Emenſo autem itinere quadraginta milliarium, tempeſtas exoriebatur vehementiſſima, ita ut ad Norvegiæ ſaxa fuerint impulſi, & in ſeptima demum hebdomade Angliam proſpexerint. Tandem poſt varios caſus, poſt tot rerum diſcrimina deferuntur in portum Iarmuthi, quod Anglica milliaria centum diſtat a metropoli Londino. Hinc noſter ſequenti die cum comitibus ſuis equo vehitur; ſed propter nimis celerem equitationem deliquium animi patitur. Poſtero tamen die Gippovicum in Suffolcia advenit, ibique apud cuiusdam comitum ſuorum matrem, Paſtoris viduam, quæ ipſum curæ fideliſſimæ habuit, octo dies perſtitit. Integer autem reſtitutus, cum filio probiſſimæ viduæ equo delatus eſt Londinum. Quum vero per octo dies ibidem hæreret, facile perſenſit, ipſum oppidum ſibimet impedimento fore, ut ne ſcopum ſuum, qui erat Anglicæ linguæ mentem intendere, tangeret. Conſilium igitur cepit, ad laudatam viduam, quæ ſibi hoſpitium antea iam humaniſſime obtulerat, redeundi, redux autem in eodem hoſpitio tantum in dicto ſermone diſcendo profecit, ut intra menſis unius ſpatium omnia Bibliorum loca non ſolum intelligeret, ſed varia quoque loqui inciperet. In hoc oppido ſeſe in Anglico idiomate percipiendo diligentiſſime per totam hiemem exercuit, & cum paſtoribus oppidanis, v. g. cum *Ioanne & Ioſepho Wardtiis*, cum *Ioanne Wilkinſo* ceterisque familiarem contraxit amicitiam. Ibidem lanio quidam, nomine *Edwardus Hougthon*, *Godofrido* collybum tringinta ſolidorum imperialium, quos ſolvere poſtea non tenebatur, liberaliſſime dedit. Hieme vero exacta ſe rurſus Londinum contulit, ut ibi in virorum eruditione clariſſimorum notitiam veniret.

veniret. Cuncta quoque pio voto & desiderio competunt, adeo ut ibidem intra unius anni curriculum plures, quam trecentas conciones, seu sacras orationes, ex ore concionantium exceperit. Quamvis lubentissime binas illas ubique terrarum longe celeberrimas academias, Oxoniensem videlicet & Cantabrigianam invisisset, turbæ tamen bellicæ & tumultus inter Regem ac Supremum in Anglia Senatum, quem vulgo *Ober Parlement* adpellitant, illi proposito vehementer obstiterunt.

Quum anno dicti seculi quadragesimo tertio *Ioannes Schuius*, extraordinarius ecclesiæ Gedanensis pastor, Londinum transfretasset, & quidem eo fine, ut D. celeberrimi *Twissi* filiam primogenitam, cui sollemniter desponsatus erat, humanissime expeteret & feliciter secum domum abduceret, rogavit nostrum, ut semet usque ad oppidulum Newburis in D. *Twissi*, futuri sui soceri, domicilium comitaretur, atque nuptiis celebrandis tamquam amicus interesset. Id quod etiam roganti propter pyladeam iam Groningæ conciliatam amicitiam recusare noluit. Qua occasione quoque in intimam *Twissi* familiaritatem admittitur. Nuptiis vero rite celebratis mensseque revoluto, novi coniuges mari Dantiscum repetunt, & quidem itinere intra septem dierum spatium auspicatissime peracto.

Præterea *Godofridus* vehementi trahebatur desiderio, Galliam quoque visitandi, Gallorumque mores noscitandi & sermonem addiscendi. Hinc istud consilii *Ernesto* fratri patefacit; qui isti itineri consensum eo lubentius ideo præbuit, ut sibi variis in rebus officia Lutetiis Parisiorum præstare posset. Quapropter m. Iunio ex Reya Angliæ vela dedit, & postridie navis feliciter Deppæ portum intravit. Inde equo fertur Rothomagum (Rouan), Normanniæ metropolin; hinc perrexit Parisios, ubi apud adfinem suum *Ioan. Christophorum Boschen*,

Boſchen, mercatorem, divertitur. Quoniam autem animo præſagiebat, ſeſe ibi, propter frequentiſſimos Germanos, qui quotidie adfinem compellare ſolebant, in diſcendo ſermone Gallico impeditum iri, ſuaſu adfinis ſe Cæſarodunum ſeu Turionum (Tours), tractus Turonenſis urbem, recepit, *Francifco Moreau*, magnario, de meliori commendatus, apud quem per menſem moratur; deinde in publicum diverſorium idque honeſtiſſimum abit, licet ſingulis diebus dominicis apud dictum *Moreau* prandium cœnamque ſumſerit. Ibidem ſincera *Corterii* & *Forentii*, paſtorum, familiaritate fuit uſus. Elapſa hieme, urbibusque Salmurio, Andegavo, Nannete aliisque ſpectatis, Pariſios pedem retulit, ut ibidem *Erneſti* fratris negotia, præſertim in libris varii generis quovis pretio coëmendis, exſequeretur. Pariſios introgreſſus, fratris epiſtolam cum collybo quadringentorum coronatorum invenit, adiuncto mandato, ut omnes Patres eccleſiaſticos & Græcos & Latinos compararet, eosque curaret nitide compingendos, compactos autem Dantiſcum transmitteret. Fratris quoque voluntati ſatisfecit.

Pariſiis degens, permultas a dilectiſſima ſorore *Eliſabetha*, *Abrahami* de *Werth*, Patricii & Theſaurarii reipublicæ Bernenſis, coniuge, litteras accepit, quibus etiam atque etiam rogabatur, reditum ſuum per Helvetiam inſtitueret, ſeque ipſam Bernæ ſalutaret. Quo ſini non tantum omnes itineris promittuntur ſumtus, ſed revera quoque quinquaginta coronati per collybum transmittuntur. Quæ ſororis benignitas fratri mirum in modum placuit. Proinde, m. Novemb. anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimo quarto, Pariſiis diſceſſit, rebus antea memorabilibus in fano S. Germani atque in fano S. Dionyſii conſpectis. Inde per Nivernum, Borbonium Arcimbaldi & Rothomagum nona die advenit Lugdunum Gallorum; ibi tres dies quieſcens, perrexit Genevam, ubi apud adfinem ſuum *Iuſtum* morabatur, qui ipſum duxit ad



celeb. *Ioannem Deodati* & *Theodorum Tronchinum*, qui domum, quam olim *Ioannes Calvinus* inhabitaverat, & lectum, in quo idem mortuus, nostro ostendebat, atque tandem ad *Iustum Gerstenbergerum*, natione Hassum, cœtus Germanici Genevensis pastorem: quorum omnium amicitia dignissimus iudicabatur. Geneva tendit Lausonium, ibique compellat *Rheinhardum*, Gr. linguæ Professorem, eiusque generum *Müllerum*, sibi statim in memoriam revocantes, eumdem *Andreæ* anno MDCXXVI. cum avunculo suo M. *Phil. Ludov. Piscatore* prima vice semet ipsos fuisse adlocutum. Inde iter suum prosequutus, auspicio bono Bernam pervenit, humanissime & hilariter exceptus a sorore & adfine, apud quos hibernavit. Inibi venit in familiaritatem Theologorum Bernensium, nempe *Stephani Fabricii*, Pastoris primarii, qui nostro in perpetuam sui memoriam commentarios suos practicos in Prophetas minores donavit, *Rütimeyeri* ex latere cognati, *Geringii* Palatini, & *Tscherii*, Pastorum Bernensium; item Doct. *Luthardi*, Theologi acutissimi & Professoris ordinarii, *Davidis Wilhelmi*, Baccharacensis, quocum antea Groningæ musas salutaverat academicas.

Adpropinquante insuper verno tempore, noster decrevit iter suum descendendo Rhenum continuare. Verum autem ante abitum laudatus adfinis *Abrahamus* de *Werth* in eius honorem omnes Professores & ecclesiæ Bernensis ministros humanissime ad cœnam invitavit lautissimam. Qua occasione erat ingenti lætitia perfusus adfinis optimus, ideo quod omnes invitati, excepto unico *Rütimeyero*, qui infirmitatem prætendens emansit, lubentissime comparuissent.

Postero die *Godofridus* sorori & adfini carissimis valedicens, honestissimo centum imperialium viatico dotatus, sub tutamine ductuque Dei T. O. M. viam ingreditur, eamque dirigit Turicum, ubi veterem & notissimum amicum *Io. Henr.* *Hottin-*

Hottingerum, quocum anno MDCXXXIX Groningæ litteris operam navaverat, invisit, ab ipso comiter & humane exceptus, atque in hospitio liberaliter tractatus per tres dies; quibus etiam salutavit senio iam confectum, magnum illum D. *Ioan. Iacobum Breitingerum*, ecclesiæ Tigurinæ Antistitem; utpote qui, audiens, nostrum *Ioannis Piscatoris*, Theologi Herbornensis, ex filia nepotem esse, in amplexum eius venit, & præ gaudio largas effudit lacrymas, propterea quod adhuc aliquem ex veteris sui Præceptoris posteris cerneret oculis. Proinde quoque in rei memoriam Albo Andreano inscripsit sequentia:

Σωφρόνως, δικαίως καὶ εὐσεβῶς.
Hæc tria perpetuo meditare adverbia Pauli;
Hæc tria sint vitæ regula sancta tuæ!

Clarissimus & venerabilis Vir Dn. Io. Piscator, *in nobili schola Herbornana Professor, Præceptor optime de me & popularibus meis meritus, hoc distichon manu sua Albo amicorum meorum inscripsit Herbornæ Nassav. anno* 1644. Ioan. Iacobus Breitingerus, *ecclesiæ Tigurinæ minister, ætatis* LXX. *Tiguri* 6. *Febr.* 1645 y).

Insuper ibidem, ut noster eo maiori gaudio & voluptate perfunderetur, magnificum & sollemne convivium in sic dicto Canonicorum conclavi fuit paratum, in quo Professores omnes & Pastores præsentes erant, excepto *Breitingero*, ob senectutem ædibus egredi non valente. Magistratus quoque nonnullas lagenas, rubro alboque vino impletas, itineris societati per adparitores dono transmisit, ita ut *Godofridus* nuspiam propemodum maiori, quam Tiguri, honore adficeretur.

 Disce-

y) Hic *Breitingerus* eodem anno, quo prædicta Albo amicorum *Godofr. Andreæ* inseruit, obiit Tiguri, verno tempore, prout in margine dicti libri legimus.

Discedens igitur, omnibusque fautoribus & amicis pro honore, quo cumulatus erat, gratias, quas posset, agens maximas, Tiguro Basiliam Rauracorum contendit, ubi per mensem remanet, donec iter cum mercatoribus Basiliensibus Francofurtum versus continuare quiret. In laudato oppido celeberrimorum Theologorum, v. g. *Theodori Zwingeri*, *Ioannis Buxtorffii*, linguæ Hebraicæ Professoris & Bibliothecarii, qui ipsi quoque magnificam, splendidissimam ac pretiosissimam Vniversitatis bibliothecam ostendit, item *Rudolphi Wetstenii*, D. *Amyraldi*, Gallici cœtus Pastoris, amicitiam sibi comparavit. Interim nundinæ Francofurtenses adpropinquant, sed istas nemo propter maxima pericula frequentare audebat. Periculis tamen non obstantibus, septem mercatores consilium capiunt, sub clementissimi DEI præsidio periculosissimum iter ingrediendi; utpote quibus se socium & comitem adiunxit noster *Andreæ*. Itineris itaque socii viam ad urbem Brisgoviæ Brisacum dirigunt, ut ab *Erlachio*, præfecto militum, viatorio instruerentur syngrapho. Quamvis quidem noster ab eodem præfecto litteris impune libereque proficiscendi gratia, quas adfinis de *Werth* sponte procurabat, munitus esset, eumdem tamen *Erlachium* honorifice submisseque compellavit, rogitans & percunctatus, utrum novis opus haberet litteris, quoniam suæ iam ante semestre scriptæ & signatæ, responsum accepit, novas sibi non esse necessarias, priscasque adhucdum valere. Verum autem societas abiturientium non citra militarem comitatum abire conatur; adeoque ex munimento Rhenano infra Brisacum adsumit signiferum cum duodeviginti militibus gregariis, vel peditibus; quorum quilibet unum, signifer vero duos imperiales usque ad urbem Argentoratum nanciscuntur. Ibi advenientes, quia iam nimis serum erat, in suburbio divertuntur, sed postridie oppidum ingrediuntur. Argentorato tempore subsequentis diei matutino descendentes Rheno, vagabundis occurrunt militibus, quibus pro redemtione haud parum pecuniæ solvere coguntur.

Godo-

Godofridus igitur Francofurtum contingens, reapſe prævidet, ſemet ante finitas nundinas progredi in Belgium non poſſe, interea temporis Hanoviam concedit, ibique binas matris ſorores, ſive materteras adhuc cælibes, præſentia ſua ſalutat, ſimiliter adfinem ſuum *Henricum von der Creutz*, Senatorem oppidanum, item *Conradum Henningium*, eccleſiæ Germanicæ ibidem paſtorem, nec non conterraneum ſuum *Guilielmum Chriſtoph. Heimium*, qui Albo noſtri memoriæ ergo ſequentia inſeruit diſticha:

Pax cum ſancta DEI dicaris, & inſuper ipſum
    Altera, quam geſtas, vox notet ecce Virum;
Mi *Gottfrede*, Dei vir ſis & pacis alumnus;
    Cæleſtis Princeps Pacis ad hæcce regat,
Te regat atque beët, quo cæli pace fruaris,
    Gottfredi Andreæ nomen & omen habe!

Finitis itaque nundinis, in ſocietate *Elzeviriorum*, clariſſimorum quondam bibliopolarum Leidenſium, Rhenum deſcendit usque ad oppidum Arnhemium; inde terra Nardam & Amſtelodamum fortunate perrexit. Quum vero ibidem adfines ſuos *Laurentium* & *Stephanum* de *Geer*, Dominos de *Gimo*, ſalutaviſſet, porro contendit Groningam ad fratrem *Tobiam*, atque aliquot menſes apud eumdem commoratus; ubi illuſtrem *Paulum Strasburgerum*, z) illuſtris *Ludovici Camerarii* generum, antea GVSTAVI ADOLPHI, potentiſſimi Suedorum Regis, Legatum ad *Georgium Rakocium*, optimum Tranſilvaniæ Principem, atque ad Portam Ottomannicam, fortuito offendit; in cuius notitiam iam anno ſæpius memorati ſeculi triceſimo ſecundo & triceſimo tertio

z) De qua re vid. mea comment. hiſt. litter. de quibusdam eruditis Palatino-Belgicis &c. Sect. III. in vita V. C. *Friderici Miegii* §. IX. p. 30. & 36.

Albæ Iuliæ pervenerat; a quo humanissime recipitur. Deinceps fratri ceterisque valedicens fautoribus & amicis, in comitatu laudati *Strasburgeri* profectus Lubecam fuit. Hinc ille in Suediam, noster vero Dantiscum transfretavit; ubi fratrem *Ernestum* cum suis sanos & incolumes reperit; ibi in practica Theologia se diligenter exercuit, atque in rure, & quidem in pago Nassenhuben, præfecti vel potius toparchæ Dn. *Gerardi Prœnen*, eximii litteratorum Mæcenatis, prædio, pro *Gerardo Bottingero*, Sobernhemio-Palatino, tunc memorati modo toparchæ pastore ordinario, varias orationes sacras habuit. Quare ipsum singulari favore & amicitia haud indignum iudicabat *Prœnenius*. Hic, audiens, nostrum in Transilvania fuisse, eum interrogavit, an in quibusdam suis negotiis iter rursus eodem, speciatim Weissenburgum, suscipere vellet? Licet huic generosissimo Domino, propter innumera beneficia, quæ per varios annos in Palatinos pastores & ludimagistros liberaliter contulit, sese omnibus in rebus lubentissime fuisset accommodaturus, humanissime tamen hancce rogationem abnuit, sufficientibus additis rationibus. Quum vero m. Decemb. ante diem Epiphaniæ CHRISTI Nobilis quidam cum servo, ab aula Transilvanica *missus*, Dantiscum advenisset, memoratus toparcha suam iteravit rogationem. Hinc repetito eius petito morem gerit, & d. VII. Ianuarii an. MDCXLVII. cum dicto Nobili Transilvano difficillimum & periculosissimum iter per Poloniam & Hungariam ingressus, tandem cum comite suo in oppidum, Hungarice nominatum Saros-Patach, adventat; quorsum etiam postridie accessit celsissimus Dominus *Sigismundus*, eximius Iuventutis Princeps, *Georgii Rakoci*, Principis Transilvaniæ filius secundogenitus; de cuius adventu pastores & præceptores huius oppidi, quoquot fuerunt, in oratione Hungarica sunt gratulati. Finita autem oratione, Princeps unicuique, atque ita quoque nostro, manum porrexit clementissime. Quoniam vero Nobilis, *Andreæ* comes, in eo oppido natus notusque

fuit,

fuit, animum viresque recipiendi gratia, dies aliquot ibidem conquiescunt. Præterea per urbes Debrezinum, Varadinum, Claudiopolin & Enyedinum recta pergentes, tandem ipsis Calendis Martiis dicti anni quadragesimi septimi Albam Iuliam auspicatissime deveniunt; ubi apud avunculi sui M. *Ph. Ludov. Piscatoris* viduam divertitur; postridie D. *Bisterfeldium*, philol. & theol. Professorem, salutat, ipsique rem omnem, cuius caussa huc accesserit, candide significat; qui quidem promittendo facilis, sed præstando difficilis, Charetis, Atheniensium quondam Ducis, dedit pollicitationes. Serenissimus autem Princeps percipiens, *Piscatoris* ex sorore nepotem adesse, sæpius eum ad convivium invitavit. Postquam vero noster anno subsequente laudato Principi valedixerat, simulque ab ipso publicam itineris fidem modestissime petierat, non illam tantum est nactus, sed Princeps etiam in perpetuæ suæ memoriæ tesseram nostro novum Testamentum Wallachicum benignissime donavit; quod prima vice sub regimine & auspicio suo in idiomate Wallachico typis edendum curavit Albæ Iuliæ, in fol. Hoc postea Testamentum *Ernesto* fratri dono dedit, eo bibliothecam suam ut exornaret. Quid? quod, quum Princeps eodem tempore iter in Hungariam susciperet, *Godofridus* non gratia tantum fruitus est, ipsum in comitatu sequendi, sed per totum quoque tempus ex mensa Principis cibos potumque sumendi. Insuper *Andreæ* valedicenti in urbe Varadino Princeps clementissimus litteras dedit ad Præfectum Tockæanum, ut nostro nonnullas vini Tockæensis lagenas, secum tamquam aliquod specimen Dantiscum asportandas, exhiberet. Quum vero *Godofridus* cum *Carolo* van *Dyck*, tribuno militum, qui Constantinopoli evaserat, Dantiscum indeque in Hollandiam profecturus, in urbe Saros-Patach adveniret, a Principe Iuventutis *Sigismundo Rakoci* benignissime exceptus, ex nec opinato accidit, ut brevi post idem laudatissimus Princeps iter Munkatsinum versus ingrederetur, tribunumque & nostrum rogaret, ut

ut ſeſe comites itineris adderent. Id quod recuſare noluerunt nec potuerunt, ſperantes, ſe in oppidum Saros-Patach redituros fore. Quod vero minime factum; ſed tamen, quum ipſis ex menſa Principis cibi per menſem porrigerentur, & quum viderent, Principem non tam cito regreſſurum, conſilium tandem capiunt, Munkatſino recta via Cracoviam Poloniæ procedendi. Quo pacto remanſere vini Tockæani lagenæ. Diſcedentibus igitur Princeps quatuor equites, armis bene inſtructos, dedit, qui eos trans fines comitarentur. Cracoviam autem contingentes octo dies ibidem ſe quieti tradunt. Inde per fluvium Viſtulam pergunt, & tertia hebdomade Dantiſcum præſentia ſua feliciter ſalutant; ubi noſter Dominum *Prœnenium* de negotiis in Tranſilvania ſibi commiſſis facit certiorem.

Poſtmodum in memorato oppido in morbum ſatis gravem incidit. Convaleſcens autem Dantiſci navem conſcendit, atque Amſtelodamum traiicit; ubi intra quatuordecim dies ad litus adpellitur; hinc Vltraiectum, Arnhemium, Emmericum, Reſium, atque porro per currum publicum *Coloniam* Vbiorum pergit. Inde Rheno adſcendit *Moguntiam*: hinc in navi vectoria ſe confert Francofurtum ad Mœnum, ubi offendit adfinem ſuum *Ioan. Leonardum Engelium*, Senatorem Heidelbergenſem, quocum Heidelbergam abiit anno MDCXLIX, & quidem eodem die, quo Bavaricum præſidium ex dicto oppido demigravit.

Omnibus autem rebus ratione cultus divini rurſus inſtituendis riteque ordinandis, atque eccleſiaſte nullo præſente, res propemodum in eo fuit, ut *Godofrido* prima concio demandaretur, niſi tempeſtive *Heimius*, Paſtor Hanovienſis, & *Sigelius*, ſenex Eccleſiaſtes Wachenhemienſis, adveniſſent, & ſacra inchoaſſent publica; ſed noſtro iniunctum erat, ut ſecundam precibus deſtinatam horam ex evang. D. Matth. cap. II. cele-

celebraret. Quoniam vero noſter nondum ad ſ. ordinem ordinatus, *Heimium*, tunc vicibus Conſiliarii eccleſiaſtici functum, ordinationem, quam vocant, decenter rogavit; cui rogatui quoque d. IV. Octobr. anni modo memorati Heidelbergæ in templo Spiritus S. ſatisfactum, præſentibus ſex paſtoribus, nimirum laudato *Sigelio*, *Drautio*, *Anhornio*, *Bachendorfio*, *Floreto*, & *Iacobi.* Quo ritu ſollemniter peracto, Weinhemium ad ſtratam montanam mittitur, ubi primam poſt ordinationem habuit concionem, d. XX. Dominica Trinitatis; poſt meridiem ibidem ex verbis D. Apoſtoli in ep. II. ad Timoth. IV. 7. *bonum certamen* &c. funebrem propoſuit ſermonem. D. XXI. Trinitatis rurſus Weinhemii ſacra peregit; die XXII. in pago Rohrbach prope Heidelbergam; D. XXIII. Nicrogemundæ ſacroſanctam CHRISTI cœnam adminiſtravit. Hiſce ſacris interfuerunt ducenti homines, in quorum numero quinquaginta aderant ex proxime trans Nicrum adiacente oppidulo, Germanice Neckar-Steinach nominato. A. d. XXII. Novemb. ab ampliſſimo Senatu eccleſiaſtico munus Paſtoris vicarii in cœtu Nicrogemundano, cum pago Hagen, ab oppido dicto trihorium diſſito, liberaliter noſtro committitur. Verum autem haud diu poſt tamquam ordinarius eccleſiæ Nicrogemundanæ paſtor fuit confirmatus, prouti ex ſubſequenti Senatus eccleſiaſtici decreto publice facto pateſcit:

„Demnach auff ſpecial Befehl vnd Confirmation des „Durchleuchtigſten vnſſers gnaedigſten Churfürſten vnd „Herrn, Herrn Carl Ludwigs, Pfaltzgraven bey Rhein, des „H. Roem. Reichs Ertztruchſaſſ vnd Churfürſtens, Hertzo-„gens in Bayern &c. Vorweiſſer dieſſes der würdig—vnd „wohlgelehrte Herr Gottfried Andreæ zu Neckergemündt „zum Pfarrern verordnet worden; alſſ iſt ahn Beampte vnd „Gemeindt daſelbſten, vnſer Ends benahmten gebührliches „erſuchen vnd geſinnen, ſelbigen zu ihrem Pfarrer gutwillig



„auf- vnd anzunehmen, darfür zu erkennen vnd zu halten, „auch behörendter massen zu respectiren, zu gewisser Zeit „vnd gewoenhlichen Stunden seine Predigten fleissig, vnd „ohne eine liederliche Versaumbnis anzuhoeren; dessen von „Ihnen zu beschehen, von Vnss gaentzlich versehen. Vrkund-„lich Vnserer eygenhaendigen subscriptionen. So geschehen „zu Heydelberg den 27. Nov. 1649.

„Churfürstlichen Pfaltz Kirchen-Rhaet daselbsten, „Daniel Tossanus, Guilielmus Christophorus Heimius, Ioh. Sueitzer, Doctor a).

Ad dictum igitur officium publice inauguratus, anno primo singulis hebdomadibus quinque, immo etiam sex conciones habuit, siquidem propter penuriam concionatorum adhuc aliis undecim ecclesiis, v. g. Dilsbergensi, Wiesenbacensi, Bammenthaliensi, Geibergensi, Meckeshemiensi, Lobefeldensi, Zotzenhusanæ, Hagensi, Schœrbrunnensi, Wimmersbacensi, Schœnaviensi, inservire debuit. Quum autem anno sequenti istæ ecclesiæ suos nactæ fuissent pastores, ex omnibus hisce locis, præter Nicrogemundam, ipsius curæ dumtaxat castellum & communitas Dilsbergensis, tamquam filia, cum cœtu Wimmersbacensi tradebantur. In dictis modo locis per integrum decennium pro viribus suis s. Evangelium prædicavit, atque omnia, quæ veri Pastoris sunt, munia fideliter administravit, ita tamen, ut propter exiguum salarium ferme mille florenos e bonis suis adiecerit, quoniam pars salarii maxima ex minoribus maioribusque decimis, tunc temporis ob devastatos agros nimium exilibus, constabat.

In eadem statione matrimonium quidem inire voluit, sed non prius, quam frater *Ernestus*, qui Dantisco Weinhemium erat

---

a) Huius rei quoque meminit cit. *Dunckelius* in den hist. crit. Nachr. &c. vol. II. P. II. num. 1259. p. 239.

erat revocatus, ad novam ſpartam exornandam adveniſſet. Frater interim, Bremæ apud fratrem *Wilhelmum* adverſam ob valetudinem per totum annum hærens, ad coniugium commendavit honeſtiſſimam virginem, tunc Dantiſci degentem, ſed Norimbergæ natam, quæ *Godofrido* de facie quidem nota erat, ceterum vero ratione animi bonorumque prorſus incognita. Hæc erat *Helena Treſalia*, cuius pater *Antonius Treſalius* Præfectus fuit apud Principem Curlandiæ in oppido Goldinga. Avus autem paternus fuit *Ioannes Antonius Treſalius*, membrum Senatus Norimbergenſis, in quem iam tunc nemo, niſi patricius, recipiebatur. Reſpectu gentis maternæ dicebatur *Mitzia;* qui *Mitzii* tunc Amſtelodami, Coloniæ Agrippinæ & Baſileæ Rauracorum tamquam notiſſimi mercatores florebant. Fratrem eiusque lectiſſimam ſponſam d. XII. Aug. an. 1651. Nicrogemundæ matrimonio copulavit *Erneſtus*, Inſpector Weinhemienſis. Ex hocce coniugio d. XV. Aug. an. 1653. nata fuit filia *Eliſabetha*, denata m. Martio an. 1730. Secunda filia, nomine *Sara*, lumen vitale primum adſpexit d. VII. Iunii an. 1655. Præterea noſtro, ad conventum claſſicum tunc profecto, coniux d. XVI. April. an. 1657. primum peperit filium, cui nomina *Ioannis Wilhelmi* indita.

Inſuper ad *Godofridum*, eccleſiæ Nicrogemundanæ per integros decem annos laudabiliter & utiliter inſervientem, ſequentes ex improviſo mittuntur litteræ:

„Vnſſern Gruſſ zuvor, lieber Pfarrer vnd guter Freundt! „Demnach des Pfaltzgraffen Churfürſtliche Dhlt vff vnſſern „vnterthænigſten Vorſchlag genædigſt Euch zu der vacirenden Inſpection Oderheim, an des abgelebten Inſpectoris „Iacobi Roderi Stelle, gnædigſt anzunehmen. Alsz wird „Euch ſolches hiemit notificiret, mit Befehl, daſſ Ihr gegen „bevorſtehenden Freytag nach zehen Vhren Euch vnver-



„lengt im Kirchenrath einfinden lafft vnd die gewœhnliche
„præftanda præftiret. In deffen Erwartung, wir vns fæm-
„ptlich gœttlicher Protection ergeben. Signatum Heidel-
„berg den 5. Octobr. 1659.

Verum autem hancce vocationem quovis meliori modo declinaturus, fufficientes rationes, in primis maxime fincerum ecclefiaftici fui cœtus erga fe amorem, Senatui ecclefiaftico officiofiffime propofuit. Litteris autem Sereniffimi Electoris eam ob rem ipfi monftratis, fubmiffe petiit, ut fibi liceret, antea Odernhemium invifere, quam vocationi adftipularetur. Id quod ipfi benigne conceffum. Rediens itaque Senatum ecclefiafticum etiam atque etiam rogavit & obfecravit, ut in priftina fua ftatione permanere poffet. Sed vero D. *Io. Henr. Hottingerus*, tamquam Præfes Senatus, ipfi mandatum Electoris oftendit, quo *Godofridi* fucceffor in ecclefia Nicrogemundana iam erat nuncupatus. Quapropter mirum in modum obftupefactus, fuadente Senatu, fupplices, adiunctis duodecim iisque graviffimis rationibus, ad clementiffimum patriæ Patrem litteras dedit, precibus omnibus orans, & obteftans, ut ulterius cœtui fuo præeffe fibi clementiffime permitteretur. Interea, dum bona fpe pafcitur, vocatio ad ecclefiam Odernhemienfem his verbis iteratur:

„Vnfern Gruff zuvor, lieber Pfarrer, guter Freundt!

„Demnach des Herrn Pfaltzgrafen Churfürftliche Dhlt. vff
„dero vnterthænigft eingegebenes Memorial famt Ewerer
„beylag betreffendt die Infpection Odernheim gnædigft de-
„cretiret, dasz es bey dem vnlængft ertheilten gnædigften
„Refcript verbleibe, vnd Ihr als Infpector zu Odernheim
„angenommen werden follet; alsz wird Euch folches hiemit
„nochmalen notificiret, mit dem Befehl, dasz ihr Euch desz-
„wegen fertig machet, vndt vff zukünftigen Mitwochen bey
„Kir-

„Kirchenrath erſcheinet. Deſzen zu beſchehen, wir vnsz „verlaſſen. Signatum Heidelberg. den 28. Oct. 1659.
„Churpf. verordnete Kirchenræthe.

Quo facto permotus, fidem iurisiurandi ſtatuto tempore præſtitit. Nicrogemundanis igitur eodem die, quo ante decennium primam ad eos concionem habuit, dixit vale, egregio ſermone habito ex Act. Apoſt. XX. 27. Odernhemii vero Dom. I. adventus ſacri ab Archiſatrapa Alceienſi & Inſpectore *Ioan. Godofr. Floreto* toti cœtui repræſentatus, ſimulque ipſi Bibelnhemienſis eccleſia, tamquam filia, fuit abiuncta, ita ut quam plurimis non careret laboribus.

D. XIII. Martii an. MDCLX. ipſi ipſo die *Erneſti* natus fuit filius, quem in ſacro lavacro ſuſcepit modo laudatus *Floretus*, eique nomen *Erneſti* ex nomine defuncti fratris *Erneſti* impoſuit b). Die XVIII. Octob. an. MDCLXII. eius familia rurſum fuit aucta filiolo *Iacobo Friderico.*

Anno MDCLXIV. bello inter Electorem Palatinum, Archiepiſcopum Moguntinum & Ducem Lotharingiæ conflato, Odernhemium expugnatur a Moguntino, qui tamen illud, exacto menſe, Palatino reddidit. In hac obſidione multis moleſtiis multisque terroribus noſter cum ſuis concutitur, licet providam ſummi Numinis curam omnibus in periculis evidentiſſime perſenſerit. Poſt Moguntinos Lotharingici milites, contra omnes pacti conditiones, urbem intrantes, peſſime barbareque cives miſerrimos tractarunt, noſtroque minime pepercerunt. Odernhemienſibus, expugnato oppido, in Sereniſſimi Electoris CAROLI LVDOVICI, iuſtiſſimi & optimi Principis, offenſam incurrentibus graviſſi-

 mam,

b) Hic idem eſt *Erneſtus*, qui deinceps Gymnaſio Neoſtadiano præfuit Rector, de quo noſter D. *Büttinghauſen* l. d.

mam, *Godofridus* maximo fuit emolumento, quoniam pro iis, ut ne pœna in eos ſtatueretur, apud perilluſtrem *Chriſtianum*, Comitem Seynenſem & Wittgenſtenianum, tunc temporis intimum Electoris Palatini Conſiliarium & Burggravium Alceianum, intercedebat.

Anno MDCLXVI. d. XII. Martii intra octavam & nonam matutinam progenita fuit filiola *Ioanna Maria*, quæ anno ſeculi noſtri triceſimo primo, ætatis ſexageſimo quinto, diem obiit ſupremum. Eodem anno ſexageſimo ſexto m. Aug. Lotharingici, cæco furore inflammati, rurſus impetum in dictam urbem fecerunt, & civibus noſtroque maxima detrimenta creaverunt, quin immo eos opibus privarunt omnibus. Quocirca cives propemodum omnes, iuſto timore perculſi, oppidum deſeruerunt. Adeoque noſter etiam, conſentiente laudato Comite *Chriſtiano*, ſe cum ſuis Alceiam contulit, ibidem ab Inſpectore *Floreto* humane exceptus, & quidem ad trimeſtre. Deinceps Odernhemium ſuum regreſſus, per octo hebdomadas lue peſtifera laboravit.

Anno MDCLXVII. Sereniſſimus Elector Odernhemium acceſſit, omnia ibidem ſpectaturus ſtatumque urbis accuratisſime inquiſiturus. Qua occaſione Senatus oppidanus noſtrum rogavit, ut nomine totius civitatis clementiſſimum patriæ Patrem ſalutaret. Cui rogatui quoque lubenter ſatisfecit, atque ad varias easque difficillimas, quas Sereniſſimus Elector propoſuit, quæſtiones modeſtiſſime quidem, ſed tamen promtiſſime reſpondit. Præterea, anno ſequenti ſexageſimo octavo Moguntinis & Lotharingicis iterum adpropinquantibus, perterrefacti cives aufugerunt, ſeſeque trans Rhenum in Darmſtadianam receperunt ditionem. Proinde etiam noſter ad Wormatienſes confugit, atque apud eos per trimeſtre morari coactus fuit. Interim m. Sept. omnia abſentis victualia abripuerunt Lotharingici. Hoſtibus autem iisdem d. XVII. Octobr. ex oppido emigrantibus, *Godofridus* Odernhemium rediit.

Anno

Anno MDCLXIX. d. XX. Ian. intra nonam & decimam matutinam coniux ei peperit filiolum, cui in ſacro fonte nomina *Ioannis Danielis* c) indita. Anno MDCLXXIII. *Andreæ* noſter per obitum amiſit filium *Iac. Fridericum*, egregiæ ſpei puerum, anno ætatis undecimo. Anno ſeptuageſimo quinto d. XXVI. Ian. filia noſtri natu maxima *Eliſabetha* Odernhemii nupſit *Alberto Hoffmanno*, *Caſpari Hoffmanni*, Paſtoris Armshemienſis in Palatinatu, fratri, mercatori Hachenburgenſi in Wetteravia. Quamvis pater filiam generumque usque ad oppidulum Hachenburgum comitari lubentiſſime voluiſſet, hoc tamen fieri propter ſequentem cauſſam nequivit. Etenim iam d. XXVII. Decembr. anni ſuperioris litteras acceperat modo ſubſequentes:

„Vnſern Gruſſ zuvor, lieber Inſpector vnd guter Freundt! „Nachdem Ihro Churfürſtliche Dhlt. vnſer gnædigſter Herr, „auff Kirchenraths vnterthænigſten Vorſchlag Euch zum „Pfarrherrn vndt Inſpectorem zu Creutzenach gnædigſt angenommen, vndt dan die hœchſte Nothurfft erfordert, daſſ „euer Vffzug dahin, ſo viel müglich, beſchleuniget werde, „alſſ habt Ihr Euch gleich nach dem neuem Iahr anhero zu „begeben, vmb die gewœhnliche præſtanda zu præſtiren, „vndt bey Kirchenrath ferner Beſcheidt zu vernehmen. „Vnſſ damit gœttlicher Allmacht empfehlend. Heidelberg „den 23. Decembris, 1674.

Churpfaltz verordneter Kirchenrath.

Nova hæcce ad duplex illud graviſſimum munus, quod iam per totum annum erat vacuum, vocatio noſtro fuit inſperata prorſus & inopinata. Quam quoque tamquam legitimam hilari

c) De quo pluribus egimus in Gymn. Heidelb. §. 17. p. 22. ſeq. atque alibi.



hilari animo in se suscepit. Quocirca Heidelberga redux Odernhemium, ubi d. X. Ian. cultum divinum peregit, postridie profectus equo Crucenacum delatus est, ibique archisatrapiæ adsessoribus publicas vocationis suæ litteras atque edictum repræsentationis, quam adpellitant, decenter exhibuit, simulque Serenissimum Marchionem Badensem, tunc dominii consortem, de receptione sua, pro more consueto, imploravit, eamque statim accepit. Decretum eapropter fuit, ut sollemnis inauguratio per sæpius laudatum *Floretum* d. XVII. Ian. perficeretur. Id quod etiam factum. Sed vero *Godofridus* noster ante istum actum coram auditorio splendidissimo sermonem inauguralem de *officio Pastorum* ex Act. Ap. XX. 28. habuit.

Quamlibet quidem *Andreæ* certo crederet, quod *oppidanus* Crucenacensium Senatus novum suum Inspectorem eumque, qui ipsum inauguraverit, lauto, prouti in universo Palatinatu moris est, excepturus esset convivio, nemo tamen exstitit, qui ipsis poculum vini porrigeret. Huius autem neglectus caussa procul omni dubio fuit commune *dominium.* Quapropter noster amicum *Floretum* ad cœnam *invitavit apud* cognatum suum *Ioannem Engelium.* Quod factum utrique movit admirationem, præsertim cum expressum Serenissimi Electoris Palatini mandatum præsto esset, ut ad inaugurationem Inspectoris ecclesiastici duodecim, atque ad Pastoris octo floreni contribuerentur, nimirum pars dimidia a bonorum ecclesiasticorum Administratione, altera vero dimidia ab ipsius loci cœtu. Proinde haud parum miratus fuit hancce Crucenacensium inhumanitatem, sed tamen eo sustentatus solatio, quod legitime sit vocatus. Ibi anno MDCXCI per mortem non modo charissimam amisit coniugem, sed maximam quoque miseriam & durissima funestissimi illius belli Gallici incommoda vehementer est expertus. Quum vero quilibet incendia, quæ oppido Crucenacensi furibundi Gallorum milites

lites minitabantur d), merito timerent, propemodum omnes semet fugæ tradiderunt. Hinc noster etiam fuga salutem quæsivit, & multiplici amicorum rogatu, quin immo ex ipsius Senatus ecclesiastici adprobatione tandem abiit, & quidem in vicinum pagum Rüdeshemium e), eam ob rationem, ut concreditæ sibi ecclesiarum ephoriæ propior esset. Imminente vero periculo aliquatenus evanescente, nec non ferme omnibus in urbem redire incipientibus, *Godofrido* certissime decretum quoque fuit & constitutum, ad cœtum sibi dilectissimum sub DEI sui præsidio regredi. Verum autem d. XXII. April. modo memorati anni nonagesimi primi totum eius dextrum latus apoplexia corripitur, adeo ut ab eo temporis articulo quinquaginta & unam septimanas lecto valetudinario miserandum in modum adfigeretur. Quo in statu bellica pericula, quanta quanta quoque fuerunt, excelso & constanti, morbum autem diuturnum christiano animo toleravit.

Ex hac vita tandem placidus exiit anno dicti seculi nonagesimo secundo f), d. XVI. April. qui erat dies Mercurii, intra secundam & tertiam horam matutinam, an. aetatis octogesimo primo. Vixit igitur annos LXXX, menses IX, dies XI. Ecclesiis tamquam Pastor ordinarius quadraginta tres, tamquam Inspector vero triginta tres annos maxime fideliter & promtissime inserviit g).

Quo-

d) Supra §. XXXVI. p. 188. seqq.

e) De quo rursus supra §. XVIII. p. 104. num. 35.

f) Vid. index defunctorum, in tabulario Senatus eccles. adservatus ad dictum annum.

g) Hæc pleraque decerpsimus ex msc. *Godofr. Andreæ* vita; addatur Weinhemium nostrum l. c.

Quomodo ſeſe adverſus omnes ſine ullo hominum & religionis diſcrimine, tum in munere publico tum in toto vitæ curriculo ad ultimum vitae halitum usque, geſſerit, ſingulis, qui cum eo & poſt eum vixerunt, ſumma cum laude fuit notiſſimum. Praeſertim in ipſo patronum optimum amiſerunt pauperes, utpote quos per univerſam vitae aetatem usque ad beatum ſuum obitum multis cumulavit beneficiis, & quorum partim ex propriis, partim ex pecuniis, quas per frequentes easque ſupplices litteras ab amicis fautoribusque, quos habuit plurimos, collegit, curam habuit diligentiſſimam, adeo ut etiam, durante morbo, aliquot centum florenos, prouti ex computationibus & apochis patuit, inter ipſos diſtribuerit. Erga amicos ſe candidiſſimum, erga inimicos chriſtianum, erga beneficos gratiſſimum, in muneribus obeundis pium, graviſſimum & vigilantiſſimum, erga peregrinos optime adfectum, blandum, lepidum & ſuaviloquentem ſemper praebuit. Licet, ut ceteras ipſius virtutes, ne limites modeſtiae, quam cognationis officia ſuadent, tranſiliam, iam modo ſilentii velo involvam, licet, inquam, ſedulo ſtudiis inſudaverit, & multa ingenii monumenta chartae mandaverit, nulla tamen, quantum quidem novimus, propter varias peregrinationes, praecipue propter bella continua iuris fecit publici.

Ex omnibus hiſce igitur clariſſime pateſcit, maximam vitæ *Godofridi* partem fuiſſe apprime inquietam, ærumnoſam plurimisque expoſitam periculis. Hinc ipſum avunculus eius h), tamquam prognoſtes, admonuit his verſibus i):

Rebus in adverſis clara eſt PATIENTIA virtus,
Quae gaudet duram laeta ſubire crucem.

Eſto

h) Hic idem eſt *Ioan. Georgius Piſcator*, de quo ſuperius in h. §. num. 19. not. p.

i) Quos iam anno MDCXXXVI. d. XVIII. Sept. Albo nepotis ſui ex ſorore inſcripſit Groningæ exul.



Eſto igitur fortis, patienter quæque ferendo,
Sunt quoniam iuſtis multa ferenda mala.
Eſt tamen ex illis DOMINVS liberare paratus
Omnes, qui firmam ſpem retinere valent.

Et in margine: *In ſilentio & ſpe fortitudo mea.*

In fautorum & amicorum numero habuit quam plurimos, v. g. praeter ſupra dictos *Ioan. Pymium*, Britanniae equitem: *Ioannem Gerhardi a Beſten*, eccleſiæ Groninganæ Paſtorem k), qui d. XII. Sept. an. 1645. Albo noſtri in pignus memoriæ & benevolentiæ hæc ex Hugone adſcripſit: *Delicatus eſt, cui patria dulcis; fortis, cui omne ſolum patria; perfectus vero, cui totus mundus hic exilium eſt:* Marchionem *Ioannem Baptiſtam* de ſtirpe magni *Pompeii*: *Ludovicum*, *Ioachimi* F. *Ioachimi* N. *Camerarium*, I. C. Sereniſſ. Reginæ Sueciæ a conſiliis, qui Heidelbergæ denatus: *Paulum Strasburgk*, regiæ Maieſtati Sueciæ &c. a conſiliis, d. II. Sept. dicti ſeculi anno quadrageſimo quinto Groningæ commorantem: *Ioachimum Camerarium*, S. R. M. Sueciæ, eodem tempore Groningæ degentem: *Claudium Salmaſium*, in ſacro Regis Chriſtianiſſimi Conſiſtorio conſiliarium, qui d. XIV. Maii modo memorati anni Lugduni Batav. *Andreæ* noſtro benevolentiæ teſtandæ gratia hæc ſcripſit: *Reges ac dominos habere debet, qui ſe non habet: Bernardum Schotanum*, ICtum, apud inclytos Batavos iuris Anteceſſorem l): *Iacobum Triglandium*, Theologum Lugduno-Batavum, qui d. XX. Maii an. 1645. benevolentiæ teſtandæ cauſſa hanc ſui memoriam noſtro lubens reliquit hocce ſymbolo: *Sublimis & imus: Alexandrum Chambers*, Scoto-Britannum, tribunum militum: *Alex. Calvinum*,

k) Obiit Groningæ d. XIV. April. an. 1650. ætatis 58.

l) De quo, de cuius patre & fratre *Henrico* & *Meinardo Schotanis* eximie egit meus *Emo Lucius Vrimæt* in Athenis Friſiacis p. 226. ſeqq. pag. 36. ſeqq. & p. 246. ſeqq.



vinum, Theol. & linguæ Hebr. in academia Sedanensi Professorem: *H. Daxelhofferum*, Prætorem Bernensem: *Iac. Zieglerum*, D. Tigurinæ reip. a consiliis: *Samuelem Maresium*, S. Theol. D. & Prof. ord. in acad. Groning-Omlandica m): *Wilhelmum Curtium*, a potentissimo M. Britanniæ Rege in Germania Prolegatum, qui *Andreæ* nostro amicitiam & memoriam sui hisce commendabat: *Sunt, quibus cunctando peius, sunt, quibus melius fuit*: *Ioannem Polyandrum* a *Kerckhoven*, Theologum Leidensem, tunc temporis Academiæ Rectorem n): *Ioan. Buxtorfium*, S. Theol. D. & linguæ Hebr. in acad. Basil. Profess. ord: *Ioan. Forbesium* a *Corse*, SS. Theol. D. & Prof. Amstelodamensem: *Guil. Christop. Heimium*, Pastorem ecclesiæ Belgicæ Hanoviensis, postea Senatorem eccles. Heidelbergensem o): *Ioan. Althusium*, reipub. Embdensis Advocatum & Syndicum: *Ioan. Wilkinsonium*, V. D. M. Gippovicensem in Anglia: *Iac. Cranfordium*, ecclesiæ S. Christophori apud Londinenses Rectorem: *Ludov. Crocium*, S. Th. D. & Prof. Bremensem: *Gerardum Ioannem Vossium*, Prof. Amstelod. qui *Godofrido* ingentis adfectus minutum hocce posuit μνημόσυνον: *Vita longa bene temporis rationem ineunti: ars vero brevis, illa præsertim bene vivendi, quæ est artium ac scientiarum facile princeps: sed plerique omnes malunt argute differere, quam bene vivere: cum tamen illa disputandi prurigo sit scabies, immo pestis Ecclesiarum* p): *Conradum Bergium*, D. & Prof. Bremensem q): *Mosen Wallium*, in artibus Magistrum Cantabrigiensis collegii Emmanuelis: *Theodorum Zuingerum*,

---

m) Hic Leidam vocatus eoque migraturus, ad cælestem academiam evocatus est, d. XVIII. Maii, ipso Pentecostes die, an. 1673.

n) Huius mentionem fecimus de eruditis Palat. Belg. Sect. II. p. 24. seqq.

o) De quo superius p. 357. 360. seq.

p) De *G. I. Vossio* conf. quæ scripsimus l. d. pag. 32. seqq.

q) Hic Bremæ denatus d. XIII. Aug. an. 1642.

gerum, S. S. Theol. D. & Prof. academiæ Basil. p. t. Rectorem, & ecclesiæ ibidem cathedralis pastorem, qui ex *Gregorio Nazianz.* hæc scripsit:

Θυμὲ, βλέψον ἄνω, χθονίων ἐπιλήθεο πάντων.
Sursum, anime, specta, terrenaque spernito cuncta.

Quibus sequentes subiungimus, nempe *Frid. Spanhemium*, Theol. D. & Prof. Lugduno-Batavum r), cuius in honorem nostri symbolum hoc est: *Semper faciendum, quod factum vellemus novissime: Stephanum Fabricium*, ecclesiæ Bernensis pastorem s): *Georgium Langhans*, ecclesiæ Bernensis ministrum t), qui Albo nostri benevolentiae & memoriæ caussa hæc adposuit: *Si apud Deum deposueris iniuriam, ipse Vltor est; si dolorem, ipse Medicus est; si damnum, ipse Restitutor est; si mortem, ipse Resuscitator est: Conradum Blarerum de Geyersperg: Theodorum Tronchinum*, Prof. Genevensem: *Ioan. Steinbergium*, D. & Prof. Groninganum u): *Franciscum Gomarum*, tunc in alma Groning. S. Theol. D. & Prof: *Matthiam Pasorem*, Philos. D. & Mathem. Professorem Groninganum v): *Ioan. Wenceslaum de Schommert: Franc. Ludovicum* ab *Erlach*, liberum Dominum in *Spietz: Iac. Golium*, tunc in acad. Lugd. Batava Mathes. & Arab. linguæ Prof: *Wesselum Emmium*, Groning. ecclesiasten w): *Io. Phil. Pareum* x): *Georgium Pauli*, S. Th. D. Dantis-

r) De cuius patre, filiisque fusius egimus l. d. pag. 27. seqq. & sect. IV. §. III. p. 11. seqq. §. V. p. 23. seqq. & supra §. XLVI. num. 6. p. 291. seqq.

s) Obiit verno tempore an. 1648. Bernæ Helvetiorum.

t) Nempe d. XIII. Febr. an. 1645.

u) Hic pater fuit *Ioan. Melch. Steinbergii*, de quo laudatus *Vriemœtius* l. d. pag. 501. seqq.

v) De hoc *Georgii Pasoris* filio, vid. idem *Vriemœtius* p. 243.

w) Hic ex hac vita migravit Groningæ d. XXI. Mart. an. 1654. æt. 65.

x) De quo pluribus supra §. XLVI. num. 14. p. 304. seqq.



tiscanum: *Christoph. Lüthardum*, S. Th. Prof. Bernensem, qui ex *Cypriano* hoc monumentum nostro reliquit: *Exul non est, qui Deum in mente habet, cuius est terra: Ioan. Rodolph. Gygerum*, Med. D. & Phys. Prof. Tigurinum: *Ioan. Pet. Tomannum*, Th. Prof. Tig: *Io. Iac. Tomannum*, Tig. Prof. Logicæ: *Io. Iac. Wagnerum*, ecclesiæ scholæque Tig. ministrum, qui *Godofrido* exiguum hoc memoriæ benevolentiæque σύμβολον adposuit: *Non abduci fallaciis, non seduci blanditiis, non frangi iniuriis, magna virtutis est opus: Ioan. Iac. Huldricum*, ecclesiæ Tig. ad S. Spir. minist. & Consistorii Adsessorem: *Ioan. Wirtzium*, in colleg. Carolino Tig Prof. Logicæ: *Henr. Oræum*, ecclesiæ Germ. veteris Hanoviæ Antistitem & reliquarum Inspectorem: *Ioan. Iac. Frisium*, reipub. Tigur. Archiatrum, & colleg. Carolini Administratorem: *Ioan. Rodolp. Stuckium*, S. Th. Prof. Tig. & scholarcham: *Io. Guil. Simlerum*, collegii Parthenii superioris Inspectorem & Bibliothecarium civicum Tig: *Casp. Gesnerum*, V. D. M. & scholæ Tig. moderatorem: *Ioannem Irlen*, Th. D. & Prof. Herborn. ecclesiæ ibidem Pastorem & vicinarum Inspectorem: *Albertum Niclassium*, apud Dantiscanos ecclesiasten Petro-Paulinum: *Georgium Summer*, Neagora-Palatinum, pastorem Elisabethanum in ecclesia Dantiscana, qui in amicitiæ memoriam hæc adposuit:

Vna re opus est.
Soli fide Deo: soli constanter adhære,
A solo cunctis eripiere malis.

Aegidium Schickhardum, I. V. & philos. pract. Profess. Herbornensem: *Zachariam Rosenbach*, D. & Prof. Herborn: *M. Otthonem Zaunslifer*, Braunfelsio-Solmensem, ecclesiasten Amisfurtensem: *Frid. Crapium* alias *Blanckenpoht*, apud Herbornenses Med. D. eiusdemque & mathematum Prof. aularumque Nassovicarum Medicum: *Ioan. Casparum Faustium*, Med. D. eiusdemque in Heidelb. academia Prof. qui Wor-

Wormatiae d. VIII. April. an. 1636. se suique memoriam *Godofrido* commendavit hisce: *Punctum est, quod inter tot gentes ferro & flamma dividitur* y). *Petrum Dörken*, Log. & metaph. Prof. in schola Nassovica z): *Dan. Tossanum*, Theol. qui XIV. Cal. April. an. 1645. Basileæ hoc benevoli adfectus monumentum ex *Basilio* adscripsit: Θλίψις βοηθείας πρόξενος a): M. *Sam. Grynæum*, past. Leonh. Basil. *Berchtoldum Hallerum*, L. Gr. & philos. pract. Prof. Bernensem: *Iulium a Beyma*, Leovardia-Frisium, Collegii Ordinum provinc. membrum, qui Nostrum vocavit *amicum suum individuum*, ipsique hæc adscripsit:

Cum mecum reputem charos fidosque sodales,
O penitus toto corde recepte mihi!
Vnquam nemo fuit, non est, dum lumina solis
Adspiciam, non te gratior ullus erit.
Perque tot annorum seriem, quot habemus uterque,
Non mihi, quam fratri, frater amare minus.

His merito subiungimus sequentes: *Balth. Octavianum Amyraut*, ecclesiæ Gallicæ Basil. ministrum, patria Hanoviensem, qui Nostrum vocat *amicum sibi persingularem*: Nobilissimum *Sam. Weissium* de *Schalen*, supremum iustitiæ militaris præsidem regii Suedorum exercitus b): *Wilh. Hulsium*, ecclesiæ

y) Conf. Parnassus Heidelberg. Fato *Fausius* fuit functus Heidelbergæ d. VIII. April. an. 1671.

z) Hic mortuus Herbornæ an. 1635.

a) Qui vitam cum morte commutavit Heidelbergæ an. 1655.

b) Sub huius effigie *Zincgrefius* hæc scripsit:

Fortia cur Regis sint & felicia bella,
Cui leges inter bella silere negant,
Weissius ecce docet, cui fortes non nisi iusti,
Iustitiaque sine sunt sine bella Deo.



ecclesiæ Gallicæ Vesaliensis ministrum, qui *Godofrido* hanc memoriæ ergo reliquit lineam: *Generosus animus generosa tentat*: *Ioan. Wolfgangum Brunck*, Alceia-Palatinum, qui Delfzylæ Frisiorum ipsis Cal. Oct. an. 1639. Nostro, amico suo individuo, in memoriam sui hæc ex *Ciceronis* officiis scripsit: *Fortis animi & constantis, non perturbari in rebus asperis*: *Ioan. Helvetium*, alias *Schweitzer*, Beilsteinensem Nassovium, V. I. D. *Ioan. Franc. Veyrassium*, Electoris Palat. Secretarium, qui Tiguri an. 1645. ætatis 66. fuit exul: M. *Ioannem Fuchs*, tunc Comitis a *Schwartzfelss* consiliarium c): *Theodorum Vndereyck*, Theologum Bremensem: *Ioan. Wilh. Rauschium*, Ecclesiasten Bipontinum, Groningæ anno 1636. exulem: *Casp. Conradum Crucigerum*, Gedanensem ad D. Elisabetham pastorem, qui Nostrum vocat Theologum acutissimum, & amicum suum intimum, ipsique, in patriam revertenti, se suique memoriam in perpetuæ mutuæ amicitiæ τεκμήριον, hisce Dantisci d. XXVIII. Iulii an. 1649. commendat:

Invidiam virtute, malum probitate, favore
Osores vincas, spe precibusque Deum.
In adversis fortiter,
In iucundis provide,
Vbique constanter & sincere.

Christop. Pinckerum, Lipsiensem. I. V. D. an. 1645. Athenis Rauracis degentem: *Cunr. Henningum*, Pastorem Hanoviensem: *Io. Iac. Martinum*, Dantiscanum, Pastorem Groninganum: *Ioan. Mollerum*, Herborna Nassovium, pastorem ecclesiæ Wardenburgensis, classis Bommeliensis apud Batavos d): *Carolum a Geldern*, Andegavensem: M. *Ioan. Grynæum*, Basil. Theo-

c) Hic *Fuchsius* obiit Heidelbergæ d. VIII. Ian. an. 1662. ætatis 74.

d) De hoc eiusque filio legi poterunt, quæ dedimus in comment. de eruditis Palat. Belg. sect. IV. §. IX. p. 41. seq.

Theologum: *Emanuelem* de *Gemminga*, collegii Frisiorum Directorem: *Mensonem Altingium*, Consulem Groninganum: *Georg. Müllerum*, Lausann. Professorem: *Andream Pilgerum*, an. 1636. Wormatiæ exulem e): *Ioan. Penon.* a *Richelieu*: *Iac. Altingium*, Prof. Groninganum: *Eman.* de *Geer*, Groning: *Iustum van den Boogaert*, Amstelo-Batavum: *Ioan. Henr. Humelium*, Theologum Brügensem Helvetium: *Wilhelmum Wüstenhœverum*, Embdanum: *Gabr. Fabritium*, Bernatem: *Guilielmum Frey* & *Ioan. Lavaterum*, Helvetio-Tigurinos, aliosque viros eruditione & dignitate munerum apprime conspicuos f).

20) Iam ordo tangit *Ottonem Reinholdum Hecht*, ex celebri *Hechtiorum gente oriundum.* Hic extra patriam, tunc durissimis Bellonæ furoribus vexatam pressamque, d. XII. Ian. anno superioris seculi quadragesimo tertio in Suevia natus est patre *Ioan. Hermanno Hecht*, tunc temporis vices tribuni militum in exercitu Vinariensi fortiter & prudenter administrante, matre autem *Maria Agnete*, nata *Patrickia.* Lustricus ipsius pater fuit illustrissimus Princeps *Bernardus Otto*, Dux Saxoniæ Vinariensis; utpote qui infanti in sacro lavacro nomina *Ottonis Reinholdi* indere non est dedignatus. Quum vero parentes *Hechtii*

---

e) Hic per multos annos ecclesiæ Heidelb. fuit minister & Senatus eccles. adsessor. Vid. *Io. Henr. Hottingeri* programm. Heidelbergensia, subiuncta ipsius enneadi dissert. philol. theol. Tig. iunctim editarum, an. 1662. 4. p. 20. progr. Id quod iam observavimus in monum. Heidelb. illustr. &c. §. X. p. 12. seq.

f) Conf. libellus amicorum, fautorum & mæcenatum in usum *God. Andreæ*, Erfurti comparatus an. 1633. Cal. Oct. cuius symbolum: Deus suos non deserit, sed sæpe ducit a loco, ut in meliorem reducat.



Hechtii noſtri, bello fortunate tandem finito, ſedem ſuam Crucenaci fixiſſent, & Sereniſſimus Dux Simmerenſis, optimum patrem conſtituiſſet ſupremum ſaltuarium, uterque parens filiolum, annis ætatis adcreſcentibus, pietati, bonis moribus & diſciplinæ gymnaſticæ conſecraverunt, adeo ut ſtudia ſua tam patre vivo, quam defuncto, in academiis Heidelbergenſi Palatinorum, Marburgenſi Cattorum, Duisburgenſi Clivorum & Sedanenſi Gallorum diligentiſſime proſequeretur, donec tandem aliquando an. 1667. domum rediit, egregio ſcientiarum utiliſſimarum theſauro cumulatus. Anno ſubſequenti ſexageſimo octavo matrimonium auſpicatiſſimum cum lectiſſima honeſtiſſimaque virgine *Loyſa Charlotta*, ſpectatiſſimi viri *Frid. Caſimiri Rœmeri*, in Ducis Simmerenſis aula Conſiliarii Regiminis & Magiſtri Cameræ, filia, feliciter iniit. Deinceps ipſi anno ſexageſimo nono a Sereniſſimo Principe FRIDERICO LVDOVICO, Duce Bipontino, munus Cellarii, quem vulgo adpellitant, in minori præfectura Stadeccenſi fuit collatum. In matrimonio ſuo progenuit ſeptem liberos, nimirum tres filias, filios autem quatuor; quos omnes poſt obitum ſuum reliquit ſuperſtites. Morbo conflictatus, propter turbas bellicas Crucenacum ad conſanguineos ſuos ſeſe conferre cogitur; ubi quoque d. XX. Aug. an. nonageſimo quarto circa horam nocturnam undecimam, ex hac terreſtri vita placide emigravit, die XXIII. eiusdem menſis in choro templi Reformatorum ſepultus g).

Inclytæ huic *Hechtiorum* genti merito adnumerandus eſt *Philippus Reinholdus Hecht*, Crucenaco-Palatinus, qui, ſtadio ſtudiorum academicorum laudabiliter emenſo, diſſerta-

g) Hæc hauſimus ex ſic dictis perſonalibus adfixis orationi funebri; quippe quam ex Pſ. XXV. 1. & 2. *Gisb. Porlock*, de quo ſtatim, habuit, & deinceps, rogantibus propinquis, typis edendam curavit Francof. ad M. 1695. 4.

ſertationem inauguralem de *pretio affectionis in res fungibiles non cadente*, Rectore Magnificentiſſimo, Sereniſſimo Principe, Dn. FRIDERICO WILHELMO, regni Boruſſici herede, in regia Fridericiana Halenſi, praeſide *Christiano Thomaſio*, ICto, pro licentia ſummos in utroque iure honores, & privilegia doctoralia rite conſequendi, ad d. XVII. Sept. an. 1701. horis ante — & pomeridianis publicae Eruditorum diſquiſitioni ſubmiſit h). Eumdem poſtea ad ampliſſimos evectum fuiſſe honores, me certiorem fecerunt eius conſanguinei, in Palatinatu ſuperſtites.

21) *Gisbertus Porlock*, primarius eccleſiæ Crucenacenſis paſtor & vicinarum Inſpector, d. VI. Iulii ſt. n. an. 1641. natus Camenæ, oppidulo Weſtphaliæ in Comitatu Marcano ditionis Boruſſicæ. Patrem habuit *Ioannem Porlock*, civem dicti loci, ſenatorem & mercatorem, matrem vero *Margaretham von der Haar*. Pater luſtricus, qui ipſum ad ſacrum baptismatis fontem ſuſcepit, cognatus fuit *Gisbertus Schreiber*, conſul Lünenſis, qui noſtro *Gisberti* nomen indidit. Tenellus ſex annorum puerulus iam in ſcholam eccleſiamque mittitur. Quum vero duodecimum ætatis annum compleviſſet, in Hamınonenſe migravit paedagogium, ubi ſub tribus Rectoribus, nempe *Stalſprengero*, *Theodoro Nieſio & Hermanno Vpmeyero* per quinquennium ſcholaſticas frequentavit claſſes, & lectiones, in iis tractari ſolitas, abſolvit. Iam vero, quum parentes decreviſſent, filium Veſaliam inferiorem mittere, animum ſuum ut ibidem ad mercaturam adplicaret; ipſis eiuſcemodi propoſitum Profeſſores & Praeceptores, quibus indefeſſa Noſtri ſtudia fuerunt notiſſima, ſerio diſſuaſerunt, eosque eo variis iisque graviſſimis adduxerunt rationibus,

h) Hancce diſſert. ſacram fecit viro excellentiſſ. *Ioan. Reichardo Zachmann*, I. V. L. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi & Electori Palatino, a conſiliis ſanctioribus, & Eiusdem ad Rempubl. Francof. ad Moenum Legatum &c. &c. Patrono & cognato ſuo.



nibus, ut Musis adolescentem ulterius consecrarent. Quibus amicis monitis quoque factum est, ut in illustri Gymnasio Hammonensi, tunc recens fundato, tres & dimidium annos philosophiæ & theologiæ, sub primis tunc temporis ibidem Professoribus, nimirum *Antonio Perizonio*, theol. Doctore, eiusdemque ut & philosophiæ & sacrarum linguarum Professore & V. D. Ministro, sub *Theod. Niesio*, I. V. D. ethices, politices & institutionum Professore, nec non sub *Engelberto Engelenio*, Medicinæ Doctore & philosophiæ Professore P. O. i) operam navaverit, eorumque prælectionibus & collegiis sedulo interfuerit. Publice quoque sub præsidio *Perizonii* philosophicam de rerum *distinctionibus*, & theologicam de *ecclesia militante*, nec non de *antiquitate fidei evangelicæ* dissertationem ventilavit. Annis hisce tandem elapsis, vale Hammonensibus Musis dicens, celeberrimum tunc & antiquissimum Gymnasium Burgo-Steinfurtense, ad studia sua ulterius continuanda & perpolienda, invisit, ubi ab ore celeb. Theologorum *Goddæi* & *Heideggeri* diligenter avideque pependit. Sub posterioris tutamine primam *collegii Anti-Tridentini* disputationem publice defendit. Iterum sub eiusdem præsidio an. 1661. tamquam auctor theol. hist. dissertationem *de ieiunio ecclesiastico* eruditorum examini sollemniter subiecit. Similiter tunc sub moderamine D. *Spinæi* colleg. disp. publ. in *Derodonis* Logicam habuit.

Circa hoc tempus illustrissimus Dn. *Philippus Conradus*, Comes Steinfurtensis, per ven. & doctissimum *Metternachtium*, concionatorem suum aulicum & oppidanum, Nostro, litteris *Heideggeri* systaticis de meliori commendato, apud gene-

i) Vid. de iis cel. *Io. Phil. Laurentius Withofius*, *Io. Hildebrandi* filius, in der Gesch. der Hohenschule in der Stadt Hamm und in dem Verzeichniss der Professoren daselbst, in den woechentl. Duisburg. Addresse — und Intelligenz-Blaetern de an. 1755. num. X. XII. XIX. & XX.

generosissimam sororem, Dominam Comitem de *Fehlen*, munus aulici pastoris offerri clementissime mandavit; id quod autem, quoniam nondum annum ætatis vicesimum primum expleverat, immo potius quoniam ad maturiora adspiraverat studia, devotissime renuebat, seque potissimum propter virium infirmitatem ea, qua par est, modestia excusabat. Ceterum post habitam de *ieiunio ecclesiastico* disputationem, quam modo citavimus, vale Steinfurtensibus dixit, atque Hammonam Camenamque rediit; inde autem, adpropinquantibus nundinis paschalibus, Heidelbergam nostram est profectus; ubi varias easque solidissimas praelectiones virorum celeberrimorum, nominatim *Friderici Spanhemii* F. *Ludovici Fabricii* & *Marci Floccenii*, audivit. Anno dicti seculi sexagesimo secundo, ordine theologico laudabiliter eum commendante, ab amplissimo Senatu ecclesiastico Palatino secundum consuetudinem & leges examinatus, ordinis sacri Candidatus rite declaratur. Haud diu post autem a matre, marito interim viduata, domum revocatur, ibique propemodum duos & dimidium annos commoratur, &, ne inutiliter otioseque tempus tereretur, in oppidis Hammona, Camena, Schwerda, Wettera alibique, in concionibus ad populum habendis non sine emolumento semet exercuit. Quoniam autem Heidelbergæ, quantumvis absens, in optimo optimorum virorum favore præsens erat, inque eorum sermonibus veluti vivebat, præsertim quoniam cum patronis suis litterario utebatur colloquio, ab ipsis ideo fuit persuasus, ut officia sua qualiacumque Palatinatui lubenter offerret. Quapropter d. III. Martii an. 1666. proponente Senatu ecclesiastico, a Serenissimo Electore CAROLO LVDOVICO pastor ecclesiæ Wiblingensis prope Heidelbergam vocatus fuit & receptus. Quo facto D. *Fabricius*, optimus Nostri patronus, d. VI. eiusdem mensis litteras vocationis sua ipsius manu scriptas ad eum Hammonam per tabellarium publicum transmisit. Quibus acceptis, suam reliquit patriam, atque ineunte m. April. parochiam Wiblingensem



gensem eique adiunctam Eppelhemiensem, auspice CHRISTO, adiit, ipsique novem propemodum annos præfuit. Anno sequenti sexagesimo septimo d. XXIII. April. st. v. in matrimonium sibi adscivit honestissimam virginem *Catharinam Elisabetham*, *Ioannis Schwarzenbachii*, suo tempore tum alibi tum Ingelhemii superioris & inferioris, ecclesiastæ filiam k).

Ex hac uxore, quacum in matrimonio vixit viginti novem annos, duobus mensibus & undecim diebus detractis, progenuit septem liberos, nempe tres filios cum quatuor filiabus, ex quibus unicus filius & duæ filiæ post patrem fuere superstites. Anno 1674, quum exercitus Turrenii Wiblingensem parochiam penitus delevisset, ipsi interea temporis a Senatu ecclesiastico pro ordinario salario demandabatur Osthofiensis ecclesia, quam cum filia Rheintürckheim usque ad diem XXII. Aug. an. 1677. laudabiliter administravit. Inde vocatus & translatus fuit ad Zeiskeimiensem in præfectura Germershemiensi parochiam; utpote cui, inter tumultus bellicos

k) Qua occasione prodierunt Heidelbergæ typis *Io. Christi. Walteri*, acad. typogr. in 4. sub titulo: Ἐυφημίαι auspicatissimis nuptiis rev. doctissimique viri Dn. *Gisb. Porlockii*, pastoris in Wiblingen & Eppelheim fidelissimi, viri quondam spectatissimi prudentissimique Dn. *Io. Porlockii*, civitatis Camenæ in Comitatu Marcano Camerarii & Senatoris filii, sponsi, & pudicissimæ pientissimæque virginis *Cath. Elisabethæ*, ven. clarissimique quondam viri, Dn. *Ioan. Schwarzenbachii*, pastoris in Ober- und Nieder-Ingelheim pientissimi, vigilantissimi, filiæ, sponsæ, d. XXIII. April. Heidelbergæ celebrandis an. 1667. consecratæ. Has autem euphemias Lat. & Germ. consecrarunt *Io. Gerlacus Wilhelmi*, Gymn. Heidelb. Rector, Lat: *Albertus Mikisch*, Pastor Rohrbacensis prope Heidelbergam, Lat. & Germ. *Io. Henr. Frisius*, Lat: *Frid. Rombergius*, Lymburgo-Westphalus, Lat: *Ioan. Antonius Lennich*, Lat: *Ioan. Andr. Deubelius*, Hanoviensis, Lat.

licos variasque adflictiones, usque ad annum septuagesimum nonum inserviit. Hinc vocatus est ad ecclesiam Westhofiensem, ad quam tum filiæ Monzenhemium & Blœdeshemium pertinebant; quarum, & matris & filiarum, per tredecim annos & semestre in summa rerum difficultate & discrimine curam gessit sedulam. Deinceps an. 1692. a Senatu ecclesiastico primus ecclesiæ Crucenacensis Diaconus nuncupatur, &, quoniam interim *Godofr. Andreæ* l) naturæ debita solverat, in ipsius locum tamquam Pastor primarius & dictæ classis Inspector denominatur. Quod munus quam primum, videlicet d. XXII. Maii dicti anni adiit, inque eo obeundo inter multas adversitates pro salute ecclesiarum sibi commissarum studiosissime vigilavit; in qua statione ad ultimum vitæ halitum usque permansit, denatus tandem an. 1696. d. XII. Febr. die dominica quartam inter & quintam matutinam. Vixit annos quinquaginta quatuor, menses septem & sex dies m).

Præter scripta iam superius commemorata Noster edidit 1) Kurtzer und gründlicher Gegenbericht und Unterricht vom H. Abendmahl des Herrn: auf den ungegründeten Bericht eines ungenannten doch bekanten Evangelisch-Lutherischen Liebhabers G.F.R. zu L. zur Verthædigung der reinen Reformirten, von ihm durch und durch angezæpften Lehr, aufgesetzet von *Gisberto Porlock*, der recht-Evangelischen Wahrheit beflieſſenen. Rom. I. ℣. 16. Prov. XXVI. ℣. 2. gedruckt zum Hamm, bey *Bernhardt Wolphard*, an. 1664. in 12 n). 2) Entdeckung und Widerlegung mercklicher Irrthüm-

l) De quo supra in h. §. num. 19. p. 340. seqq.

m) Quæ pleraque ex personalibus autographis hausimus.

n) Hic libellus continet 216. pagg. sine dedicatione octo paginarum; in fine huius dedicationis, Dn. Dn. *Gisb. de Bodelswing* & *Christop. de Lob* consecratæ, legimus: Camen, d. XI. Sept. 1664. *Gisbertus Porlock*, S. S. M. Candid.



thümmer und groſſen Aberglaubens, ſo meiſtens unter dem einfæltigen und unerfahren Chriſten-Volk in Schwang gehen; nach Anleitung der fünff Hauptſtücken chriſtlicher Religion, zur heilſamen Beſœrderung des wahren Chriſtenthums zuſammengetragen, von *Gisb. Porlokio*, Churfürſtl. Pfalz Pfarrern zu Weſthoffen. — Converſando, Legendo, Meditando. — Franckf. am Mayn 1682. in 12. 3) Chriſtliche Leich-predigt vom ſehnlichen Verlangen einer geængſteten Heil-durſtigen Seele, nach der willfæhrigen Hülff Gottes aus Pſ. CXLIII. ỳ. 4. 5. 6. 7. nach der Erdbeſtattung des tit. *Georg Henrich Frohnen*, geweſenen Bürgers, Rathsverwandten und Handels-Manns in Creutznach, welcher zu Rüdesheim im Rheingau d. VI. Aug. 1693. zeitlichen Todtes verblichen, und d. VIII. Aug. daſelbſt begraben worden, — — in volckreicher Verſammlung der reformirt-evangeliſchen Gemeinde zu Creutznach den XXIII. Aug. vorgetragen, und — — zum Druck übergeben von *Gisb. Porlock*, h. t. Pfarrern und Inſpections Verweſern daſelbſt. Franckf. am Mayn, druckts *Io. Wüſt*, 1693. in 4. Tandem 4) quantum novimus, Leich- und Troſtpredigt über Pſ. XXV. ỳ. 1. 2. bey der Erdbeſtattung des tit. *Otto Reinhold Hecht* o).

Poſt *Gisberti* obitum unicus ſuperſtes fuit filius *Ioan. Henricus Porlock*, natus Wiblingæ prope Heidelbergam, & quidem m. Iulio an. 1671. Suſcepit eum in ſacro baptismate *Ioan. Henricus Schwarzenbachius*, civis & chirurgus Heidelbergenſis. Noſter exitialibus maxime & periculoſiſſimis belli temporibus paſſim variisque in locis educatus eſt. Poſt informationem domeſticam, qua aliquamdiu fruebatur, primum traditur ſcholæ Francothalienſi, deinceps autem Gymnaſio Heidelbergenſi, ubi an. 1688. in actu autumnali ad lectiones promovebatur academicas. Sed, durante bello Gallico,

o) De hoc ſermone ſupra in vita *O. R. Hechtii* num. 20. Not. g. p. 378.

lico, primum Hanoviæ ſtudia philoſophica & theologica proſequebatur, quæ vero Hammonæ Weſtphal. ad annum 1693. feliciter abſolvit. Quo tempore, & quidem autumnali, in patriam rediit. Eodem anno Senatui eccleſiaſtico Palatino, qui tunc Francofurti commorabatur, & tantum ex ſequentibus Conſiliariis, nimirum D. *Fabricio*, Paſtore *Achenbachio* p), I. C. *Wiſſenbachio*, *Clœtero* &, qui eorum a ſecretis erat, *Creutzio*, ſponte placuit, Noſtro vicariatum Zozenhemienſem & Welgeshemienſem ad tempus aliquod demandare. Anno ſeq. nonageſimo quarto d. XIV. Martii, ex eiusdem Senatus eccleſiaſtici mandato, Francofurti comparuit, cum aliis ad ſacrum ordinem examinatus, & poſt ſollemnem ordinationem tamquam paſtor extraordinarius ad eccleſias Dittelshemienſem, Dorntürkhemienſem, Frettenhemienſem & Wiesweshemienſem (al. Wiebershem.) adminiſtrandas delegatus. Anno 1696. tamquam ordinarius dictarum eccleſiarum paſtor a celſiſſimo Regimine Sereniſſimi Electoris Palatini IOANNIS WILHELMI per reſcriptum clementiſſime confirmatus, d. III. Oct. eiusdem anni iusiurandum ſuum, ex conſuetudine, Francofurti præſtitit. Iam antea an. 1695. d. XIII. Maii matrimonium q) iniit cum honeſtiſſima virgine *Maria Magdalena Kunigunda Nebelia, Burckhardi Nicolai Nebelii*, communis quondam Palatini & Badenſis ad St. Catharinam Procuratoris, & Oeconomi Sponhemienſis, ſuperſtite filia, nata Crucenaci, cuius mater erat *Anna Kunigunda Vmſcheidenia, Vmſcheidenii*, ſcribæ officialis tutelaris & Prætoris Crucenacenſis, filia. Ex hac coniuge ab anno 1695. ad annum 1727. progenuit quinque liberos, nempe duos filios, quorum alter Monzingæ fuit Inſpector, alter vero I. V. Licentiatus & cauſſidicus Mann-

p) De quo infra §. XLVII.

q) Quod conſecravit Diaconus Crucenacenſis *Wolfgangus Chriſtop. Sixtus*, tunc Pro-Inſpector, de quo inferius §. XLVII.



Mannhemiensis, nec non tres filias; quæ ad unam omnes ante patris obitum fuerunt denatæ.

Præter parochiam Dittelshemiensem matrem ipsique adnexas filias, ecclesias quoque Dorntürkhemiensem & Wieweshemiensem ab an. 1694. ad an. 1707. adeoque per tredecim annos & trimestre, cum fructu quidem vilissimi salarii & exiguæ gratitudinis, sed maximo suo periculo damnoque, iunctim & una procuravit. Ab an. 1707. quo tempus divisionis ecclesiarum Palatinarum incepit, ubi ipsi pro officio suo solæ ecclesiæ Dittelshemiensis & Frettenhemiensis fuerunt relictæ, usque ad adscensionis CHRISTI diem anni 1723. elapsi sunt anni sexdecim. Variis adversæ fortunæ fluctibus in quavis statione iactatum fuisse, ipse testatur r).

22) *Sigwartus Henrici*, Baccharaco - Palatinus; utpote qui studio theologico operam navavit potissimum in academia Groningana; ubi an. 1660. præside *Sam. Maresio* dissertationem publicæ subiecit disquisitioni. Haud diu post, nimirum anno sequenti d. XXIII. Martii disputationem theol. tertiam de *Christanisimo* &c. sub tutamine *Abdiæ Widmarii*, ventilavit, eamque *Maresio* dedicavit. Idem, in patriam redux, ecclesiastes postea fuit Beckelnhemiensis, Sprendlingensis, Leitershusanus, tandem Schwezingensis s). Duos reliquit filios, *Carolum Fridericum* & *Philippum Ludovicum*, alterum Beckelnhemii, alterum vero Sprendlingæ natum, Gymnasii nostri quondam discipulos t).

§. XLVII. Secundam hancce eruditorum classem excipit tertia, & quidem recentissimorum; quippe quibus sequentes adnumeramus:

1) *Ioan.*

r) In vita sua autographa.

s) Vid. Baccharacum nostrum illustr. §. XX. p. 39. seq.

t) Prouti iam observavimus in spicil. V. de Gymn. Heidelb. p. 20.

1) *Ioan. Conradum Womrad*, Monzingensem, qui primam lucis huius terrestris usuram d. XXVI. Aug. an. 1645. hausit, patre natus *Nicolao Womrad*, cive ac doliario. Sacrorum studiorum, ex voluntate parentum, ingressus curriculum, tam acriter tamque strenue pertendit ad metam, ut magna passim in laude versaretur, atque citra ambitum, sicuti tunc moris erat, ad ordinis ecclesiastici procurationem produceretur. Egit autem primum in Hassia parochum pagi cuiusdam iuxta oppidum *Frankenbergam.* Non diu post & Francothalii & *Crucenaci* ecclesiæ docendo laudabiliter inservit. Cum autem in dies magis magisque nomen eius inclaresceret, ab HENRICO, Duce Saxoniæ, familiæ Weissenfelsensis, Barbiensis vulgo nominatæ, qui in religionis negotio a Reformatorum stabat doctrina, ad Ecclesiastæ aulici munia expetitus est. Quæ cum aliquamdiu recte & utiliter obiisset, ad altiorem dignitatis gradum adscendit, sacrorum in tetrarchia Dessaviensi constitutus Antistes. Quam stationem ut cum dignitate tueretur, nihil quidquam prætermisit, quo fidem suam & industriam probaret summis, infimis. Ceterum probe gnarus, quantæ tum necessitatis, tum utilitatis sit, iuventuti primarias pietatis doctrinæque cœlestis partes apte perspicueque tradere, fecit, quod ab ipsis christianæ religionis incunabulis maximi etiam nominis Præsules facere sibimet honori ducebant, & dictum libellum an. 1692. iuri publico concessit, & quidem hoc sub titulo: *Vnterrichtung vom gantzen Christenthum nach der Ordnung des Heidelbergischen Catechismi in kurtzen einfæltigen Fragen und Antworten abgefasset von I. C. W. S. D. A. Cœthen.* 1692. u). Diem supremum obiit in fine seculi XVII. vel ineunte statim sec. XVIII.

2) Dum *Womradi* nostri virtutem hic loci grata prosequor memoria, non possum, quin addam, spartam, quam

 ille

u) Quæ iam monuit *Crollius* in cit. orat. p. 48. not. *

ille olim tam præclare condecoravit, postmodum, & quidem adhuc an. 1732. non minori integritatis studiique laude Dessavii tenuisse *Petrum Schardtium*, & ipsum ortu Beckelnhemiensem, atque ecclesiarum diœcesis Beckelnhemiensis antea Ephorum v).

3) Ad laudatos modo Litteratos merito quoque pertinet *Iacobus Daniel Humbert*, Frankothalio - Palatinus, primum a. d. XXV. Ian. an. 1674. Lycei Heidelberg. Conrector, postea *Ioan. Gerlaci Wilhelmi*, eiusdem Lycei Rectoris w), successor fuit designatus d. XXIII. Aug. anno superioris seculi octogesimo. Verum autem, bello Gallico, potissimum in patria nostra, deplorandum in modum grassante, Noricorum in ditionem se recepit, pastor Steinæ Onoldinæ & Erlangæ novæ, quæ etiam a *Christiano* nomen gerit, in Marchionatu Brandenburgico-Byruthino Pastor nuncupatus. Post fata bellica, nimirum an. 1701. Gymnasio Crucenacensi præfectus fuit moderator in locum *Christiani Fickeissenii*, qui d. VII. Iulii eiusdem anni ex terrestri hac vita decessit x). Deinceps vero an. 1706. Heidelbergam ad clavos Gymnasii gubernandos revocatur; qua in statione d. VII. Aug. an. 1707. diem obiit supremum. De hoc eruditissimo, diligentissimo & maxime pio viro peculiarem aliquando biographiam, Deo T. O. M. volente, sum editurus. Ceterum benevolos nostros Lectores ad ea, quæ iam alibi y) dedimus, ablegare minime dubitamus. Scriptis eius hic subiungimus: Officium supremum, quo *Annam Catharinam Freheram*, natam *Salmuthiam*, *Pauli Freheri*, Med. D.

v) De quo ibidem.

w) De quo passim egimus in Gymn. Heidelb. §. XV. p. 18. spicil. I. p. 10. specil. II. 12. spicil. III. p. 16.

x) Vid. Sterbregist. de dicto anno, & infra §. XLIX.

y) Nimirum in hist. de Gymn. Heidelb. §. XVI. p. 19. seq. spicil. I. p. 12. sq. sepicil. II. p. 13. seq. spicil. IV. p. 25. seq. spicil. V. p. 14.

D. & Collegii Medici Norimbergæ Senioris, coniugem relictam, Cubæ ad Rhenum in præfectura Baccharacensi, cum fratrem, S. P. E. Pal. Consiliarium & præfecturæ Simmerensis præfectum, Cubæ inviseret, pie defunctam, XIV. Cal. Octobr. cIↄIↄcxcI. & X. Cal. Oct. in s. æde illius oppidi terræ mandatam z), honorare voluit, debuit. Heidelb. typis *Ioan. Dav. Bergmanni*, 1691. 4: Leichenpredigt aus Ps. VI. 3. da M. *Ioannes Strübin*, Reform. Prediger zu Stein an der Rednitz, in dem Marggraffthum Brandenburg-Anspach, in Nürnberg d. 16. Aug. 1694. in dem 68. Iahr seines Alters gestorben, und zu Wehrd d. 20. Aug. 1694. an seinem Geburtstag zur Erde bestattet worden: gehalten zu Stein, Sonntags, d. 26. Aug. 1694. gedruckt 1694. 4: Varia carmina, v. g. in obitum *Georg. Cellarii*, ecclef. Senatus Palat. Consiliarii, defuncti IX. Cal. Sextil. MDCLXXI; in obitum *Louyfæ Sophiæ Lingelshemiæ*, natæ *Pastoiriæ*, denatæ d. XXVI. April. MDCLXXVI; atque alia.

4) Philologo & Theologo comitem adiungimus Iurisconsultum & historicum *Carolum Ludovicum Tolner*, Crucenacensem; utpote qui a nonnullis perperam vocatur *Tollner*, & *Tœllner* & *Car. Tœlner* a) Hic ex antiqua nobilique Brabantinorum familia, & quidem illorum, qui tunc sub cognomine de *Tollenaer* floruerunt, oriundus, d. IV. Febr. b) anno

 1660.

z) Cuius epitaphium, & alia, vitam ipsius illustrantia, exhibuimus in nostro Baccharaco illustr. §. XVI. p. 31. seq.

a) Apud *Iœcherum* im allgem. gel. Lex. P. IV. p. 1231. & 1240; apud *Finsterwald* vom Hausse Pfalz p. 5; ubi eum vocat *Tollnerum*, rursus *Tœllnerum* p. 8. 9. 25. & 40, alibique passim sibi in scriptione huius nominis inconstans est.

b) Non vero d. XXVIII. Ian. prouti habet *Ioan. Hübnerus* in der Hamburg. biblioth. histor. cent. 7. art. 56. p. 206.



1660. Crucenaci natus est. Pater ipsi fuit *Ioan. Carolus Tolner*, Palatino Simmerensis, Consiliarius & Dapifer (Truchseß) Crucenacensis; mater autem *Agatha Agnes*, filia *Petri de Spina*, Archiatri Electoris Palatini aliorumque Principum, & Medicinæ Professoris Heidelbergensis c). Hinc in programmate funebri in *Tolneri* obitum d. V. Octobr. an. MDCCXV. nomine Pro-Rectoris academiæ Heidelbergensis, nempe V. C. *Danielis Nebelii* evulgato atque typis edito, hæc legimus: *Vir nobilissimus, amplissimus & consultissimus, Serenissimi Electoris Palatini & Landgravii Hasso-Casellani Consiliarius & Historiographus, dum viveret, meritissimus, qui anno* 1660. *pridie nonas Februar.* Crucenaci, *patre viro praenobili & amplissimo* D. Ioanne Carolo Tolnero, *Consiliario Palatino & Præfecto Crucenacensi; matre vero matrona omnium suum sexum decentibus virtutibus ornatissima* Agatha Agnete, *viri celeberrimi* Petri de Spina, *Archiatri Palatini & Hassiaci, nec non Medicinæ Professoris in academia Heidelbergensi, filia, prognatus* d). Nostri, d. VI. Febr. sacro tincti lavacro, patrinus sive pater lustricus erat *Ludovicus Zieglerus*, Consiliarius & Caussidicus ordinarius in cæsareo Cameræ Spirensis iudicio. In oppido patrio *Crucenaco* solida studiorum suorum posuit fundamenta e). Nimium præmature patre suo fuit orba-

c) De quo *Petro de Spina* conf. *Balth. Venator* in vita P. de Sp. & *Ioannis* in adpend. de vita, meritis & progenie *P. de Spina*, P. F. P. N; quæ omnia iunctim prodierunt Biponti, an. 1732. 4; atque idem *Ioannis* in miscell. Palat. p. 145, & 273; in spicil. VI. de Gymn. Heildelb. §. XX. p. 20. seqq; nec non *Io. Heinr. Bernhardi* orat. fun. in obitum *Frid. Petr. de Spina*, ed. Hannoviæ 1721. 4.

d) Quod programma etiam obvium apud cit. *Ioannis* in misc. Pal. præfat. p. VIII. seqq. De patre & filio *Tolneris* idem agit in adpend. ad vitam *P. de Spina* p. 47.

e) Vid. supra §. XXX. p. 157.

orbatus an. 1663. Hinc ab optima ſua matre ſollicitiſſime educatur, & privatis præceptoribus per breve temporis ſpatium traditur. Vt autem eo meliores eoque feliciores in ſtudiis facere progreſſus poſſet, mater vidua cum liberis ſuis Crucenaco Heidelbergam ſeſe confert; ubi Noſter anno 1677. f) in Gymnaſio noſtro, ſub moderamine Rectoris *Ioan. Gerlaci Wilhelmi* ad academicas promovetur lectiones g). Deinceps in academia Heidelbergenſi aliquamdiu ſtudia ſua diligentiſſime proſequutus, atque ſcientiis & artibus propædeuticis, philologia videlicet, philoſophia atque hiſtoria, ad quam animus eius potiſſimum inclinabat, ſufficienter imbutus, operam in primis navavit iurisprudentiæ, ibidemque, nimirum Heidelbergæ, tunc ſumma cum laude ſummoque adplauſu docentes, magnos illos Iuris Anteſignanos *Ioannem de Spina*, matris ſuæ fratrem, *Henricum Cocceium* h), & *Ioan. Wolfgang. Textorem* audivit. Inde an. 1680. matre cenſentiente, partim ut ſtudia ſua redderet perfectiora, partim ut exteras etiam regiones earumque mores cognoſceret, in Helvetiam, ſpeciatim Genevam Allobrogum, commigravit. Poſtmodum an. 1683. in Galliam, inde in Belgium, earum regionum non ſermones tantum, ſed naturam quoque diſcendi gratia, litteris inſtructus ſyſtaticis abiit. Litteraria hæcce ingreſſus itinera, in eruditiſſimorum virorum notitiam venit, apprime ſpectabiles maximeque eximias bibliothecas inviſit, atque hinc nactus fuit haud exiguam ſcientiarum generatim ſpectatarum, immo ſpeciatim litteraturæ & hiſtoriæ cognitionem i).

Quam-

f) Non an. 1667. uti per errorem in ita dictis perſonalibus legitur.

g) Vid. catalogus mſc. diſcipulorum Gymn. de dicto anno, & Spicil. V. de G. H. p. 19; ubi vitio typothetæ nominatur *Ioan. Ludov. Tolnerus.*

h) De quo plura ſcripſimus in comment. hiſt. de eruditis Palat. Belg. Sect. IV. §. VI. p. 31—37.

i) Vid. progr. apud *Ioannis* in miſc. Pal. præf. p. IX.



Quamvis caſus vehementiſſimum in modum adverſi an. 1686. Palatinatum velut invadentes prementesque, uti univerſos Palatinos, ſic ſpeciatim *Tolnerum* noſtrum tetigerint & conturbaverint, adeo ut poſt omnimodam oppidi Heidelbergenſis devaſtationem peregrinas in regiones rurſum aufugere, ſeque cum ſuis in Haſſiam recipere coactus fuerit; nihilominus tamen interea indefeſſam dedit operam, ut exſilii ſui tempus ad patriæ commodum impenderet. Nam in animo ſuo conſtituit, potiſſimum hactenus obſcuram patriæ ſuæ hiſtoriam in clariorem collocare lucem, atque ita ex tenebris ipſam eruere denſiſſimis. An. 1689. a Sereniſſimo Naſſoviorum Principe Principum Iuventutis ephorus & informator vocatur; quam ſpartam quoque aliquot annos laudabiliter adminiſtravit & condecoravit. Quum in Haſſia degeret, Haſſiacas, & an 1694. Naſſovicas easque publicas tabulas, quatenus ad ſcopum ſuum facerent, accurate perluſtravit k).

Tolnerus inſuper, ſcopum ſibi propoſitum ut eo melius eoque felicius tandem attingeret, rurſus itinera litteraria, nempe an. 1695. iterum, prouti iam antea, in Belgium, poſtea vero in alias regiones, nominatim in Bavariam & utramque Auſtriam, ſuſcepit, variaque monumenta, hiſtoriam tum illuſtrantia tum emendantia, ſuum in uſum feliciter collegit. Eximiam namque tunc temporis nactus fuit occaſionem, multos eosdemque præſtantiſſimos & pretioſiſſimos codices manu exaratos & documenta, præſertim autem originalia diplomata priſcorum & primorum Comitum Palatinorum Rheni, quin etiam ipſorum vetuſta ſepulchra, cippos atque alia monumenta penitus inſpiciendi. Quod ipſe *Tolnerus* teſtatur l), ſcri-

k) Hinc ipſe *Tolnerus* in hiſt. Pal. p. 37. F. inquit: *Interim in Archivo Naſſovio - Dillenburgico me an.* 1694. *originalia documenta vidiſſe memini*, &c; quorum nonnulla ibidem & p. 38. recenſentur.

l) In cit. hiſt. cap. IX. p. 226. ſeq. conf. ibid. p. 279. lit. C.

ſcribens: *Henricus Comes Palatinus, Dominus de Lacu, in literis fundationis monaſterii ad Lacum, quarum originale una cum ſigillo antiquiſſimo mihi, cum an.* 1699. IV. *Kalend. Octob. monaſterium illud perluſtrarem, eiusdem monaſterii Prioris humanitate oſtenſum.*

Præclariſſimis eiusmodi documentis bono auſpicio acceptis, *Tolnerus* utique multo plura, multoque meliora, quam hactenus alii, quin etiam non vulgaria minimeque proletaria in rebus hiſtoricis præſtare potuit. Reverſus igitur Francofurtum ad Mœnum, omne ſtudium omnemque operam in eo collocavit, ut hiſtoriam Palatinam ab ipſo iam inchoatam redderet in dies magis magisque perfectiorem & abſolutiorem; utpote quam quoque an. 1700. typis & ſumtibus *Friderici Knochii*, bibliopolæ Francofurtenſis, in folio excuſam, cum orbe litterato communicavit. In quo libro primum hiſtoriam veterum Comitum Palatinorum Rheni poſt ætatem Carolingiorum, usque ad magni Interregni finem, illuſtravit, eique maiorem omnino lucem accendit. Adeoque hiſtoriam iſtam ab anno 930. usque ad annum 1294. contexuit atque in integrum reſtituit. Proinde ipſius diligentia laboresque indefeſſi, quos in difficillimum illud opus contulit, ſtatim quoque citra moram ullam maxime inſignem deportabant mercedem. Nam Sereniſſimus & Potentiſſimus Elector Palatinus IOANNES WILHELMVS, ſummus ille verorum ingenuorumque Litteratorum cognitor & æſtimator, immo promotor ſcientiarum longe liberaliſſimus, non modo hancce hiſtoriam ſummopere adprobavit, ſed ſedulum etiam ipſius auctorem poſtea Conſiliarium & Hiſtoriographum Palatinum m) clementiſſime nuncupavit n). Præterea *Tolnerus*, poſt funeſtiſſimam Palatinatus devaſtationem in

m) Alii addunt bibliothecarium, uti *Hübnerus* l. d. & perſonalia.

n) Conf. progr. apud *Ioannis* l. c.



in exteris regionibus, & tandem poſt varios caſus, poſt tot rerum diſcrimina multum temporis Francofurti, prouti modo vidimus, commoratus, deinceps rurſus in patriam ſe recepit, ſedemque fixam ac perpetuam Heidelbergæ usque ad obitum poſuit.

Hic igitur in iucundiſſima Muſarum patriarum ſede otium nactus optimum, optimam ſane habuit opportunitatem, ſuos undique ſumma cura collectos eruditionis theſauros in dias luminis auras emittendi. Quum vero in iisdem theſauris haud pauca monumenta & documenta, ad utramque Haſſiam ſpectantia, eſſent obvia, ſecum quoque ſtatuit, Haſſiacam hiſtoriam conſcribere, conſcriptam autem publici iuris facere. Ad quam elucubrandam typisque evulgandam ipſi propter fidem, qua pollebat, ſpeciale mandatum, vel potius commiſſio data fuerat. Hinc etiam *Tolnerus* egregios laborum ſuorum fructus revera percepit. Nam Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius ipſum Conſiliarium ſuum & Hiſtoriographum Haſſiacum benigniſſime denominavit o). Ipſum autem opus, in quo deſudabat, & in quo iam usque ad tempora PHILIPPI *Magnamini* progreſſus erat, præmatura morte præventus, ad umbilicum perducere nequivit. Scripta vero, quæ reliquit, poſtmodum in manus cel. *Schminckii*, Profeſſoris & Conſiliarii Haſſiaci, perveniſſe dicuntur p).

Ceterum inter omnes, ingenua indole præditos, conſtat, viros uſui publico, ſpeciatim litterariæ palæſtræ ſervituros, haud raro calumniis & obtrectationibus, immo ingentibus interdum periculis ſeſe obiicere, quin etiam, fatis ſic urgentibus, ſe ſuis ita exponere inimicis, ut variis variorum iudiciis iisque crebro acerbiſſimis ſint obnoxii. Id quod *Tolnero* no-

---

o) Vid. *Ayrmanni* Einleitung zur Heſſiſchen Hiſtorie in den Vorbereit. cap. I. §. 28. p. 21. & progr. apud *Ioannis* l. d. & perſonalia.

p) Apud *Ayrmannum* l. c.

noſtro ſimiliter accidit. Nam, quam primum eius hiſtoria Palatina typis evulgata, partim quorumdam iudicia ſubiit eruditorum; partim etiam alii, forſitan ipſius, uti eventus docuit, inimici, occaſionem inde quæſiverunt, vel ipſum diffamandi eiusque auctoritatem, quantum fieri poſſet elevandi, extenuandi imminuendique, vel ſaltim aliquam, ſed minime ingenuam, de eo ſumendi vindictam. Originem a poſterioribus procul omni dubio traxit illud negotium & difficultas, cui propter hiſtoriam Palatinam cum Vicario Ducis Bavariæ, *Carolo Maximiliano* Comite de *Lœwenſtein*, fuit implicitus. *Tolnerus* enim propter relationem de liberis FRIDERICI I. Electoris Palatini, ex *Clara* de *Dettingen*, vel, ſicut alii ſcribunt, de *Dettin* & *Detten*, progenitis, in hiſtoria ſua contentam, primum diu ſatis angebatur, poſtea vero ab ipſo poſtulabatur, ut philyra, in qua dicta relatio ſcripta erat, de novo, & quidem aliter ſive mutata, typis excuderetur q).

Quod ad eruditos attinet antagoniſtas, iis præſertim accenſemus *Henricum* de *Cocceii*, primum Iuris Profeſſorem Heidelbergenſem & Conſiliarium Archi-Palatinum, deinceps vero Prof. Francof. ad Viadrum, & Regis Boruſſici Conſiliarium intimum r): nec non *Georg. Chriſtianum Ioannis*, hiſt. Prof. Bipontinum. Nam ille, quam primum innotuerat *Tolneri* hiſtoria Palatina, contra eius ſyſtema hiſtoricum multa dubia movit, eaque in nova ſua *prudentiæ iuris publici* editione adfixit s). Hic autem in peculiari ſpecimine nævos nonnullos *Tolnero* oſtendit, eosque emendavit & confutavit t).

 Quid-

q) Sic memorat *Ioannis* in præf. I. ad *Reigeri* ausgelœſcht. Pfalz-Simmer. Stammlinie ed. Francof. 1735. 8; ibid. p. 14. ſeqq.

r) Quem laudavimus in comm. hiſt. de erud. Pal. Belg. l. d.

s) Nimirum cap. 33. append. I.

t) Hoc ſpecimen prodiit primum an. 1708. ſub ſeq. titulo: Animadverſionum in Noviſſimi Scriptoris *Caroli Ludovici Tolneri*, Viri clariſſimi, non-



Quidquid autem ſit, *Tolnerus* eo fuit honore condecoratus, ut lis ipſum inter & *Cocceium* exorta, ad cuius dubia maſcule ſolideque reſpondit in additionibus ſuis, maximam partem in famæ ſuæ commodum ceſſerit. *Cocceius* interim alibi u) plura proſequi ſtuduit. Hinc hæc legimus v): *Wer den ganzen Streit mit unpartheiiſchen Augen anſiehet, der wird finden, daſſ* Cocceius *zwar ſcharf raiſonniret,* Tolner *hingegen ſeine Meinung durch die allerbewæhrteſte Documenta beweiſet.* Licet in libello, cui titulus: *Fata & Merita* Henrici de Cocceii w), de hac lite ſequentia ſint obvia: *Totam igitur tractationem* (celeb. Cocceii) *in Auton. iuris gentium Append.* II. *ad tria capita reduxit, ex quibus ad obiectiones Tolnerianas nihil fere in Receſſu habentes, non minus fuſe, quam erudite reſpondit.* Licet, inquam, hæc ita ſe habeant, attamen x) hæc ingenua ſubiicitur confeſſio, ſcilicet iam tunc temporis celeberrimos & erudítiſſimos viros, inque iis nominatim *Gundlingium & Ludewigium,* ſententiæ *Tolneri* calculum ſuum addidiſſe. Ceterum *Tolnerus* omnino quidpiam humani paſſus, mentem non ſatis ingenuam in eo manifeſtavit, ut, quamvis laudatus *Ioannis* ipſi varios errores monſtraverit, eos tamen noluerit agnoſcere, ſed potius rem totam opprobriis decidere voluerit y).

De

---

nonnulla loca, ſpecimen primum. Biponti 1708. 4. Primum *Nicolaus* L. B. de *Greiffencranz*, Bipontinus Cancellarius, auctor huius ſpeciminis eſſe putabatur. Vid. Hamburg. bibl. hiſt. cent. VII. art. 57. Deinde primum hoc ſpecimen ſpecimine ſecundo auxit, illudque miſcellis ſuis Palat. ed. Francof. 1725. 4. inſeruit.

u) Videlicet in tract. ſuo de origine terrarum mediatarum & immediatarum, ſive in autonomia iuris gentium App. II.

v) In der Hamburg. bibl. hiſt. cent. VII. art. 58. p. 213.

w) Quæ volumini I. diſſert. Cocceian. præfixa ſunt.

x) Ibid in not. *

y) Vid. *Tolneri* reſponſio ſuis in additionibus circa finem.

De reliquo *Tolnerus* ipſe confiteri deinceps debuit, ſemet a tempore hiſtoriæ ſuæ primum evulgatæ multa addidiciſſe, atque ad maiorem & penitiorem hiſtoriæ Palatinæ cognitionem perveniſſe. Quapropter etiam poſtmodum an. 1709. ſuas ad hiſtoriam patriam additiones Heidelbergæ typis & ſumtibus *Ioan. Meieri* edidit, atque varia errata in iisdem emendavit, immo nonnullas adiecit animadverſiones. In harum additionum titulo *Tolnerus* vocatur Sereniſſimi Electoris Palatini Conſiliarius & Hiſtoriographus, nec non academiæ Heidelbergenſis *Bibliothecarius* z). Quocirca hic loci tantum animadverto, Conſiliarium eccleſ. Palat. Doct. & Profeſſorem Iuris, nempe *Ioannem Clœterum*, cuius conſanguinei meo tempore Düſſeldorpii habitarunt, iam ſua de *interpretatione legum* diſſertatione inaugurali, an. 1677. Heidelbergæ ſub præſidio Profeſſ. *Chriſti. Erneſti Reichenbachii* ventilata, immo etiam in indice Profeſſorum Heidelberg. an. 1712. edito, tamquam academiæ Heidelb. Bibliothecarium occurrere, atque in eodem officio an. 1722. denatum fuiſſe, ſicuti ex programmate, in obitum eius conſcripto, & dato Heidelbergæ d. XXIII. Ianuar. 1722. pateſcit. Nam ibidem hæc leguntur: *Ignem extinctum & pomum maturitate deciduum adumbramus in ampliſſimo & conſultiſſimo Viro* D. Ioanne Clœtero, I. V. *Doctore & Profeſſore in hac Vniverſitate noſtra extraordinario, pariterque Præfecto Bibliothecæ & Fiſco academiæ, præterea eccleſiaſtico & dicaſterii matrimonialis Conſiliario. Natus is eſt anno poſt orbem redemtum* MDCXLI. *pridie Kal. Iunii; patriamque* Grevenbruchum, *Iuliacenſis ditionis oppidum, habuit. Iuvenis in hac alma noſtra literis humanioribus & philoſophiæ navavit operam, Præceptorque Collegii Sapientiæ factus fuit; qui ſpartam docendo ac diſputando ſedulus ornavit, ſeque ita commendavit Patronis ſuis ac Promotoribus, ut*

 dignus

z) Sic etiam legimus in Perſonal. & apud *Hübnerum* l. d. In ſerie Prof. Heidelb. ubi perperam ſcribitur *Tollnerus*, Profeſſoribus adnumeratur.



dignus fuerit habitus, cui primum Bibliotheca, *& postmodum Syndici Academiæ munus committeretur. Quo functus laudabiliter, hoc Palatinarum domicilio musarum an.* 1693. *incendio deleto, Teutoburgum concessit, ibique per annum & semestre Professionem Iuris ordinariam ornavit* a), *indeque ad almam Matrem nostram huc reversus, initio Syndici, & postmodum* Bibliothecarii *officium sibi commissum, denuo suscepit, & obiit* &c. E contrario autem *Tolnerus* neque in programmate funebri, neque in epitaphio, neque in carmine lugubri, in obitum eius concinnato, *Bibliothecarius* adpellatur.

An. 1710. cum filia cuiusdam *Iani*, civis Francofurtensis & mercatoris, matrimonium iniit maxime infaustum; quod vinculum vero non ultra duos menses duravit; sed mulieris pervicacia dissolutum. Hinc verissimum est, quod poëta b) canit:

Malo Venusinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Sic *Tolnerus* simile cum multis Eruditis fatum fuit expertus c), adeo ut minime contentus in hoc statu vixerit. Id quod etiam animo præsagire potuisset. Vxorem enim ducens iam annum ætatis quinquagesimum agebat, & forsitan in anti-

---

a) Vid. *Ioan. Hildebr. Withofius* in actis sacrorum secularium academiæ Duisburg. p. 125; hic vero *Clæterus* in eiusdem *Withofii* sciagraphia historiæ acad. regiæ Duisburg. p. 10. prorsus omittitur.

b) Nempe *D. Iun. Iuvenalis* sat. VI. ℣. 167.

c) De infelici matrimonio litterati, & an cælibem esse, an vero nubere conveniat? invenitur elegans oratio in *Drudonis* practica arte amandi p. 203. ed. Amstelod. 1612. 12; addatur *Io. Adam. Bernhardus* in der curioes. gel. Gesch. Lib. III. cap. VII. p. 312. seqq.

tiquitatibus & monumentis hiſtoricis magis, quam in arte cum ſexu muliebri converſandi verſatus erat. Contra vero uxor eius fuit iuvenis, quæ quoque eamdem ob rationem, prout modo vidimus, poſt exiguum temporis ſpatium ab eo diſceſſit, & Francofurtum, ubi parentes ipſius habitaverunt, conceſſit. Ad quod diſſidium, vel potius infortunium procul dubio his verbis d) adluditur: *Diurno, nocturnoque ſtudio, nec non accedentibus variis afflicti animi curis & ſollicitudinibus haud parum infirmari valetudinem ſenſit.* Nullos quoque ex ea liberos progenuit; adeoque in teſtamento, paulum ante mortem compoſito, ſororem ſuam, quam *Calpmeierus*, Palatinus Correctior, vulgo Landſcriba, Heidelbergenſis, ſociam tori habuit, ex aſſe heredem omnium bonorum ſcripſit. Propter nimios in legendo ſcribendoque labores in adverſam iamdudum inciderat valetudinem; quippe quæ ſuam originem inde traxit, quod per continuam vitam ſedentariam ſibi fluxum hæmorrhoidum contraxerit, & quod idem fluxus poſtea per nimis crebros animi motus & agitationes, & per continuum ſedere veluti ſuppreſſus fuerit. Adeoque, ſanguine facto craſſiore, propter lentiorem ſanguinis circulationem per venæ portæ ramos deinceps ſequebatur non modo vehementiſſimum dolorem adferens diarrhæa hæmorrhodialis cum flatulenta ventris diſtenſione, ſed obſtructio etiam hepatis aliarumque iuxta illud glandularum, ut & non minus craſſitudo, vel denſitas & coagulatio fellis. Tandem viſcerum inflammatio, cum vehementibus ſingultibus multisque ructibus coniuncta, accedebat, ita ut in hoc miſerabili corporis conditione a. d. III. Octob. circa meridiem intra undecimam & duodecimam horam an. 1715. diem obierit ſupremum. Vixit LV. annos, VIII. menſes, minus uno die. Corpus eius d. V. eiusdem menſis efferebatur, ſepultum in templo D. Petri, & quidem in ſacello academico, ubi ſequens legere hodiedum licet epitaphium:

HOC

d) In progr. apud *Ioannis* l. d.



HOC PVLVERE TEGITVR
QVI PATRIAM HISTORIAM E PVLVERE REVOCAVIT
CAROLVS LVDOVICVS TOLNERVS
SERENISS. PRINCIPVM
ELECT. PALATINI ET HASSIAE LANDGRAVII
CONSILIARIVS ET HISTORIOGRAPHVS
QVI ANNO MDCLX. PRID. NON. FEBR. NATVS
POST PERAGRATAS EXTERAS REGIONES
POST EDITAM PALATINAM
ET CONSCRIPTAM HASSIACAM HISTORIAS
VARIORVM FATORVM HISTORIA ESSE DESIIT
AN. MDCCXV. D. III. OCTOB. AET. LVI. e).

Ceterum *Tolnerus* noſter non modo in ſtudiis ſuis proſequendis, excolendis perpoliendisque fuit indefeſſus, ſed egregie quoque meritus de ſtudio hiſtorico generatim conſiderato, ſpeciatim vero de hiſtoria Palatina, licet haud pauci in eadem obvii ſint errores, præter nonnulla alia vituperanda. Sic v. g. 1) quod ad *Tolneri* genealogicas attinet tabellas, omnino fuiſſet optandum, ut ſchemata diſtinctius in oculos incurrerent f). Nam iſtiusmodi tabellæ adeo confuſæ ſunt, ut ſæpiuſcule filius in fratre & frater in filio ſit quærendus. Etſi hæc ita ſeſe habeant, generoſiſſimus tamen hiſtoriæ patriæ patronus & promotor g) duas ipſius *Tolneri* manu conſcriptas poſſidet genealogicas tabulas, quæ quodammodo accuratius diſtinctiusque & melius ſeſe oculis repræſentant. In altera tabula, quam *Tolnerus* an. 1706. concinnavit, CAROLI M. genus a *Merovæo* & *Ferreolo*, Præfecto Prætorii in Gallia ſub Imperatore HONORIO, ſecundum diverſas variorum opiniones proponitur.

e) Conf. Spicil. VI. poſt hiſt. litter. de Gymn. Heidelb. p. 22. ſeq.

f) Ita iam rectiſſime obſervavit *Io. Hübnerus*, Gymn. Hamb. quondam Rector meritiſſimus, in der Hamb. bibl. hiſt. cent. VII. art. 56.

g) Nimirum Vir ampliſſ. *P. W. L. Flad.*

nitur. In altera vero, quam *Monumentum Wittekindæum* inſcripſit, oſtendit, quomodo tam Electoralis & reliquæ Domus Saxonicæ, quam Electoralis & Marchica Domus Brandenburgica, item Anhaltinæ & Brunsvicenſes Domus h) eodem modo, quo Archi-Palatina, a WITTEKINDO *primo*, Duce Saxoniæ, eiusque patre WARNEKINDO derivari queant. Deinceps 2) *Tolnerus* ſolide quidem atque exacte ſcripſit, ſed tamen neceſſaria iudicii *ἀκρίβεια* non ſemper adhibita. Præterea 3) ingentem diverſarum rerum cumulum inter ſe invicem commiſcet, adeo ut multis in locis ipſius hiſtoria veluti rerum diſſimilium eventuumque mixtura compareat. Id quod 4) ſpeciatim cernere licet in adlegationibus auctorum, qui cum textu ſuo ſic inter ſe ordinantur & confunduntur, ut opus eius non modo cum moleſtia tædioque legatur, ſed lectores quoque haud raro perturbet, atque in haud leves inducat errores; ſiquidem hiſtoriographus ſimul 5) res cum ipſiſſimis aliorum auctorum verbis crebrius proponit, atque in contextu ſuo verbis iisdem pergit, paſſimque verba ſcriptorum aliorum interponit & inſerit, absque ut illa diſtinctis indicata ſint & ſignificata litteris. Inde diſtinctu longe difficillimum eſt: utrum verba & teſtimonia ſint adlegatorum auctorum, an vero ipſius *Tolneri* verba. Hinc haud difficulter in lectorum mentibus erroneæ oriri perceptiones queunt. Inſuper 6) *Tolnerus* decentem neceſſariumque auctorum delectum non ſemper obſervavit. Porro 7) auctores maximam partem falſo citantur; quod tamen forſitan plerumque typographicis tribuendum eſt ſphalmatibus; utpote quorum 8) monſtroſa occurrit copia. Tandem 9) haud exiguum vitium eſt, quod ſcri-

h) De qua re merito legatur *Caſp. Sagittarius* in hiſt. March. & Elect. Brandenburg. ed. Ienæ 1684. 4; Idem in origg. Ducum Brunsvico-Luneburg. ibid. 1684. 4; Rurſus idem in hiſt. Principum Anhaltinorum, ibid. 1686. 4.



scriptores, & quidem in locis, ubi necessario requiritur, atque ubi res ipsæ potissimum ex testimoniis auctorum omnino sunt probandæ, tantum obiter, & quasi in folle, prouti Iurisconsulti loquuntur, adlegentur; v. g. *Commissum est prælium, ut Frodoardus, Regino, Hermannus Contractus, Schafnaburgensis testantur;* vel tali pacto: *vid. Ditmar. Mar. Scot. Sigebert. Gembl.* &c. Adeoque ingentia volumina sunt evolvenda, terenda, perlegenda, quid? immo aliquamdiu in iis quærendum, donec inveniatur, quod quæritur, & de quo citati scriptores secundum *Tolneri* sententiam testantur.

Coronidis loco programma, quo civibus academicis ultimum officium defuncto præstandum indicebatur i), subiungere placet.

Prorector
Academiæ Heidelbergensis.
L. S.

Quemadmodum illi, qui christianæ philosophiæ præceptis imbuti sunt, quotiescunque attentos per universam huius mundi compagem oculos circumferunt, fluxa & caduca, corruptionibusque obnoxia vident omnia, nec alio fine nasci, quam ut absoluto orbe suo denascantur, ipsumque adeo aureum mundi oculum, fontem lucis & vitæ, solem non alia lege oriri quotidie norunt, quam ut omnia secum rapiat in occasum, radiis etiam, velut totidem facibus, interitui prælucentibus; ita divino collustrati iubare, sanctam & immutabilem fatorum legem adeo reformidant nunquam, peremptorioque supremi imperatoris, cui tota lubens famulatur rerum universitas, edicto, e mortali hac statione evocanti,

i) Quod scripsit Vir celeber. & artis medicæ experientissimus *Dan. Nebelius.* Idem progr. obvium quoque est apud cit. *Ioannis* in miscell. Palat. & quidem in præf. p. VIII. seqq.



ti, adeo obluctantur nunquam, ut semper etiam memores, se in mortalis vitæ scenam, velut in obsitum pœdore carcerem, horridum molestiis ac laboribus ergastulum, infamem scopulis & naufragiis oceanum, plenam hostibus ac ferventem perpetuis conflictibus arenam, missos, oboriente sæpius inter ærumnarum cumulos huius exilii fastidio, evectoque ad cælestia animo, ingratam vitæ amaritiem iugi perennium apud superos deliciarum promulside identidem soliti edulcare, longam squalidi carceris illuviem, cum amœnissima beatarum sedium societate, ærumnosos ergastuli labores, cum æterna & nunquam turbanda quiete, periculosam inter syrtes navigationem, cum pacata securi portus statione, cruentam pugnandi necessitatem, cum terminari nescia triumphali gloria, iubente supremo fatorum arbitro, læti lubentesque commutent. Non alio sane animo fatalem ultimæ necessitatis horam vel adventantem exspectavit vel præsentem excepit Vir nobilissimus, amplissimus & consultissimus D. Carolus Ludovicus Tolnerus, *Serenissimi Electoris Palatini & Landgravii Hasso-Cassellani Consiliarius & Historiographus, dum viveret, meritissimus; qui anno* MDCLX. *pridie Nonar. Februar.* Crucenaci *Viro prænobili & amplissimo,* D. Ioanne Carolo Tolnero, *Consiliario Palatino & Præfecto* Crucenacensi, *matre vero matrona omnibus suum sexum decentibus virtutibus ornatissima,* Agatha Agnete, *viri celeberrimi* Petri de Spina, *Archiatri Palatini & Hassiaci, nec non Medicinæ Professoris in academia Heidelbergensi filia, prognatus, & ab his parentibus sollicite educatus, haustis in patrio gymnasio pietatis & bonarum artium præceptis, post prægmaturam patris mortem, a mæstissima matre cum reliqua familia Heidelbergam translatus fuit, ibidemque primum philosophiæ & cumprimis historiæ, postea iuris quoque studio sedulam navavit operam: dein ad exteros huius studii excolendi gratia profectus, per Helvetiam & Galliam in Belgium transiit, celebriores illorum locorum viros eruditos frequentavit, & instructissimas bibliothecas curiosis oculis perlustravit, domumque redux illustrandæ historiæ Palatinæ omnem industriam adhibuit, conscripto de ea in-*



tegro volumine, cum codice diplomatico; quo eam sibi nominis famam comparavit, ut a serenissimo & potentissimo Electore, Domino nostro clementissimo, Consiliarii & Historiographi Palatini munus ei demandatum fuerit; cui etiam summa cum diligentia præfuit, & itinere in Bavariam & Austriam, rursusque in Belgium suscepto, quamplurima ibidem manu scripta notatu dignissima conquisivit & excussit, sicque maiorem rerum Palatinarum ac aliarum notitiam adeptus est; ob quam etiam Consiliarii & Historiographi Hassiaci titulo condecoratus, historiam Hassiacam conscribere cœpit: hac vero sedulitate & diurno nocturnoque studio, nec non accedentibus variis afflicti animi curis ac sollicitudinibus haud parum infirmari valetudinem sensit, corpusque ita debilitari, ut ob continuos fere dolores hæmorrhoidales & ventris flatulentas distensiones studiis valedicere coactus fuerit, fractisque tandem viribus, die III. *huius mensis placide vitam cum morte commutarit, nondum exacto ætatis suæ anno* LVI. *Ad huius viri pie defuncti funus, hodierna die, quæ est* V. *Octobris hora prima pomeridiana efferendum, omnes litterarum & litteratorum fautores ac cultores, Academiæque cives officiose & peramanter invitantur, & ut frequentes funeris exequias comitari velint, obnixe rogantur.* P. P. *Heidelbergæ die* V. *Octobris* MDCCXV.

Ex carmine lugubri k) tantum ea, quæ vitam *Tolneri* aliquatenus illustrant, hic subnectimus:

Von diesem Wechsel kan ein klares Zeugnuß geben
Herr *Tolner*, der allhier in seinem gantzen Leben
Sich

k) Quod condidit, & Heidelbergæ in fol. edidit. *I. Fr. Mieg*, tunc XV. annorum adolescens, nunc autem meritissimus curiæ matrimonialis Palat. Director. De cuius scriptis vid. cel. *I. G. Meuselius* in dem gelehrten Teutschland. Ipsius scriptis adiungendus est tr. de electione imperatoria, Wormat. 1757. 4.

Sich darauf hat gelegt genau zu nehmen acht,
Was in Historien noch Niemand hat betracht.
Desswegen, wie er sehr sein Vatterland geliebet,
Hat Er auch sonderlich darinnen sich geübet,
Die Fata von der Pfaltz und ihrer Obrigkeit
Zu forschen embsiglich, zu zeigen gantz bereit.
Den Stamm der Fürsten Er so weit her deriviret,
So in der Pfæltzischen Historie triumphiret,
Dass ihm *Paræus* weicht, dass selbst *Freherus* nicht,
Was Er gezeiget an, gebracht hat an das Licht.
Drum ihn die Pfaltz beklagt; es klagen auch die Hessen,
Dass Er den hohen Stamm, darüber Er gesessen
Schon etlich Iahr mit Fleiss, der Fürsten, wie man dacht,
Vnd ihr Historiam noch nicht zum End gebracht.
Ein Werck dem andern gleich, so weit hinauff getrieben,
Dass, was *Dillerus* auch und *Winckelmann* geschrieben,
Mit seiner Arbeit nicht verglichen werden kan,
Wann ein gelehrte Hand das Ende fügt daran.
Es hat der Seelige viel Iammer auch erfahren,
Bey dieser Lebens-Zeit wohl in den letzten Iahren,
Er hat das Creutz geschmeckt, die Trübsaal schwer gefühlt,
Und alles Ungemach hat mit Ihm wohl gespielt.
Er war durch Angst geprüfft, durch Leiden recht gedrücket,
Und wo Ihm eine Stund die matte Seel erquicket,
So war ein gantzer Tag dargegen ohne Ruh,
Und brachte meistentheils die Næchte schlaflos zu.

 Wie

Wie öffters hæufften sich bey Ihm die grosse Schmertzen,
Und gaben Stoff auf Stoff nach Seinem matten Hertzen:
Der Schmertze liesf nicht nach, Er sasse oder lage,
Und wann die Ruhe kam, war es ein Freuden-Tage. &c.

Alia aliorum de *Tolnero* testimonia alibi l) legi poterunt. Sic Vir doctissimus m) *Incredibili*, inquit, *industria Auctor hic emendavit stemmata atque genealogias Comitum Palatinorum. In rebus etiam antiquis evolvendis plenus & curatus est. Typus autem admodum mendosus, nulla scriptoris culpa, opus deformat. Desiderarem quoque auctorum selectum. Sed erudito atque industrio viro, ex patria exsuli per tyrannidem Gallorum, forte non is monumentorum apparatus esse potuit, quem tranquillæ Musæ in eiusmodi lucubrationibus exigere assolent. Interim gratias ei publico nomine agimus pro erudito labore: sique preces nostræ aliquid possunt, rogamus eum, ut ab anno* MCCXCV, *ubi desiit, continuare pergat historiam Palatinam, cum illa nunc restent, quæ faciem Germaniæ hodiernam propius attingant.* Hisce suffragatur alius scriptor n), qui *Tolnerum* nostrum *Viri longe doctissimi* elogio condecorat, &, *ut Deus vitam* illi *otiumque concedat, continuandi, quod cœpit, historiæ Palatinæ opus*, vovet. Nec ab eorum sententia discedit elegantissimus historicus o), *Recentior*, inquiens, *& egregia est* Caroli Ludovici Tolne-

---

l) Apud cit. *Ioannis* passim.

m) Nempe *Ludovicus Petrus Giovanni*, sive, qui sub iis nominibus latet, *Ioan. Petrus Ludewig* in Germania principe lib. V. cap. VI. p. 116. ed. secundæ.

n) Nimirum *Nic. Hieron. Gundlingius* in diss. de iure oppignorati territorii §. 86. in adnot. ** p. 60.

o) Qui est *Burc. Gotthelf. Struvius* in biblioth. hist. cap. XXI. §. VI. p. 561.

Tolneri *historia Palatina a principio ad ann.* MCCXCV. *Francof.* MDCC. f. *Multam industriam adhibuit auctor, ita ut stemmata & genealogias Comitum Palatinorum potissimum emendaret, & multa ex antiquis erueret, ita ut continuatio operis ad nostra usque tempora omnino sit optanda* p). Atque hæc de *Tolnero* nostro sufficiant!

5) *Abrahamus Theobaldus Gottschalck*, Crucenaco-Palatinus, *Ioan. Theobaldi Gottschalckii* cognatus q), qui, stadio studiorum academicorum, in primis Heidelbergæ, feliciter emenso, præfectus in sacris fuit cœtui Evangelico Reformatorum, qui in oppidulo Stadecka, tunc temporis Bipontinæ ditionis, colligitur. Hic edidit, quantum quidem novimus, docte elaboratum sermonem sacrum, sub titulo: Geistliches Rauchwerck — — in einer Fast-Buss- und Bettags-Predigt über den — — Sieg, womit der Herr Zebaoth — — den allerdurchleuchtigsten-Fürsten Herrn CARL den XII. der Schweden, Gothen und Wenden Kœnig &c. &c. wider — den

p) Cetera nobis suppeditat cit. *Ioannis* in specim. I. animadvers. ad *Tolneri* hist. Pal. præfat. in miscell. Palat. p. 3. seqq. Elegantissimam *Tolneri* biographiam, ex qua plurima depromsimus, nobiscum communicavit Vir perillustris *P. W. L. Flad* in den Karlsruher Sammlungen oder Abhandl. aus allen Theilen der Wissenschaften &c. vol. I. p. 201-208. p. 237-244. Eamdem biographiam videmus insertam in celeb. *Aug. Frid. Schotti* iuristischem Wochenblatt, dritter Iahrgang (Leipz. 1774. 8.) num. XII. p. 169—191. Conf. etiam Personalia de vita & obitu *Tolneri*, nec non *Iöcherus* im allgem. gel. Lex. P. IV. p. 1231. & 1240.

q) Hic ab an. 1671. ad an. 1675. cultor Musarum Heidelbergensium fuit diligentissimus; quo tempore varia concinnavit epicedia Lat. & Germ.

v. g.



den Czaar — bey Entsatz der Stadt und Grentzvestung Nerva gekrœnet, — aus den vorgeschriebenen Textworten 2 Chron. XIV. 11. — vorgestellet, und - zum druck befœrdert. Hanau 1701. in 4. Hæcce concio dedicata est generosissimo Dn. *Gabrieli* de *Oxenstierna*, Comiti in Cronenburg &c. regiæ Maiestatis Suedicæ Status Ministro & Gubernatori Ducatus Bipontini, viro incomparabili.

6) Huncce Theologum sequitur egregius physicus *Ioannes Daniel Geier*, Crucenacensis, primum diœcesis Alceiensis, postmodum vero præsidii Fridericiburgensis ac Mannhemiensis Medicus Electoralis Palatinus, & Academicus curiosus; utpote qui elucubratissimum de montibus conchiferis ac glossopetris Alceiensibus schediasma ad *Georg. Francum*, Archiatrum, Prof. P. O. Heidelberg. & Academicum curiosum, scripsit, & deinceps publici iuris fecit r). Huic schediasmati, quod sine indice auctorum viginti duas continet paginas, alii duo libelli sunt subiuncti, quorum titulus generalis sequens est: *Io. Dan. Geieri* Thargelus, Apollini sacer, continens trigam medicam, ex regno animali, minerali & vegetabili s). De cantharidibus, 2) de montibus conchiferis & glossopetris Alceiensibus Archipalatinis, 3) de Dictamno, ad mentem S. R. I. Naturæ Curiosorum. Francof. 1687. 4.

7)

---

v. g. in obitum *Georgii Cellarii*, ecclesf. Senatus Consiliarii, qui IX. Cal. Sextil. an. MDCLXXI. placide in Domino suo obdormivit; in obitum *Danielis Spanhemii*, Academiæ Heidelb. Bibliothecarii, *Frid. Spanhemii* sen. filii, die XX. Ian. an. 1675. in florentissima ætate, celeri fato, exstincti; atque in eiusdem memoriam epiced. Lat. Heidelbergæ, typis *Ioan. Christiani Walteri*, Acad. typogr. 4.

r) Nimirum Francof. & Lips. 1687. in 4.

s) Id quod iam monuimus in Alceia Palat. illustr. §. IV. p. 8. not. un.

7) Nunc ordo tangit *Carolum Conradum Achenbach*, Crucenaco-Palatinum. Familiam *Achenbachiorum* non modo ſatis antiquam, ſed in variis quoque eccleſiis celebrem fuiſſe, conſtat. Notus inter alios nobis eſt *Georgius Achenbach*, Laſphæus, poſtea an. 1613. Paſtor Crucenacenſis t); utpote qui ſub *Rodolpho Goclenio*, Profeſſ. philoſ. pentada quæſtionum philoſ. Marburgi an. 1609. in 4. defendit, eamque præter alios dedicavit *Ioanni Achenbach*, verbi divini eccleſiæ Girckhuſianorum, Wunderthuſianorum &c. Μυςαγογῷ ſincero, cognato ſuo u), *Franciſco Achenbach*, Diacono apud Laſphenſes, patrueli ſuo, nec non *Ioanni Achenbach*, myſteriorum ſ. ſanctorum apud Ahrfeldenſes diſpenſatori, patri ſuo. *Carolus* autem *Conradus Achenbach*, qui duos fratres natu minores habuit *Franciſcum Philippum* & *Ioannem Iacobum* v), Crucenaci die XXVI. Aug. anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo quinto w) natus; in qua civitate avus eius *Georgius* fuit Eccleſiaſtes, pater vero *Ioannes* Paſtor & eccleſiarum vicinarum Ephorus x). Noſter cum duobus fratribus poſtea diſciplinæ Gymnaſii noſtri Heidelbergenſis traditur; ubi ſub moderamine *Ioſephi Tannebergii*, tertiæ curiæ præceptoris, *Ferdinandi Poſthii*, Conrectoris, & præſertim *Ioan. Gerlaci Wilhelmi*, Re-

---

t) Vid. infra §. XLIX.

u) Hic idem *Ioannes Achenbachius* fuit, cui *Petrus Marcellinus Mylius*, ſcholarum Francoberg. Director, dicavit epigrammatum libellum, cui titulus: „Libellus epigrammatum, ſtatum Hierarchiæ Romanæ Catholicæ brevi & feſtivo carmine quaſi vivis coloribus quadantenus depingens.„ an. 1619. in 4.

v) De quibus vid. Gymn. Heidelberg. in ſpicil. IV. §. XX. p. 30. & in ſpicil. V. §. XX. p. 19.

w) Non vero an. 1656.

x) De quo inferius §. XLIX.



Rectoris, in studiis propædeuticis, ad quæ tunc temporis animi adolescentium feliciter accendebantur, atque iisdem utiliter innutriebantur, eos fecit progressus, ut summa cum laude fuerit ad lectiones promotus academicas. Academicis vero studiis diligentissimam navavit operam Heidelbergæ, potissimum Marburgi Cattorum, & in quibusdam Belgarum academiis. Deinceps, stadio studiorum academicorum bono omine emenso, ordinis sacri candidatis adscribitur, immo iam anno ætatis suæ vicesimo tertio nuncupatur aulicus concionator in Turnhout apud Serenissimam Dominam MARIAM viduam, Ducem Palatina-Simmerensem, natam Principem Arausionensem. Verum autem post trium annorum decursum optima hæcce Princeps ipsum invita amisit, quum in locum *Ioannis Dortii* Crucenacum evocaretur y), ubi anno 1682. iuxta *Godofridum Andreæ*, Inspectorem z), designatus fuit primus Diaconus a). Postmodum autem an. 1684. Serenissimi Principis CAROLI, Electoris Palatini a parte Reformatorum ultimi, a concionibus aulicis in ordine secundus vocatur; in qua statione quoque apud Serenissimam CAROLI matrem, CAROLI LUDOVICI Electoris viduam, usque ad annum 1686. permansit. Deinceps vero post Serenissimæ Principis obitum, d. XVI Martii eiusdem anni secutum, secundus in templo coenobii Pastor, sed tamen an. 1689. Ecclesiastes in templo Spiritus Sancti denominatur & confirmatur. Tandem an. 1693. ipsi munus Consiliarii ecclesiastici Palatini demandatur.

Verum

---

y) Conf. mss. acta der Bestallungs-puncten der reformirten Geistlichen in der Inspection Creuznach de an. 1682. ad 1760.

z) De quo egimus supra §. XLVI. num. 19. p. 340 — 379.

a) Legatur ms. Extractus aus dem Pfarrer- und Schul-Competenz-Buch ad annum 1682.

Verum enim vero ſplendidam hanc & graviſſimam haud diu adminiſtravit provinciam. Nam poſtmodum, patria noſtra in funeſtiſſimo bello Gallico miſerrimum in modum devaſtata, anno 1700. FRIDERICUS, nominis ſui *primus*, Rex Boruſſorum Potentiſſimus, benigniſſimum exulum Palatinorum præſidium, noſtrum tamquam aulicum & eccleſiæ cathedralis Paſtorem, immo Conſiſtorii, quod Halæ Magdeburgicæ floret, Senatorem, clementiſſime deſignat & ſollemniter conſtituit. Inde, Theologiæ Doctor rite creatus, anno ſeculi noſtri ſecundo Berolinum, ad munera Concionatoris aulici, Paſtoris eccleſiæ cathedralis, eccleſiaſtici Conſiliarii, & regiæ Berolinenſis ſcientiarum ſocietatis Socii, obeunda, tranſiit, iisque ampliſſimis & graviſſimis muneribus graviſſime, dexterrime, ſummisque omnium encomiis præfuit usque ad ultimum vitæ ſuæ halitum. Ibidem vir hicce optimus & maxime pius obiit diem ſupremum d. XXI. Martii an. 1720. ætatis ſexageſimo quinto. In perpetuam ipſius memoriam oratio funebris ex Pſalm. CXIX. 92. fuit habita b). Ceterum ornatus fuit noſter magnis & maxime egregiis animi corporisque dotibus, quemadmodum omnes, conſortio eius uſi, teſtabantur, & prouti quoque ex eius effigie, quam poſſideo, cernere aliquatenus licet. Præſtantiſſima potiſſimum & ſuaviſſima polluit eloquentia planeque nectarea ſuada. In proponendis ſermonibus fuit brevis, ſed diſtinctus tamen, emphaticus, gratus, ſuavis, iucundus, immo, plura paucioribus ut complectar, prorſus ſingularis & pæne divinus, ita ut auditoribus ſuis maximam ſemper moverit admirationem.

Anno 1683. auſpicatiſſimum iniit matrimonium cum honeſtiſſima & probiſſima Virgine *Maria Margaretha*, ampliſſimi

b) Quæ etiam Berolini an. 1720. in fol. prodiit. Hanc dixit *Henricus Auguſtus Steinbergius*, regius Concionator aulicus & Senator eccleſiaſticus.



mi Viri *Ioannis Wilhelmi Weidneri* c), I. V. D. & celsissimi Principis Birckenfeldensis Consiliarii, filia; utpote quae ipsi octo peperit liberos; ex quibus quatuor ante patrem fuerunt denati. Ad *Achenbachium* nostrum & *Ioannem Danielem Schmidtmannum* d), parochialis ecclesiae Berolinensis Pastorem, atque ecclesiasticum regiae Maiestatis Borussicae Consiliarium, pariter Palatinum, exstat dissertatio epistolaris e). Quod ad scripta *Achenbachii* attinet, is collegii biblici decadem primam ad Gen. cap. I. ℣. 1. sub praesidio *Reinholdi Pauli*, s. s. theol. D. & Prof. defendit Marburgi d. XII. Aug. an. 1676; eiusdem decadem nonam, ibidem d. XIII. Ian. 1677; decadis duodecimae pentada posteriorem, ibid. d. XXII. Mart. 1677 f). Praeterea, dum adhuc Heidelbergae morabatur, proposuit den Verlust getreuer Vorsteher, ex Ies. cap. III. 1. 2. 3; quum tit. *Ioannes* de *Spina*, I. V. D. Palatinus Senator ecclesiasticus, Institut. & iuris feudalis Professor Heidelbergensis, d. XIII. Sept. anno elapsi seculi octogesimo nono contumulatus fuerit. Rogatus hancce pro frequentissima concione dictam orationem typis evulgavit Heidelb. an. 1690.

---

c) Filius hic fuit *Ioannis Leonardi Weidneri*. Vid. Gymn. Heidelb. spicil. III. §. XV. p. 14. spicil. IV. p. 22. spicil. V. p. 9. seqq. & spic. VI. p. 14. seq.

d) Idem *Schmidtmannus* Berolini ex hac terrestri in caelestem vitam commigravit m. Iul. an. 1727. Orationem funebrem dixit *Iacobus Elsnerus* d. XI. Iul. eiusdem anni ex Ies. LIV, 13; quae ibidem in fol. prodiit. Conf. *I. G. W. Dunckel* in den hist. crit. Nachr. &c. vol. I. P. II. in adpend. p. 340.

e) Quam *Henr. Iacobus* van *Bashuysen* scripsit, & d. VI. Novembr. 1715. dedit, praemissam orthodoxiae, expositae orbi erudito dissertatione propria de siglo & Cherubinis, Hanoviae 1715. 4.

f) Hanc dedicavit D. *Ioan. Ludovico Fabritio* & *Ioan. Friderico Miegio*, tunc celeberrimis theol. Professoribus Heidelbergensibus.

1690. in 4. Insuper edidit eine Leichpredigt auf *Ursula Sibylla Hussin*, geborne *Miegin*, Halle 1701. in fol; eine Predigt von der Auferstehung der Todten, über Act. XXIII. 6. Koeln an der Spree 1704. 4; atque plures, ut opinor, alios istiuscemodi sermones g).

8) Theologo adiungimus Iurisconsultum haud contemnendum, non quidem tam propter scripta politica, quam potius eristico-theologica famosum, nempe *Christianum Rittmeyerum*, indolis turbulentæ hominem; utpote qui, variis rationibus inductus, a castris Evangelico-Lutheranorum ad sacra Romano-Catholicorum transiit, in quibus usque ad obitum constanter perstitit. Haud ita diu post celsissimi Regiminis Electoralis Palatini consiliarius & archisatrapiæ Crucenacensis Dapifer, quem in vulgari sermone Truchsessium nominare solent, clementissime constituitur. Hic præter alia in dias luminis auras sequentia emisit scripta eristica: 1) Vindicias iuris reformandi, auf Veranlassung eines wieder die Churpfælzische introductionem exercitii Catholici von einem Anonymo an. 1696. herausgegebenen Tractætleins. Coblenz, 1703. in fol. 2) Catholische Anmerckungen über den reformirten Heydelbergischen Catechismum, durch welche einige — — — Articul des Catholischen Glaubens aus — Zeugnüssen der vornehmsten in den vier ersten Sæculis geblüheten Vætter und Lehrer der Kirchen — — behauptet und erwiesen, der Vngrund des — Vorgebens, dass die Protestirende Religion in den streitigen Puncten mit der Lehre der

 ersten

---

g) Conf. cit. *Dunckelius* l. d. vol. I. P. III. num. 501. p. 360; ubi laudatur *Ioan. Christop. von Dreyhaupt*, consil. intimus Boruss. in pago Neletici & Nudzici, oder in der ausführlichen diplomatisch-historischen Beschreibung des Saal-Kreises &c. II. Theil. (Halle 1750. fol.) vol. XXIII. p. 572.

ersten Kirchen übereinkomme, — gezeiget, annebst die wichtige Frage: Ob ein unmittelbahrer Reichs Stand dero Vnterthanen das Læstern seiner Religion ohne Gewissens-Bekraenckung verbieten könne? Heidelberg. 1707. 4. Mox contra hasce observationes Theologi Reformati Heidelbergenses christianas evulgaverunt admonitiones. Hinc autem lis eo maior eoque acerbior fuit exorta, ita ut *Rittmeyerus* d. XXXI. Decemb. an. 1707. publici iuris fecerit 3) Vorlaeuffige Ermahnungen, und an die —— Reformirte Herren Professores Theologiæ abgelassene — Bitte, dass sie sich in Beantwortung seiner catholischen Anmerckungen — besser, als in ihren — in Druck gegebenen Christlichen Erinnerungen geschehen, zu befleissigen belieben wollen &c. Heidelb. 1707. in 4. Verum autem, quid inde effectum fuerit, experientia affatim edocuit. Nam adversus illud scriptum Reformati Heidelbergenses Theologi ediderunt eine christliche Warnung auf die vorlaeuffige Ermahnung des Churpfaelzischen Regierungs Raths, Herrn *Christ. Rittmeyers*, und an denselben abgelassene geziemende Bitte, dass er sich in fernerer Beantwortunge ihrer christlichen Erinnerungen einer anderen Methode bedienen, die angeführte Authores zuvoren, ehe er sie falscher Allegationen beschuldige, aufschlagen — moege &c. Heidelberg. den 17. Ianuarii. 1708. in 4 h). Insuper D. *Chr. Rittmeyerus* scripsit triginta mysteria passionis dominicæ succincte enucleata, demum edita Mogunt. 1741. in 8.

Idem

h) De hac lite vid. D. *Ludov. Christi. Miegii* & D. *Io. Chr. Kirchmeieri*, tunc theol. Professorum Heidelb. celeberrimorum, præfat. ad historiam collationum publicarum inter Professores Catholicos & Reformatos in Academia Heidelbergensi coram illustri Auditorio habitarum, & iuxta cum animadversionibus necessariis ad R. P. *Melchioris Kirchneri*, S. I. appen-

Idem *Rittmeyerus* quum Proteſtantes Planicenſes vehementem in modum inſectaretur, *Ioan. Chriſtianus Kirchmeyerus*, Theol. D. & Prof. Heidelb. nec non Conſiliarius eccleſ. Palatinus, m. Ianuar. an. 1713. Crucenacum abire iuſſus eſt, ad ea gravamina religioſa, quæ vocantur, diligenter inquirenda, &, ſi fieri poſſet, pro iudicii ſui ſagacitate, qua pollebat, de medio prorſus tollenda i).

9) Iam ſequitur egregius atque in muneribus ſuis maxime ſtrenuus graviſſimusque Theologus, nempe *Philippus Hieronymus Andreæ*, natus Spiræ Nemetum, *Chriſtophori Andreæ*, primum eccleſiæ Spirenſis, poſtea Edikovienſis in Palatinatu Paſtoris, filius natu maximus k). Hic prima artium liberalium fundamina in Gymnaſio Heidelbergenſi poſuit, atque ibidem tales in ſtudiis propædeuticis progreſſus, ſpeciatim ſub ductu *Ioannis Gerlaci Wilhelmi*, tunc Rectoris, fecit, ut ſumma cum laude ad academicas tranſierit lectiones l). Deinceps optimas celeberrimasque Academiæ Heidelbergenſis, Baſileënſis & Marburgenſis Muſas ſalutavit, ibique omnibus ſuis Doctoribus cumulatim ſatisfecit, adeo ut quoque, ſyſta-

appendicem ſecundi generis editam, an. 1711. in 4; addatur *Ioan. Adolp. Hartmanni*, Hiſt. & Eloq. Prof. P. O. oratio funeb. in obitum D. *Io. Chr. Kirchmeieri*, S. S. Theol. D. & Prof. in acad. Marburg. primarii, Auguſti Suecorum Regis, Haſſiæ Landgravii reliq. Conſiliarii eccleſ. & eccleſiarum reformatarum in Haſſia ſuperiore Inſpectoris, (dicta d. XX. Martii an. 1743. atque eodem anno Marburgi typis vulgata in 4.) p. 53 — 60.

i) Conf. idem *Hartmannus* in cit. elegantiſſima orat, p. 54. ſeqq; ubi quoque p. 62. 63. 67 — 73. alia, potiſſimum eccleſiaſticam patriæ noſtræ hiſtoriam illuſtrantia, ſubiunguntur.

k) Vid. Gymn. Heidelberg. ſpicileg. V. §. XX. p. 18.

l) Conf. ibid. & in mſſ. catalogis diſcipulorum.



systaticis iisque optimis & elegantissimis exornatus, tandem ad lares patrios redierit. Praeterea, variis speciminibus indefessae diligentiae & studiorum publicatis, bonam nominis sui famam usque eo extendit, ut haud diu post examen theologicum, quo se virum praestitit in litteris apprime versatum, electus fuerit Pastor ecclesiae Spirensis, postea vero ecclesiae Neohusianae prope Wormatiam Vangionum. Tandem ab ampliss. Senatu ecclesiastico Palatino Crucenacum ad munus ecclesiasticum obeundum evocatur; ad quod d. XXVI. April. anno seculi nostri primo m) fuit inauguratus. In utroque enim munere Inspectorem & Pastorem *Fabritium*, qui *Gisberto Porlockio* n) quidem successerat, sed mox dicto anno Dantiscum abierat, ibidem excepit o). Eidem *Andreae* praeter alios Crucenacum suum, quod occasione inaugurati Gymnasii prodiit, *Iac. Daniel Humbertus* p) dedicavit. De nostro dignum est memoratu, quod in contractu divisionis Comitatus Sponhemiensis inter Serenissimos Principes, Electorem Palatinum & Marchionem Badensem, institutae legimus. Nam, quum *Ioan. Henricus Otto* q), celsiss. Regiminis Electoralis Consiliarius & Camerae Director, ecclesiasticis propter religionem & cultum divinum delegatis respondisset: Ea in re factum iri, quod iuris foret. Hinc laudatus *Andreae* sequentem propositionem per memoriales huius argumenti litteras decenter exposuit: *Dass Ihro Churfürstliche Durchleucht* in

---

m) Prouti testantur litterae Celsiss. Regiminis Elector. ad Archisatrapiam Crucenacensem, et mss. Acta der Bestallungs-Puncten der reformirten Geistlichen in der Inspection Kreuzenach de an. 1694—1760.

n) De quo supra §. XLVI. num. 21. p. 379. seqq.

o) Ut legimus in modo cit. Actis der Bestallungs-Puncten &c.

p) De quo iam alibi pluribus egimus, v. g. in hist. de Gymn. Heidelb. & in spicilegiis passim, nec non supra in h. §. num. 3. p. 388. seq.

q) Legantur, quae superius scripsi §. VIII. p. 20. seq.



in Dero den 21. Novembr. an. 1705. Chur - und Landfürstliche Declaration sich gnaedigst erklaeret, es in der vorderen Graffschafft Sponheim ratione der reformirten Religion und Kirchenwesens mit dem, was selbigen anhaengig ist, wiederumb in Stand kommen zu lassen, wie es in denen Iahren 1653. auch 1666. errichtete pacta mit sich bringen, auch über das erst kurzhin unterm 23. Septemb. an. Dero zum Abtheilungsgeschæfft in Dero untern Graffschafft Sponheim Hochverordnete, und dazumahlen zu Franckforth noch anwesende Herren Commissarios, und Raethe, auch Veranlassung einer durch den Koeniglich - Preusischen Residenten zu Düsseldorff geschehenen unterthaenigsten Beschwehrung ein gnaedigstes Rescript, davon ihnen von Churpfaltz Kirchen - Rath communication geschehen seyn, dahin ergehen lassen, dass es mit gedachtem Kirchenwesen erwehnter massen nach eingerichtet werden solle. Alss wollten sie in tiefffter Submission und Vnterthænigkeit gebeten haben, dass ein solches geschehe, mithin das reformirte Religions - und Kirchenwesen cum annexis in der vorderen Graffschafft Sponheim nach Anweisung vorgedachter Vertrægen und darauf sich gründender Chur - und Fürstlicher gnaedigster Declaration wieder hergestellt werden moege, mit angehencktem unterthaenigstem Wunsch, dass der allerhoechste Gott Ihro Churfürstliche Durchleucht zu Pfaltz, unserem gnædigsten Churfürsten und Herrn, alles Chur - und Fürstliche Wohlergehen, ein langes Leben, eine friedsame Regierung, eine sichere Wohnung, getreue Ræthe, dapfere Kriegsleuthe, und ein gehorsames Volck geben, und nach dieser Zeitlichkeit Die aufnehmen wolle in die graue Ewigkeit r).

Idem

---

r) Vid. instrumentum publicum mſ. de hac partitione, quod in archivis Palatinis et Badensibus adservatur, & nos supra §. VIII. p. 21.



Idem *Andreae* per integros propemodum tres annos corporis imbecillitate morboque conflictatus s), tandem piam suam animam exhalavit, & unico suo Redemtori tradidit Crucenaci d. XX. Febr. circa meridiem inter horam undecimam & duodecimam anno seculi nostri vicesimo quinto t), duabus superstitibus optimis filiabus, quarum altera D. *Kochio*, altera vero D. *Müllero*, tunc temporis Crucenaci Medicis experientissimis, nupta fuit. Plura, quæ addam, iam non habeo. Nam omnia Nostri scripta partim in fratris *Andreæ*, tunc apud Mannhemienses bonorum ecclesiasticorum Collectoris, partim in generorum manus pervenerunt, postmodum ab aliis, uti plurimum fieri solet, partim dissipata, partim dilacerata.

10) Theologo comitem addimus illustrissimum iuris Antesignanum, nempe *Ioannem Henricum* de *Fuchs*, Monzingensem, patruum *Ioannis Casimiri Fuchs*, Monzinga-Palatini u). Noster *Ioannes Henricus* d. XXVI. Decemb. anno æræ vulgaris 1664. communi hoc spiritu frui coepit, patre procreatus *Ioanne Iacobo Fuchs*, primario civitatis Monzingensis Prætore, spectatæ industriæ, prudentiæ & integritatis viro; matre vero *Maria Margaretha*, viri amplissimi *Ioan. Casimiri Kylburgeri*, Consiliarii & Quæstoris Nassovici-Ottovillani meritissimi, filia lectissima. Quorum parentum sollicita cura, perceptis tum Monzingæ tum Meisenhemii, quibus ad humanitatem formari iuventus solet, disciplinis, an. 1685. Heidelber-

s) Quæ sumsimus aus dem Sterbbericht des Pf. *Sixt* de d. d; qui *Sixtus* anno ætatis suæ sexagesimo septimo in ephoria nostro *Andreæ* successit. Vid. infra in h. §. num. 18.

t) Conf. Sterbregister de d. an. & die.

u) Hic an. 1732. eximiam de dioecesi Beckelnhemiensi in Gymnasio Bipontino recitavit orationem, postea ibidem typis vulgatam in 4.



delbergam se contulit, atque ibidem an. 1687. disputatione de *feudi refutatione* sub præsidio *Ioan. Wolfgangi Textoris* ventilata, abiit Ienam, celebrem illam mentis ad omnem divinarum iuxta atque humanarum litterarum laudem exercendæ palæstram, atque iuris tum civilis tum publici, res imperii Rom. Germanici potissimum spectantis, se dedit studio, &, quum in eo recta planaque via procederet, neque languens, neque defessus, brevi eminuit, immo propter eruditionis præstantiam, cum morum elegantia vitæque honestate coniunctam, omnibus bonis, maxime vero rerum intelligentibus, fuit acceptus & gratissimus. Mox deinceps, Palatinatu nostro a Gallis turpissime devastato, suadente magno illo *Henrico Cocceio* v), Francofurtum ad Oderam commigravit, ibique statim egregius virtutum eius splendor adparuit. Illustrissimo certe viro *Everhardo Christophoro Balthasari*, L. B. de *Danckelmann* w), primario tum temporis Berolini Status Ministro, summoque consiliorum omnium Præsidi longe dignissimo, dignus præ aliis fuit visus, cui filium, ad spem maximam omnino natum, videlicet *Fridericum Carolum* x), exteras in regiones deducendum, usu maiori firmandum, atque ad altiora negotia formandum præparandumque, committeret. Quas gravissimas partes quum omni fide omnique industria obiisset, domum redux, Hero excellentissimo patrocinante, anno 1691 y). Francofurti ad Viadrum, præstantissimo

v) De quo fusius egimus in comment. hist. litt. de quibusdam eruditorum luminibus Palat. Belg. Sect. IV. §. VI. p. 31. seqq.

w) De hoc antiquissimo *Danckelmanniorum* genere vid. meus *Emo Lucius Vriemoet* in serie Profess. Franeq. p. 50. seq. præsertim in Athenis Frisiacis p. 577. seqq. & quæ ipse scripsi in modo cit. comment. §. II. p. 3. seqq.

x) Qui deinde S. C. Maiestati in Senatu aulico, rebus imperii diiudicandis constituto, summa cum laude, a consiliis sedit.

y) Alii ponunt m. Febr. an. 1692.



ſimo illo ſtudiorum optimorum emporio, in Iure conſultorum, publice docentium, cooptatus eſt ordinem. Quam ſpartam cum rite capeſſiviſſet, an. 1693. ab ipſo *Cocceio* Doctoris exornatur inſignibus. Deinceps aliquot annos tantum operæ tantumque ſtudii academicæ iuventuti navavit, quantum non facile alius; ſimul vero, quæ mentium excitatiorum felicitas eſt, palam oſtendit, ſe non ingenio tantum valere & doctrina, ſed conſilio etiam, & rebus feliciter gerendis idoneum eſſe. Quo factum eſt, ut Berolinum in aulæ lucem an. 1698. vocaretur, atque in dies altius varios per gradus adſcenderet. Primum namque Dicaſterii, quod *cameræ iudicium* vulgo dicitur, Tribunaliſque, cauſſis civium e Gallia advenarum diſceptandis inſtituti, conſtitutus fuit Conſiliarius; deinde autem an. 1719. ipſius illius fori ſive Dicaſterii, *Directoris* titulo, Moderator; tum an. 1723. Conſiliarius intimus, & Collegii, regios reditus bonaque, quæ *Domanialium* nomine veniunt, adminiſtrantis, Præſes vicarius; poſtremo Status, ſive negotiorum belli paciſque, Adminiſter ſanctior. Quibus in muneribus clementiſſimis ſuis Dominis, potentiſſimis Boruſſiæ Regibus, nimirum FRIDERICO I. & FRIDERICO WILHELMO, integritatem fidemque ſuam tanta adprobavit opera atque accuratione, ut in benigniſſima ipſorum gratia ad obitum usque ſuum ſplendide floreret, immo hunc quoque fidelitatis ſuæ caperet fructum, ut Nobilium in numerum evectus, ampliſſimoque prædio, cui *Wüſtermarck* nomen, donatus, inclitam ſuam domum haud parum redderet conſpectiorem illuſtrioremque. Quibus autem ampliſſimis non diu præfuit functionibus. Nam d. XI. Iulii an. 1727. vivis exceſſit Berolini.

E coniuge, matrona omnibus rectiſſimi moris laudibus ornatiſſima, *Catharina Margaretha*, D. *Georg. Gisberti Gloeckneri*, ICti apud Crucenacenſes ampliſſimi, filia, ſex progenuit

nuit liberos, duas nempe filias, quæ quidem ambæ, primariæ dignitatis viris nuptæ, ſed fata patris anteverterunt; filios vero quatuor; ex quibus an. 1732. duo ſuperſtites erant, & nominis paterni veſtigiis virtute atque exiſtimatione conſtanter inſiſtebant, immo virorum optimorum numeros implebant, *Carolus* ſcilicet *Iacobus*, nec non *Ludovicus Caſimirus*: quorum ille Halberſtadii, hic autem Mindæ eos inter, qui belli cenſusque publici rationes tunc moderabantur, Conſiliarii titulo & dignatione, egit.

Dum vero optimus ipſorum pater Francofurti moraretur, nonnullas easque eruditiſſimas edidit diſputationes, v. g. de *impugnatione teſtamenti fraterni per querelam inofficioſi;* de *voto captandæ mortis;* de *iure matris circa liberos a iure patris diverſo;* de *via media* &c. z).

11) A ſuperiori accurate diſtinguendus eſt, alius omnino gentis, nempe *Paulus* de *Fuchs*, Stetino-Pomeranus, primum longe celeberrimus Iuris Anteſignanus apud Duisburgenſes, de quo ſequentia legimus: *Velut inter ignes minores Luna reſplendet, ita* Fuchſium ſidus *inter omnes micat, cuius radiis & fulgore huius Athenæi* (Duisburgenſis) *dignitas non parum eluceſcit.* Paulus Fuchſius *eſt,* — — *qui anno ſeculi præcedentis ſexageſimo ſeptimo in locum* Feltmanni (Gerhardi, Clivenſis,) *ſucceſſit, Vir in tantum laudandus, in quantum vitæ morumque elegantia, eruditionis nitor, Vlyſſeæ Pyliæve facundiæ dulcedo, ac denique tot dotibus velificantis Fortunæ propitius favor intelligi poſſunt. Is enim, poſtquam per quadriennium præclara cæleſtis ingenii ſemina ad agrum hunc feliciter conſerendum voce ſua mellifluа ſcriptisque contulerat, in* aulam

z) Vid. *Crollius* ſæpe laudatus in cit. orat. pag. 49 & 50. not.* & *Ioecherus* in dem allgem. gelehrt. Lex. P. II. p. 790. ſeq.



aulam a Serenissimo Electore (Brandenburgico) *vocatus, summisque paulatim dignitatibus post collata Nobilitatis insignia admotus, ad eum apicem sub eodem Principe eiusque successore Potentissimo Rege* FRIDERICO *escendit, quo vix altior iuris & sapientiae cultoribus contingere posse videtur, factus nempe Minister Status, ut appellant, simulque praeter multiplices alios honores, Academiarum omnium Protector, quarum Fautorem iam dudum egerat. Et iam vel in hac Academia apparuit ex ipsa morum verborumque elegantia, quam rebus sublimioribus gerendis idoneus, quanta dexteritate, quantis dotibus a natura praeditus esset ad conciliandam sibi Principum benevolentiam, aequalium amorem, inferiorum cultum ac reverentiam, denique quam ad promovendam omnium mortalium salutem formatus, hoc est, ut paucis me expediam, vere prudens aulaeque natus esset. Abiturus enim, oratione habita typisque mox sub* Valedictionis *titulo descripta, quod nec antea quisquam nec postea fecisse comperitur, perennem felicitatem primum Patribus academicis, suis quondam laborum & vitae Sociis, deinde Presbyterio ecclesiastico, cuius membrum extiterat, ac postremo toti Vrbi precatus est, cum favoris & benevolentiae sponsione, quam deinceps huic Academiae quavis occasione affulgente prolixe declaravit* a). Idem *Fuchsius* est, cui, tamquam fautori summe colendo, carmen suum in vastationem vici Handeshemiensis, cum clade misera incolarum, & paullo post insecutum primum incendium Heidelbergae urbis, cuius ipse tristis fuit spectator, an. 1689. d. XXII.

a) Haec sunt verba ex celeb. *Ioan. Hildebr. Withofii* orat. paneg. in festo seculari academiae Duisburg. habita in actis sacrorum secularium p. 101. & 102. Conf. idem in sciagraphia historiae academiae regiae Duisburg. p. 14. lit. h. Ceterum *P. Fuchsii* scripta meritaque legi poterunt apud auctorem colloquiorum in regno mortuorum, Tom. V. colloq. 80; ubi tamen p. 1167. graviter errat, cum academiam Duisb. an. 1667. conditam fuisse oscitanter commemorat.

XXII. Febr. poſtea ſub adventum ſuum in urbem Berolinum obtulit *Ferdinandus Poſthius* b), primum Gymnaſii Heidelbergenſis, deinde Gymnaſii Electoralis Ioachimici, quod Berolini floret, Conrector meritiſſimus c). Idem etiam ſcripſit carmen ad eumdem illuſtriſſ. *Paulum* de *Fuchs*, cum generoſiſſimus filius in peregrinas oras ſeſe conferret d). Ceterum hic monendum, nummum quemdam in memoriam *Fuchſii* cuſum eſſe. Cuius vero nomen, ſive *Ioannis Henrici* ſive *Pauli* de *Fuchs*, in ipſo nummo adpareat, mihi adhuc eſt incognitum e).

12) Non minorem, ſed prorſus diſſimili ratione, famam ſibimet adquiſivit *Henricus Horche*, s. s. Theol. D. & Profeſſor, anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo ſecundo Eſchwegæ, oppido Haſſiaco ad Werram, natus. In Palatinatu noſtro primum nactus fuit munus eccleſiaſticum. Nam ultima die m. Auguſti an. 1683. iuxta Paſtores Heidelbergenſes *Ioan. Wilhelmum Matthæum* & *Ioan. Georgium Ohmium* in templo Sp. S. creatur Diaconus; ſed iam an. 1685. ad idem munus obeundum abiit Crucenacum f); ubi iuxta Inſpectorem & Eccleſiaſten primarium *Godofr. Andreæ* g) conſtituitur primus Diaconus. Secundi namque Diaconi officium tunc *Hedericus*

---

b) De quo vid. Gymn. Heidelb. §. XV. p. 18. ſpicil. IV. §. XV. p. 23.

c) Conf. *Ferd. Poſthii* Muſa Palatina & Brandenburgica in biblioth. poetica, quæ Berolini an. 1700. in 8. prodiit, p. 66—76.

d) Ibidem p. 88 & 89.

e) Vid. egregius hiſtoriæ patriæ indagator D. *Büttinghauſen* in den Pfaelz. hiſt. Nachrichten, I. Probe, (Mannh. 1783. 8.) p. 33. ſeq.

f) Sic legimus im Verzeichnüſſ der Pfarrer, ſo an. 1685. in der Pfalz geweſen; qui index mſc. in archivo Senatus eccleſ. adſervatur.

g) De quo ſuperius p. 340. ſeq.

ricus Dauben adminiſtravit h). Inſuper d. XXII. Aug. an. 1687. Heidelbergam rediit tamquam tertius Paſtor in æde ſacra, Spiritui S. dicata i). De ſcriptis *Horchii* ſpeciatim alibi agitur k).

13) Palatinatum noſtrum maiori luce illuſtravit illuſtris ille *Fridericus Reinhardus Flad*, Crucenaco-Palatinus, antiquiſſima Palatinorum gente, iam ſeculo decimo quinto ſatis celebri, ſatus l). Crucenaci vero d. X. Ian. an. 1672. natus filius primogenitus, ſive natu maximus trium filiorum & quatuor filiarum. Patrem habuit virum ampliſſimum *Phil. Petr. Flad* m), antea Sereniſſimi Ducis Palatino-Simmerenſis a Secretis, non vero, prout alibi legimus, Conſiliarium intimum, poſtea, defuncto Duce, Archi-Palatinæ Cameræ Conſiliarium & Collegii Archiſatrapiæ Crucenacenſis Aſſeſſorem; matrem autem *Eliſabetham Charlottam*, Dn. *Eſſartii*, celſiſſimi Regiminis Palatini Conſiliarii & Cameræ Pro-Directoris vel Directoris vices gerentis, filiam lectiſſimam. Noſter autem, qui a primis incunabilis optimam animi indolem præ ſe ferebat, prima ſtudiorum ſuorum fundamina iecit in Crucenacenſi Gymnaſio, demum, optimo ſuo patre cooperante, feliciter reſtituto, atque in eo tales fecit progreſſus, et talia diligentiæ ſpeci-

h) Conf. cit. index mſc.

i) *Horchii*, Euripo inconſtantioris, ceterum viri acutiſſimi & eruditiſſimi, vitam, fata, ſcripta & obitum ex profeſſo delineavit cel. *Car. Franc. Lubertus Haas*, Prof. philoſ. & hiſt. eccleſ. Marburg. Caſſel. 1769. in 8. mai; atque ante eum ven. *Iac. Scheppius* in biblioth. Hagana, claſ. I. faſc. II. p. 357 — 396.

k) Nimirum apud cit. *Dunckelium* vol. I. P. I. num. 174. p. 95. ſeq. Vol. II. P. III. num. 174. p. 548. Vol. III. in adpend. ad vol. I. P. I. p. 908.

l) Sic eiusdem gentis nomen in vitro cauſtico cuiusdam feneſtræ in templo R. R. P. P. Franciſcanorum Crucenacenſium cernitur.

m) De quo ſupra §. VIII. p. 20.



ſpecimina ſemper edidit, ut iam anno ætatis ſuæ decimo ſexto, id eſt, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum octogeſimo octavo, in actu publico verno ſub præſidio & moderamine *Chriſtiani Fickeiſenii* n), tunc lycei Rectoris, iudicaretur digniſſimus, qui ad altiores ſcholas lectionesque academicas promoveretur.

Stadio itaque gymnaſtico utiliter emenſo, ſeſe ſtatim contulit Herbornam Naſſoviorum, tunc longe celebratiſſimum Muſarum Athenæum, quod non paucos eosque doctiſſimos & aluit & protulit viros; ubi anno memorati ſeculi nonageſimo primo diſſertationem de *Succeſſione ab inteſtato*, ſub præſidio celeb. Profeſſoris *Scriba*, publice & magno cum adplauſu ventilavit. Muſis valedicens Herbornenſibus, poſtea Heidelbergenſes ſalutavit easque ſummo coluit ſtudio. Potiſſimum autem Heidelbergæ celeberrimum & apprime inſignem virum, nempe *Lingelshemium*, tunc temporis celſiſſimi Regiminis Palatini a ſecretioribus epiſtolis, poſtmodum vero Conſiliarium intimum, in graviſſimis laboribus negotiisque politicis dexterrime adiuvit, ut ſe præſertim in ſtilo curiali, quem vocant, exerceret perfectioremque in practicis redderet ſcientiis. Similiter eodem tempore usque ad annum nonageſimum tertium in Iudicio aulico eiusque auditoriis & alibi omnes caſus iuridicos in adverſaria retulit, vel, prouti vulgo loqui ſolent, protocolla direxit inque ordinem digeſſit. Verum autem tempore proſpectuum in futurum periculoſiſſimorum, & calamitatibus Palatinatui noſtro funeſtiſſimis imminentibus, adhuc ante triſtiſſimam illam & infauſtiſſimam urbis Heidelbergenſis devaſtationem, anno 1693. inſecutam, circa finem anni nonageſimi ſecundi, ſeſe recepit Francofurtum ad Viadrum; ubi ſtudia ſua diligentiſſime proſequutus, ſpecia-

n) Vid. ſupra §. XXX. p. 163.



speciatim sub ductu illustrissimi *Henrici Coccei*; utpote cuius omnes lectiones, in collegiis dictatas calamoque fideliter exceptas, secum deinceps in patriam reportavit o). Posthæc Francofurto discedens, aliquamdiu Berolini, ut ibidem omnia spectatu observatuque dignissima spectaret & observaret, commoratur. Desiderio suo quum in ista metropoli satisfecisset, studiis academicis coronidem impositurus, elaboratam suo Marte dissertationem de *distinctione iuris & virtutis*, sine Præside, pro licentia summos in utroque iure honores & privilegia doctoralia rite capessendi, publico examini submisit, ultima Septembris die an. 1698. Giessæ - Hassorum. Hancce inauguralem dissertationem, doctissime elucubratam, sacram fecit Serenissimo atque Potentissimo Principi & Domino, Dn. IOANNI WILHELMO, Com. Pal. Rh. S. R. I. Archithesaurario & Electori &c. &c. &c. Litteræ dedicatoriæ sunt omnino dignæ, quæ legantur, quæ relegantur. Proinde etiam eiusdem laudatissimi & gloriosissimi Principis singularem expertus est gratiam, ab Ipso Iudicii aulici Archi-Palatini Consiliarius actualis, ut cum *Macrobio* scribam, anno superioris seculi nonagesimo nono constitutus benignissime. Secundum consuetam tunc temporis constitutionem lites matrimoniales, aulico Iudicio ad diiudicandum oblatas, administrabat, dirimebat, decidebat, donec tandem an. 1707. Serenissimus Elector gloriosissimæ memoriæ peculiarem curiam, rebus matrimonialibus destinatam, ordinavit & sollemniter instituit. In quam curiam ipse noster *Fridericus Reinhardus Flad* simul cum Viris amplissimis, nempe cum *Ioanne Cloetero* p), I. V. D. tunc Consiliario ecclesiastico, cum Iudicii aulici Consiliario de *Zachmann*, & cum Senatore Consistorii, vel

---

o) Hæc collegia mss. adhucdum apud perillustrem *P. W. L. Flad* in perpetuam Patris memoriam adservantur.

p) Conf. superius §. XLVII. p. 397. seq.

vel potius Senatus ecclesiastici Evangelico-Lutherani Consiliario *Fuchsio*, tamquam primis speciatim nominatimque constitutis Consiliariis matrimonialibus, cooptatur. Qui Quatuor Viri muneribus suis exactissime promptissimeque fungebantur. Inde patet, quantum nunc numerus discrepet ab illo. Huius Curiae ab epistolis fuit *Gloecknerus* iunior, *Gisberti Gloeckneri*, I. V. D. & Prof. Heidelberg. filius. Praeterea nostro an. 1715. d. IV. Ian. munus Senatoris ecclesiastici, retento simul aulici Iudicii Consiliarii titulo & officio, clementissime demandatur. Defuncto autem Consiliario ecclesiastico *Heylesio*, adeoque vacante ipsius salario, non in ipsius modo locum succenturiatur, sed ipsius quoque salarium ei benignissime conceditur.

Antea d. IV. Iunii an. 1706. in matrimonii consortium sibimet, provida summi Numinis cura sic dirigente, elegit nobilissimam virginem, *Albertinam Mariam*, natu maximam ampliss. Viri *Philippi Iacobi Vllmanni*, negotiorum bellicorum in Rheni superioris circulo Curatoris supremi, atque *Annae Rebeccae*, *Nicolao Mornay* natae, filiam. Haec nostro peperit sex liberos; ex quibus post patris obitum superstites fuerunt D. *Philippus Wilhelmus Ludovicus Flad*, iam perillustris Senatus ecclesiastici Director, celsissimi Regiminis Palatini Consiliarius, & dignissimus Academiae Theodoro-Palatinae Socius a primis eiusdem Academiae incunabilis ordinarius q); *Ioannes Daniel Flad*, qui, dum vivebat, Administrationis bonorum ecclesiasticorum Senator fuit r); *Charlot-*

Hhh 2 *ta*,

q) Vid. acta acad. Theodoro-Palat. Tom. I. p. 8. Der Reformirten in Churpfalz aeusserl. Kirchenverfassung p. 1. De variis ipsius scriptis agit cel. *Meusel* in dem gelehrt. Teutschland art. *P. W. L. Flad.*

r) De egregio hoc viro conf. cit. acta acad. l. d. & *Meuselius* tit. *I. D. Flad;*



ta, quæ Consiliario Administrationis ecclesiasticæ *Steppio* nupserat, & *Eleonora*, quæ ven. *Schneydero*, quondam meritissimo Inspectori & Pastori Boxbergensi, nuptui dabatur.

Ceterum de ecclesia Palatina, de patria statuque eius publico nostrum optime fuisse promeritum, multa ipsius officia affatim demonstraverunt, immo eiusdem egregia merita maximam partem publice hodiedum sunt satis superque cognita. Tandem, quondam Archi-Palatini Iudicii aulici & curiæ matrimonialis Consiliarius, in dignitate Consiliarii ecclesiastici & matrimonialis d. XVIII. Maii, qui erat dies adscensionis IESU CHRISTI in cælum, anno seculi nostri tricesimo, ætatis autem quinquagesimo nono, Heidelbergæ in cælestem ex hac vita terrestri emigravit, ibidemque in choro templi D. Petri sepultus iacet, ubi monumentum eius cerni potest, orientem versus, cum hoc epitaphio:

IVSTVS FLOREBIT SICVT PALMA;
HIC
QVIESCVNT BEATE
OSSA
NOBILISSIMI DOMINI
FRIEDERICI REINHARDI FLAD. I. V. L.
TRIPLICI CONSILIARII TITVLO OLIM
CONSPICVI.

PA-

Flad; vitam eius eleganter delineavit cel. *Iungius*, Cameral. acad. Lutrensis Professor, in den Rhein. Beitr. zur Gelehrsamkeit de an. 1781. fasc. II. num. V. p. 141 — 153. incl. Conf. quoque acta acad. Theod. Palat. Tom. V. histor. p. 9.



PATREM HABVIT
PHILIPPVM PETRUM FLAD.
CONSILIARIVM PALAT.
MATREM
ELISABETHAM CHARLOTTAM
EX STIRPE ESSART,
VXOREM
ALBERTHINAM MARIAM FILIAM
PHILIPPI IACOBI VLLMANN CIRCULI RHENANI
SVP. OPERVM BELLICOR. MACHINATORIS ET
COMMISSAR.
QVACVM
PROCREAVIT TRES FILIOS TRESQVE FILIAS. IN COELVM
EMIGRAVIT DIE XVIII. MAII AN. MDCCXXX.
POSTQVAM VIXIT LVIII. ANN. IV. MENSES.
RELICTIS II. FILIIS TOTIDEM FILIABVS
NEPOTE VNO ET NEPTE VNA
EX FILIA NATV MAXIMA.

Epicedium Germanicum in obitum eius condidit optimus defuncti adfinis s).

 14) Quem

s) Nempe *C. R. Wilhelmi*, Pastor primum Bosenhemiensis, deinceps Crucenacensis, tandem Rohrbacensis prope Heidelbergam; qua occasione oden quoque lugubrem Germ. edidit *Io. Dan. Andreae*, tunc Gymn. Heidelb. Rector.



14) Quem antea iam memorare debuissem, consulto demum hic loci inserere volui, nempe *Georgium Debus*, virum quidem scientiis & artibus instructum, sed inquietum tamen, varias in rebus ecclesiasticis turbas excitantem, plerumque autem, prouti docuit eventus, captantem anguillas. Hic d. XXV. Aug. anno superioris seculi quadragesimo nono natus fuit Spiræ Nemetum t). Pater ipsi fuit ven. *Ioannes Debus*, apud Spirenses tunc temporis meridianus, quem vocant, Ecclesiastes, & oppidani Gymnasii Rector, postmodum autem Inspector ecclesiæ Kirchhemiensis prope Bolanden u); mater vero *Elisabetha*, nata *Egelinia*. Lustricum autem patrem habuit virum spectatissimum *Georgium Weberum*, tunc secretioris Consilii Spirensis membrum. Patre Kirchhemii præmature defuncto, ab optima matre vidua, maxime sollicitam filii curam gerente, in Spirense Gymnasium remittitur, cuius disciplinæ & lectionibus quinque annos interfuit. Postea Wormatiam Vangionum ablegatur, ibique per quinque annos, præcipue sub moderamine M. *Ioan. Hartmanni Misleri* studia sua tum philologica tum philosophica diligenter est prosecutus.

Insuper, propædeuticis hisce imbutus, anno ætatis undevicesimo, id est, an. 1686. ad celeberrimam Argentinensem academiam se contulit, ibique ab ore celeberrimorum s. Theologiæ Doctorum, nimirum D. *Sebast. Schmidtii*, utriusque D. *Fausti*, D. *Bebelii* & D. *Zentgrafii*, avide pependit, eorumque collegia thetica, antithetica, explicatoria, examinatoria

---

t) Hinc Spirensis vocatur apud *Io. Hartm. Mislerum*, Philosoph. Mag. & Rect. Wormat. in progr. cui titulus: Specimen primum Curtii Oratoris (Wormat. 1670. in 4.) pag. 5.

u) Quod oppidum Kirchhemium nunc primaria Principatus Nassovio-Weilburgensis sedes est.

natoria & disputatoria, quæ vocantur, frequentavit. Effluxo autem sex & dimidii annorum spatio Musis Argentinensibus valedixit, & Mosselam ad fratrem contendit. Post aliquot menses a Serenissimo Principe LEOPOLDO LVDOVICO, Duce Veldentino, diaconus ecclesiæ vocatur. Haud ita multo post functiones trium ecclesiarum, Theissbergensis videlicet, Winterbergensis & Weinbergensis, in Alsatia, offeruntur; quarum posteriorem, consilio tandem capto, elegit. Post exigium vero temporis intervallum primarius Pastor superioris & inferioris Comitatus Lutreccensis in ipso oppido Lauterecca designatur. Quod gravissimum munus tantummodo per quinquennium administrare potuit, quoniam an. 1686. Gallorum milites omnia vastabant, & Protestantes vehementissimum in modum persequebantur, adeo ut noster aliquamdiu carceri inclusus, tandem exilio adficeretur. Exul autem Wormatiæ per integrum annum moratur. Tandem anno subsequenti Crucenacum ad munus ecclesiasticum evocatur, ubi ingentibus quoque miseriis & ærumnis premebatur. Hinc hæc legimus v): *Biss er anno 1687. aus vielem* Creutz *und* Ach! *nacher* Creutznach *beruffen worden, daselbst es Ihme gleichfalls an* Weh *und* Ach! *nicht ermangelt.* Ecclesiæ Crucenacensi undecim annis præfuit. Quum vero Serenissimus Elector IOANNES WILHELMVS ecclesiis Evangelico-Lutheranis, in Palatinatu congregatis, proprium Consistorium clementissime concederet, idque anno 1698. per publicum decretum confirmaret, ipsius Consistorii membra d. XVIII. Octob. eiusdem anni constituuntur *Ioan. Philippus Schlosserus & Georgius Debus*, cui simul secundus locus Pastoris coetus Evangelico-Lutherani, qui Heidelbergæ colligitur, demandatus. Statim autem post adventum suum non modo hectica, qua tamen intra semestre liberatus, laborare incipit, sed filia etiam natu minima, post eam unicus filius, ex academia Ienensi redux, Hei-

v) In orat. funebri Germ. p. 37.



Heidelbergæ pro licentia in utroque iure disputaturus, immo quoque coniux, atque aliquot annis post adulta filia, quæ patri in viduitate singulari solatio fuit & auxilio, morte abripiuntur. Hæc oeconomica & domestica fata animum ipsius ita depresserunt, ut vires & animi & corporis in dies magis magisque fierent iufirmiores. Vtramque spartam non sine suorum laude viginti quatuor annos condecorare studuit. Tandem per varios casus, per tot rerum discrimina, per integrum annum flatulento hydropicoque morbo graviter conflictatus, d. XXII. Martii intra duodecimam & primam pomeridianam anno huius seculi vicesimo secundo diem obiit supremum. Vixit autem annos septuaginta duos, sex menses & dies septemdecim, id est, anno officiorum suorum publicorum quadragesimo quarto.

Epicedia cecinerunt defuncti collega M. *Ioannes Philippus Schlosserus*, qui, ad motus ecclesiasticos, quorum mox mentionem iniiciemus, adludens, ita lugubre suum carmen claudit:

Drum grosser Zebaoth, sieh doch auff deinen Knecht!
Richt ihn nicht nach der Welt, sonst ists verlohren schon.
Schaff deiner Kirchen doch ihr lang gesuchtes Recht,
Vnd wend in Gnaden ab, all das ihr bringet Hohn!

Praeterea quidam cognatus anonymus; concionis funebris auctor *L. G. Schlosserus; Ioannes Adamus Linicerus*, tunc Pastor Evang. Nicrogemundanus, & *Io. Adam. Gutheil*, Evang. Pastor Nicrostenacensis.

Anno 1682. uxorem duxit *Mariam Catharinam*, virginem lectissimam, *Antonii Honsdorffii*, Pastoris Veldentiniani, filiam; quacum viginti quinque annis vitam in matrimonio egit tranquillam, atque ex ipsa suscepit novem liberos, nempe filium unicum & octo filias; ex quibus post patris obitum super-

ſuperſtites fuerunt ſequentes, nimirum filia, nupta *Theodoro Habertaſche*, Potentiſſimi Electoris Palatini Centurioni in pedeſtri cohorte Sereniſſimi Principis CHRISTIANI Solisbacenſis; nec non aliæ duæ, tunc innuptæ w).

Ceterum hic *Georgius Debus*, arctiſſime iunctis & conglutinatis cum *Io. Phil. Schloſſero* viribus, propter lites, quas ad obitum ſuum cum Reformatis Palatinis, ratione bonorum eccleſiaſticorum, habuit, ſeſe reddidit in tota Germania atque in aliis regionibus longe notiſſimum. Operæ pretium omnino eſt nullum, ut vehementiſſimas huiuscemodi & apprime turbulentas lites, poſtea in favorem uſumque Reformatorum feliciter diremtas, hic loci repetamus. Crambem enim bis terque, immo ad nauſeam usque, recoctam recoquere nolumus. Deſiderium itaque benevolorum Lectorum procul dubio explebimus, ſi præcipua ſcripta tantum, utrimque evulgata, ſumus indicaturi. Nimirum a parte Evangelico-Lutheranorum ſunt 1) *Ioan. Philippi Schloſſeri & Georgii Debus*, Warheit-Unſchuld- und Ehren-Rettung wider allerhand — — ausgeſprengte Lügen-Schrifften &c. So dann Bericht von dem Zuſtand der Evangeliſch-Lutheriſchen Kirche in Churpfaltz &c. Heidelberg in Verlag der Authorum an. 1700. in 12. Idem liber etiam Germanice prodiit in Fol. Weinhemii, an. 1700; ſed iam antea an. 1699. in fol. Latine editus ſub hoc titulo: Veritas, innocentia & defenſio honoris &c. 2) Wahrheits-und Vnſchulds-Spiegel — — — an das hochpreiſſliche Evan-

w) Hæc pleraque depromſimus ex ita dictis perſonalibus p. 34—39, adfixis funebri ſermoni, quem d. XXIV. Mart. an. 1722. Heidelbergæ habuit *Ludov. Georgius Schloſſerus*, Evang. Luth. Inſpector, deſignatus Conſiſtorii Adſeſſor & Paſtor Weinhemienſis in ſtrata montana. Hic ſermo eodem anno typis editus, Spiræ in 4.



Evangelische Corpus zu Regensburg &c. an. 1708. in 4. 3) Der von Churpfaeltzischen Reformirten befleckte doch gæntzlich gesaeuberte Wahrheits-Spiegel &c. an das hochpreissliche Evangelische Corpus an. 1710. in 4. 4) Gründliche Ausführung und Rechts-befugte Ansprache wegen der in Churpfaltz befindlicher geistlichen Güter an die tit. tit. Reichsstaende — — — zu Augspurg. an. 1714. in 4. 5) Tandem aliæ litteræ fuerunt oblatæ, levioris tamen momenti, ideoque unanimi consensu ab actis remotæ. Hæcce scripta ad unum omnia, quæcumque fuerint, variis scommatibus dictisque aculeatis & prodigiosis rerum commentis esse refertissima, quilibet, a vero minime aversus, in iudicando non præceps, præiudicatis haud abreptus opinionibus, atque strenuus purissimæ veritatis indagator facillimo perspiciet negotio. Quocirca summopere mirandum, ex hisce scriptis, tamquam *fontibus* limpidissimis, viros alioquin clarissimos & eruditissimos x), sua confidenter hausisse.

Qui autem aliorum, & quidem alterius partis scripta, quæ *Schlosseri* & *Debusii* commentarios dilucidissimis validissimisque confutarunt argumentis, attento nullamque in partem inclinante animo legerunt ac relegerunt, immo penitus sunt rimati, longe aliter sentient, quam ita dicti apologistæ. Nam

x) Nempe *Loescherum* in seiner ausführlichen Historia motuum, *Cyprianum* in primis Gothanum, virum alias de republica litteraria meritissimum, in seinen Schriften gegen die Vereinigung der Protestirenden, & cum iis iam antea *Struvium* in der Pfælzischen Kirchen-hist. passim, nec non *Melch. Goetzium*, Seniorem Hamburg. Hæc quoque iam accuratissime observavit ven. *Andreas Redigerus* in der bestættigten Vnschuld der Reformirten Kirchen &c. gegen die unglimpfliche Beschuldigungen des Herrn Sen. *Goetzens* (Francf. & Leipz. 1768. 4.) p. 80. 81. & 82.

Nam, quam primum adverſarii canere claſſicum coeperunt, alii quoque, ab altera parte ſtantes, arma capere coacti ſunt.

Arma enim in armatos ſumere iura ſinunt.

En vobis præcipua iſtorum ſcripta, quibus velut armis uſi ſunt fortiſſimis & victricibus! 1) Ein Sendſchreiben ſampt noethigen Anmerckungen über das, von denen Churpfaeltziſchen Evangeliſch-Lutheriſchen Conſiſtorial-Ræthen — — *Schloſſern* und *Debus*, unterm Titul: Warheit-Vnſchuld- und Ehren-Rettung ——— herausgegebene, und von Wort zu Wort hierbey gedruckte Büchlein, geſtellt, von *Iuſt Wilhelm Wiſſenbach*, geweſenen Churpfaeltziſchen Kirchen-Rath, an einen guten Freund. an. 1699. in 4. Huius epiſtolæ, itidem ſermone Germanico ſcriptæ, altera editio eademque emendatior & auctior prodiit Offenbaci ad Moenum. 1700. 4. 2) Einiger Evangeliſch-Lutheriſchen in der Churfürſtlichen Pfaltz, unbefugtes, ſehr anzügliches Memoriale, vom 23. April 1708. an E. hochloebl. Evangeliſches Corpus, gegen die Evangeliſch-Reformirte: ſamt beygefügten hoechſtgemüſſigten Anmerkungen, dabey auch die Wiederlegung ihres, mit vielen Vnwarheiten befleckten Warheits Spiegels, &c. y) Cölln an der Spree, druckts *Vlrich Liebpert*, (an. 1708.) in 4. 3) Viri longe celeb. *Ludov. Chriſtiani Miegii* Præliminar-Anzeige der Gerechtſamkeiten der Evangeliſch-Reformirten Kirchen in der Churfürſtlichen Pfaltz. &c. 1714. 4. 4) Ausführlicher Bericht zufolge der Præliminar-Anzeige entgegen geſetzt ——— den ſo genannten Warheits- und geſaeubertem Warheits-Spiegeln &c. durch *L. C. Miegen* z). an. 1715. in 4. 5) Bericht-Schreiben, gründlich anwei-

y) Adpendicis loco ſingularis libellus eſt ſubiunctus, nimirum Wiederlegung des ſo genannten Warheits-Spiegels, ſamt Beylagen I. II. III. p. 1—79.

z) In hoc ſcripto, quod pagg. 146, continet, hiſtoria eccleſ. Palatina invenitur.



weisende, dass die Evangelisch-Lutherische in der untern Pfaltz, kein Recht noch Anspruch haben auf die Kirchen-Güter, welche die Evangelisch-Reformirte darinnen besitzen &c. Amsterd. bey *Ioh. Boom*, an. 1722. 4. In hoc libello a) præter alia legimus, scriptum, quod *Schlosserus* & *Debus* sub titulo: *Veritas, Innocentia & defensio honoris &c.* ediderunt, per conclusum in Conferentia Evangelicorum, die $\frac{13}{23}$ Decemb. an. 1700. nominari: *Ein scandaloses, und mit vielen gefæhrlichen Assertis angefülltes Buch; dadurch zwischen den Evangelischen Staenden gefæhrliche Trennung gemacht werden koente, auch darinn dem Instrumento Pacis Westphalicæ, eine verkehrte Deutung gegeben, folglich, die Fundamenta der Sicherheit in Religions-Sachen angegriffen werden, desswegen man auf Seithen des Corporis Evangelicorum sich gemüssiget befunden, das hierabführende Missfallen an Tag zu legen, und mænniglich zu warnen, sich durch die im besagten Buch enthaltene schædliche Principia nicht præveniren zu lassen,* &c. 6) Jus Evangelico-Lutheranorum in inferiori Palatinatu ad bona ecclesiastica discussum, in sermone Romano, an. 1728. 4. 7) ven. *Redigerus* modo laudatus, Pastor quondam Wormatiensis b). Atque hæc de tristissimis istis & acerrimis motibus, quos hic loci invitus commemorare & repetere debui, pro scopo nostro sufficiant!

15) Priori in officio Crucenacensi successit, vel potius socius eius fuit, *Ioannes Georgius Keislin*, natus Argentinæ; ubi pater eius *Ioannes Andreas Keislinus* fuit ecclesiastes, qui præter alia edidit *Geistliches Handbuch*, Strassburg. 1695. in 8. Filius tamquam pastor ecclesiæ Evangelico-Lutheranæ in templo ad S. Wilhelmum aliquamdiu ad obitum suum usque præfuit.

a) Videlicet p. 16. & 17.

b) In cit. scripto, speciatim p. 80—87; ubi de rebus Palatinis ecclesiasticis paulo fusius agitur.

præfuit. Idem haud diu ante mortem, reſpectu cuiusdam loci, Reformatis, qui iſtum locum per longam annorum ſeriem ex omni iure proprium poſſederant, haud parum nocuit. Ceterum celebris eſt propter ſcriptum, cuius epigraphe: Gemitus preſſorum in Baronia Sickingenſi Evangelico-Lutheranorum, oder, Seuffzer derer bedrængten und verfolgten Evangeliſch-Lutheriſchen Vnterthanen der Herrſchafft Sickingen-Ebernburg, einem hochpreiſſlichen Corpori Proteſtantium zu Regenſpurg unterthænigſt vorgetragen von *Iohann Georg Keiſlin*, Evangeliſch-Lutheriſchen Pfarrer der Gemeinde zu St. Wilhelm in der Churpfaeltziſchen Oberamts-Stadt *Creutzenach*, als dieſer Sachen gevollmæchtiggtem, 1710. in fol.; ubi facti ſpecies occurrit p. 3—11; deinde Beylagen ſub litt. A. ad Bb. p. 11—20. Quæ documenta ſubſcripſit ſigilloque confirmavit rogatus *Adamus Winoldus*, Archiſatrapiæ Crucenacenſis Grammateus, Crucenaci d. XVII. Febr. an. 1710 c). Plura de eo mihi ſunt incognita.

16) Hunc excipit vir eruditiſſimus variisque fatis agitatus *Ludovicus Hermannus Stumphius*, (alias *Stumpfius*,) vir inter infelices *Pierii Valeriani* & *Cornelii Tollii* litteratos merito quidem referendus, præclaro cæteroquin ingenio doctrinaque conſpicuus, Sobernhemii d) in lucem ſuſceptus eſt anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo quarto, nomenque CHRISTO dedit die XXX. m. Octobris, chriſtiani huiusce ritus inter alios teſte adiutriceque Sereniſſima Principe IVLIANA MAGDALENA, IOANNIS *Secundi*, Ducis Bipontini, filia, conſobrinique FRIDERICI LVDOVICI coniuge. Patrem habuit *Abrahamum Henricum Stumphium*, eccleſiæ Sobernhemienſis Paſtorem, ceterarumque huic dioeceſi contributarum Inſpectorem; matrem vero *Annam Iulianam*, magni

c) Conf. ſupra §. XVIII. p. 94. num. 12. not. b.

d) De quo ſuperius §. XVI. litt. B. p. 55—63.

gni illius *Balthasaris Venatoris*, Palatino - Vinogartensis, Consiliarii Bipontini & Præfecti Meisenhemiensis, filiam secundogenitam, an. 1663. marito nuptam e). Optimis igitur disciplinis & salutaribus præceptis domi institutus, Heidelbergam, antiquissimam illam, celebratissimam & amoenissimam Musarum sedem, ad altiores doctrinas rite imbuendas sese contulit, ibidemque omnes necessarias scientiæ divinioris partes sub *Ioan. Ludovici Fabricii & Ioan. Friderici Miegii*, præstantissimorum virorum, ductu complexus, anno 1685. m. Sept. luculentum diligentiæ suæ specimen, scilicet dissertatione *de pariete intergerino inter Iudæos & gentes* ad Ephes. II. 14. publice, laudato *Miegio* præside, habita propugnataque, edidit. Insuper *Ioan. Petro Ienin*, Hanoviensi, Candidato, amico suo pereximio, dum d. XX. Iunii an. 1685. Heidelbergæ *I. F. Miegii* theol. dissertationem de *Dono linguarum* defenderet, *Stumphius* noster hoc carmen consecravit:

Quos rapit ad solidas laudes generosior æstus:
Queis sua sedulitas præmia digna parat:
Non iuvat hos sterilis cortex doctrinaque plebi
Obvia, stramineum vix habitura robur:
Non tepida pigraque manu rudimenta lacessunt,
Contenti viles inhabitare casas:
Sed meliore animo dum sunt, iuvenilibus annis
Pellunt inscitiæ damna gravesque notas;
Nec lucem vultusque timent, sed facta labore
Implent vivaci pulpita docta sono.
Hæc tibi mens & cura fuit; sic cernimus omnes,
Virtutique tuæ fervida vota damus.

Heidel-

e) Prouti ex annalibus, in quos infantes christianis sacris initiati referuntur, Sobernhemiensibus, patescit. Conf. cel. *G. C. Ioannis* in miscell. Palat. p. 145.

Heidelberga Duisburgum Clivorum conceſſit, ubi quum ſtudiis colophonem impoſuiſſet, ſacro ordini eſt initiatus. Deinceps Amſtelodamo Moſcuam eſt miſſus, ut coetus, confeſſioni Helveticæ addicti, ageret Eccleſiaſten; ubi cum ageret, multa favoris ab ipſo Moſchorum tum temporis Imperatore PETRO ALEXIEWIZIO experimenta accepit, donec in Germaniam denuo, in comitatu Viri illuſtriſſimi, *Marquardi Ludovici* L. B. *de Printzen* f) remearet, atque eius commendatione primum in academia Francofurtana ad Viadrum extraordinariam, deinceps vero an. 1704. in academia Duisburgenſi ordinariam nanciſceretur Profeſſionem theologicam. Ad quod munus anno eodem, habita & edita oratione inaugurali de *admirandis S. Scripturæ*, ſollemniter eſt inauguratus. g) Ceterum ſacratiores litteras ad obitum usque ſuum dextre prorſus, nec ſine ſingulari ſucceſſu, tam privatim quam publice, tradidit. Vixit adhuc anno ſeculi noſtri triceſimo ſecundo, ſed eodem anno, ſaltim haud diu poſt, denatus. Vir fuit ob ſacratioris philologiæ ac divinas litteras ſcite interpretandi ſcientiam, variis ſcriptis declaratam, eximia laude non indignus h). Ceterum de *Stumphio* noſtro ſequentia legimus: *Nec minoris ingenii* (quam *Ioannes Godofredus Bachmannus*, Clivenſis) *dotibus* Ludov. Herm. Stumphius, *gente Palatinus, pollebat, forte etiam plurium artium & diſciplinarum præter Theologiam egregie gnarus, ut viri doctiſſimi ſcripta, plurimum nitoris præ ſe ferentia, ſatis ſuperque teſtantur*

f) Cuius manibus in orat. funebri (ed. Duisb. in 4.) nomine Senatus academici an. 1726. publice parentavit celeb. *Ioan. Hildebr. Withofius.*

g) Vid. Miſcellanea Duisb. Tom. I. faſc. III. p. 555.

h) Conf. *Io. Phil. Crollius* in ſæpius cit. orat. p. 46. ſeq. not. *; ubi hæc ſubiunguntur: „Hæc brevibus; plura enim, quum Duisburgenſes, quamvis perofficioſe per litteras rogati, ſe nobis haud commodarint, dare non licet.„



tur, multo quoque maioribus, quorum iam lineas duxerat, gratam posteritatem procul dubio sibi obligaturus, nisi fortunam nimis crebro novercam sensisset. Cuius incommodi an ipse sibi faber exstiterit, qui antea in Moscoviam usque illustrissimum Aulæ Brandenburgicæ Legatum Prinzenium, *nostris olim quoque Musis concelebratum* i), *comitatus erat, eaque forsan occasione veteris illius dicti,* magnum vectigal esse parsimoniam, *oblivisci coeperat, nec mihi vacat inquirere, nec vobis audire, satis hinc, ut opinor, Viri cetera non illaudabilis dotes ac merita cognoscere valentibus* k).

Testes eruditionis, qua *Stumphius* fulgebat, sunt varia scripta, quæ elucubravit, & iuris publici fecit. 1) Cit. diss. de *pariete intergerino* &c. Heidelb. 1685. 4 l). 2) Cit. oratio inaug. de *admirandis* &c. Duisb. 1704. in 4. 3) Extant etiam duæ ipsius in sermone Belgico conscriptæ *Homiliæ*, Moscuæ habitæ, altera in locum *Eccles.* VIII. 8. altera in *Eccles.* I. 4. Amstelod. 1700. editæ. Quibus 4) addimus elegantissimam & acutissimam laudationem funebrem Serenissimæ & Potentissimæ Principis SOPHIAE CHARLOTTAE Borussiæ Reginæ,

---

i) Prouti modo notavimus sub litt. f. pag. præced.

k) Apud *I. H. Withofium* in cit. orat. paneg. in festo seculari Academiæ Duisburg. &c. & quidem p. 100. Vid. idem in sciagraphia historiæ Academiæ regiæ Duisb. (edit. 1732. in 4.) ubi p. 14. hæc adduntur: „De *Stumphii* &c. ortu, fatis & scriptis brevi aget peculiari tractatu Vir clar. *Io. Philippus Crollius*, Gymnasii Bipontini Professor meritissimus; cui ita petenti, & Eruditorum Palatinorum biographias meditanti, quædam nuper cum de *Stumphio*, tum de *Isaaco Cramero* & *Leonardo Weidnero*, claris Gymnasii Duisburg. olim Rectoribus, transmisimus." Ex quibus antecedentia, sub litt. h. notata, aliquatenus illustrari poterunt.

l) Huius dissert. etiam meminit *Crollius* in cit. orat. p. 47.

ginæ, Electricis Brandenburgicæ, supremæ Principis Arausionensis &c. &c. augustæ & gloriosæ memoriæ; quam ex auctoritate Senatus academici nomine academiæ publico d. XXVIII. Iunii an. M. DCC. V. *Lud. Herm. Stumphius*, SS. Theol. D. & Prof. regius, dixit, typis editam Duisburgi Clivorum 1705. fol. 5) Scripsit & ventilandam proposuit disputationem theol. criticam de *Ecclesiæ & Gentium fatis atque sedibus*, ad illustre vaticinium Noachi Gen. IX. 25, 26, 27. Duisb. 1706. m). 6) Disputationem theol. philologicam, sive florum sparsionem ad loca illustria theol. & sacræ scripturæ, in primis Vet. Test. ibidem. 1707. 7) Florum sparsionem novam ad loca illustria theol. & s. scripturæ ibid. 1708. n). Porro edidit 8) Acclamationem votivam FRIDERICO I. Boruf-

m) Quæ etiam *Crollio* l. d. innotuit.

n) Eiusdem cit. *Crollius* facit mentionem. Vtramque florum sparsionem legimus repetitam in Miscell. Duisburg. Tom. I. fasc. III. num. I. p. 369—401. & fasc. IV. num. I. p. 557—598; ubi p. 370. not. a. cel. *Daniel Gerdesius* hæc observat: „Vti vero inter ea (scripta) cumprimis eminet hæc *Florum sparsio*, prouti Author hoc Schediasma appellabat, quam A. 1707. publice in hac Academia defendit, itemque altera *Florum sparsio* iterata velut, quæ A. 1708. publice est ventilata, ita utrumque hoc specimen, variis observationibus exegeticis refertum, benevolo Lectori in hisce *Miscellaneis nostris* communicare æquum duximus, quem in finem, nunc priorem hanc, deinceps vero posteriorem illam, ad varietatem quandam operi huic nostro tessellato conciliandam inseremus, cum ea tamen vel expressis verbis repetita monela, ne quis existimet, eas omnes & singulas, quæ hic proponuntur & ventilantur, sententias, nostro approbari calculo, vel nostris rationibus esse consonas, quamvis etiam dissensum nostrum non aperte fuerimus testati, cum id tamen in genere testari queamus, plurimas earum esse doctissimas & severiore meditatione dignissimas.„



Borussorum Regi, de Regni Borussici natalibus octies iam celebratis. Duisb. 1708. Nec non 9) Festum Iubileum sacrum, cum Serenissimus Princeps IOANNES SIGISMVNDVS, Elector Brandenburgicus ante centum annos sacra Reformatorum amplexus est, carmine heroico celebratum. Duisburg. 1713. o) *Moscovitarum* autem *Historiæ* conscribendæ, & componendo *operi onomastico*, quo demonstrare voluit, *plurimas variarum linguarum voces Hebrææ originis esse*, fuit immortuus p). Hinc extra omnem dubitationis aleam collocatum est, *Georgii Crucigeri* harmoniam quatuor linguarum cardinalium, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ & Germanicæ, cum adnotationibus *Lud. Herm. Stumphii* non fuisse typis impressam. Id quod ex verbis celeb. Panegyrici q) clarissime patescit; inquit enim: *Pollicitus erat* (cel. Hammius) *præterea in observationibus hebdomadal. vulgo* Intelligentiarum *nomine designari solitis*, *anno* CIƆIƆCCXXXV. *num.* 36. *se* Georg. Crucigeri Harmoniam quatuor linguarum cardinalium, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ & Germanicæ, *cum annotationibus* Ludov. Herm. Stumphii, *Professoris Duisburgensis*, *cuius manuscriptæ chartæ antea deperditæ*, *sed tunc iterum repertæ fuerant*, *editurum; quo minus tamen huiusmodi conata in actum deduci potuerint*, *aliæ occupationes*, *vel difficultates quædam intercessisse videntur.*

17) *Ioannes Wernerus Reutelius*, Hassus, natus patre *Ioan. Val. Reutelio*, Allendorfensi ad Salinas, qui dissertationem theolog. exhibentem resolutionem quorumdam dubiorum de communicatione idiomatum, præside *Sebast. Curtio*, SS. theol. D. &

o) Vid. cit. Miscell. Duisburg. p. 556.

p) Conf. l. d.

q) Nimirum *Io. Hild. Withofii*, in orat. quam in obitum D. celeb. *Ioannis ab Hamm*, theol. D. & Profess. &c. &c. Duisburg. habuit, (Duisb. d. XX. Decemb. an. 1759. 4.) & quidem in annotat. p. 37.

& Prof. d. XXIII. Mart. an. 1677. Marburgi publice defendit. Noſter ſtudiis potiſſimum operam navavit in academia Marburgenſi, ubi quoque theſes quasdam theol. publico Eruditorum examini ſubiecit. Studiis autem academicis ad finem perductis, examinatus numero Candidatorum ſacri ordinis adſcribitur, atque haud ita multo poſt in Palatinatum noſtrum ad munus Conrectoris Crucenacenſis obeundum d. XII. Iulii an. 1719. evocatur r). Dum in laudato Lyceo docuit, publicæ luci tradidit libellum ſub hocce titulo pleno: „Nova & facillima methodus docendi linguas & diſciplinas ſcholaſticas; worinnen neben andern ungemeinen Vortheilen im gantzen Informations-Werck beſonders ein artificium mathematicum gezeiget wird, wie die ſtudierende Iugend ſuppoſitis fundamentis Grammaticis & tropologia in Zeit von einem halben Iahr ſo weit koenne gebracht werden, daſſ ſie alle Lateiniſche Auctores expliciren koenne. Sampt einem zweyfachen Anhang, da in dem erſten wiederum ein artificium mathematicum gezeiget wird, wie man in einem Tag alle Pſalmen Davids und geiſtliche Lieder auf dem Clavir nach dem Choral-Baſſ koenne ſpielen lernen; der zweyte aber von guter Einrichtung eines Gymnaſii oder Pædagogii. Franckf. am Mayn. 1726. 8.„ Libellus hicce, quem non ſine uſu & animi voluptate legi, dedicatus eſt ampliſſ. Senatui eccleſ. Palatino. Præfatio ad lectorem data eſt Crucenaci d. VI. Febr. an. 1725. Noſter, ni mens mea me fallit, an. 1734. Crucenaci naturæ ſolvit debita; ipſi autem in munere ſcholaſtico ſucceſſit *Ioan. Iacobus Piſcator*, ex celeberrima *Piſcatorum* gente oriundus, poſtea propter longævi temporis ætatem rude honorifica donatus, atque ibidem denatus d. VI. Octob. an. 1746 s).

r) Vid. acta der Beſtallungs-Puncten de an. 1694—1760.

s) Hæc depromſimus ex mſc. indice defunctorum de dicto anno; conf. infra §. XLIX.



18) *Wolfgangus Christophorus Sixtus*; utpote qui tempore *Gisberti Porlockii* t), Inspectoris Crucenacensis, ibidem primus erat Diaconus, deinceps vero, quatuor ephoris ecclesiæ Crucen. superstes, demum anno ætatis suæ sexagesimo septimo *Philip. Hieronymum Andreæ* u) in ephoria excepit, confirmatus d. XVIII. April. an. 1725. v). *Sixto* autem in diaconatu successit *Christop. Reinh. Wilhelmi*, antea Bosenhemiensis ecclesiastes. Noster ex hac vita excessit m. April. an. 1735 w). Edidit sermonem funebrem, ex Ierem. III. 26. depromtum, Germ. in obitum *Annæ Marthæ Pleickhneriæ*, natæ *Hechtiæ*, coniugis *Georgii Vlrici Pleickhneri*, Consiliarii Palatini, Francof. ad Moenum. 1706. 4. Post se reliquit unicum filium *Ioan. Iacobum Sixtum*, iam anno 1710. ecclesiæ, quæ Altenæ in Comitatu Marcano colligitur, Pastorem x), nec non duas filias, quarum altera *Ioan. Balthasari Beyero* y), primum Pastori & Inspectori Germershemiensi, deinde Alceiano, altera vero *Ier. Henr. Brüningio*, celeb. *Christian. Brünings* fratri, primum ecclesiæ Neckeraviensis in Palatinatu, postmodum Germanicæ Amstelodamensis Ministro, nupta fuit.

19)

---

t) De quo supra §. XLVI. num. 21. p. 379. seqq.

u) De quo itidem superius in hoc §. num. 9. p. 413. seqq.

v) Vid. mss. acta der Bestallungs-Puncten der Reformirten Geistlichen in der Inspection Creuzenach an. 1694—1760. nec non infra §. XLIX.

w) Sic legimus in msc. indice defunctorum Pastorum de dicto anno.

x) Conf. Naamregister der Predikanten, &c. (Leiden 1740.) pag. 138.

y) Qui successit *Eliæ Hosemanno*, Pastori Impflingensi & Inspectori Germershemiensi, prouti legimus in dem Naam-Register der Gereformeerde Predikanten &c. in het Keurvorstendom van de Palts &c. (Amsterd. 1721.) p. 40.

19) Iam sequitur pius iste & eruditus Theologus *Ioannes Philippus Widder* z), Oppenhemiensis, d. XXV. Decemb. anno superioris seculi nonagesimo sexto natus. Prima artium liberalium fundamina patriis in scholis iecit, atque, studiis academicis, potissimum Heidelbergæ, Groningæ & Franequeræ Frisiorum, ex voto absolutis, in patriam redux rite examinatus, ordinisque sacri Candidatus nuncupatus, primum an. 1723. Rector scholæ trivialis Oppenhemiensis creatur; deinde Rector Gymnasii Crucenacensis fuit usque ad annum 1725; quo Mannhemium ad Pastoris munus obeundum abiit legitimo modo vocatus. Postea autem d. II. Maii an. 1731. rogatu coetus Reformati Mannhemiensis, a Sereniss. Electore Palat. CAROLO PHILIPPO Consiliarius ecclesiasticus clementissime designatur; quæ vero designatio multas difficultates multosque in omnibus classibus motus creavit. Sed tandem Electoris decretum totam litem in *Widderi*, omnis culpæ omnino expertis, diremit a). Concioni sacræ, quam habuit noster Mannhemii, interfuit Potentissimus Borussorum Rex FRIDERICVS WILHELMVS; utpote qui, cultu divino peracto, ipsum ad se benignissime vocavit, eique sub splendidissimis conditionibus ecclesiasticum in Berolinensium civitate officium clementissime obtulit; oblatum autem munus, integerrimo erga Mannhemienses suos amore ductus, humanissime & modestissime recusavit, & pro summa Regis gratia gratias egit, quantas potuit, maximas. Tandem Mannhemii d. V. Febr. an. 1734. fatis concessit, annum ætatis agens tricesimum octavum. Terræ mandatus in coemeterio extra oppidum, ubi in lapide muro adfixo hoc epitaphium legimus:

 PIAE

z) Huius iam aliquam mentionem fecimus in comment. hist. litt. de eruditis Palat. Belg. &c. Sect. IV. §. XIII. p. 49. & in comment. hist. de Oppenhemio §. XL. p. 180.

a) Quæ novimus ex mss. actis, in tabulario Senatus eccles. Palat. adservatis.



PIAE MEMORIAE
VIRI DESIDERATISSIMI
IOHAN. PHILIPP. WIDDER
PASTORIS MANNHEIMENSIS
ET
CONSILIARII ECCLES. PALATINI
NATI D. XXV. DEC. A. MDCXCVI.
DENATI
D. V. FEBR. A. MDCCXXXIV.
AETAT. ANN. XXXVII.
MONVMENTVM
POSITVM
A
CONIVGE MOESTISSIMA.

* * *

Apocal. XXI. 7.

Qui vincet, hereditario iure possidebit omnia.

Ceterum hic vir, omni honoris cultu prosequendus, scriptis theologicis, speciatim practicis, tum in patria, tum extra eam notissimis, demum post mortem eius, amicis rogantibus, in lucem evulgatis, satis est celebris; sunt autem ista præter alia 1) Wein und Oehl in Predigten. Homburg. 1736. 4. 2) Passions-Predigten, ibid. 1741. in 4. Vivit itaque optimus *Widderus* in scriptis suis; vivit adhucdum in ore animisque Mannhemiensium; vivit autem potissimum in optimo filio, Viro longe celeberrimo, *Frid. Adamo Widdero*, A. L. M. Philos. D. & in alma Groningana Prof. ord. Acad. Elector. scient.

ſcient. & eleg. litter. Theodoro-Palat. ac Societ. ſcient. Harlemo-Batavæ Socii b).

20) *Franciſcus Daniel de Neufville*, Crucenaco-Palatinus, diſſertationem publice ventilandam conſcripſit de *principio iuris naturalis*; quippe quam in Athenæo Herbornenſi ſub præſidio V. C. *Ioan. Chriſtiani Kirchmeieri*, d. XX. Aug. an. 1701. publico eruditorum examini ſubiecit. Stadio ſtudiorum academicorum emenſo, Crucenaci usque ad obitum vitam ſuam transegit, denatus, ni fallor, an. 1739. Plura, quæ de iſto viro hic loci ſubiungamus, iam non habemus.

21) *Ioannes Daniel Treviranus*, ex antiqua ſatis atque non incelebri *Treviranorum* familia oriundus, Crucenaco-Palatinus, cuius patruus fuit *Ludov. Georgius Treviranus*, vir eruditiſſimus, Paſtor demum eccleſiæ Bremenſis Neapolitanæ meritiſſimus. Noſter, fundamentis ſtudiorum propædeuticorum in Gymnaſio Crucenacenſi iactis, ſtudia ſua ulterius continuavit Heidelbergæ, potiſſimum autem Bremæ; ubi quoque diſſertationem theolog. de *miniſterio Gratiæ, miniſtrorumque ſub N. Teſt. vera indole* ad 2. Cor. VI. 3—11. præſide *Godefrido Iüngſtio*, S. S. Theol. D. & Prof. & eccleſiæ Paſtore, d. XXV. Iunii an. 1717. placidæ ventilationi exhibuit. Reſpondens eam præter alios dedicavit Præſidi, cognato ſuo; *Lud. Georg. Treviranο*, modo laudato; *Ioan. Everhardo Fabritio*, Paſtori eccleſiæ reform. Dantiſcanæ, avunculo ſuo; *Ioan. Echardo Stückradt*, Evangelii in eccleſia Pfeddershemienſi in Palatinatu præconi, avunculo ſuo c). Studiis autem acade-

b) De quo fuſius iam alibi egimus, nimirum in comment. de eruditis Palat. Belgicis Sect. IV. §. XIII. p. 49. ſeq. & in comment. hiſt. de Oppenhemio §. XXXVIII. p. 170. ſeq. num. 20.

c) Idem *Stückradtius* fuit Allendorfio-Ziegenhainenſis Haſſus, prout didici



academicis ad colophonem perductis, patriam repetiit, ibique, prævio examine, numero Candidatorum adscriptus, haud ita multo post nactus est Pastoris officium, primum quidem, ut opinor, Weinshemii Crucenacensis archisatrapiæ; deinde d. XXIV. Febr. an. 1741. *Ioan. Georgio Bering*, de quo statim, Crucenaci successit; in qua statione piam efflavit animam d. XIII. Mart. an. 1743 d). Ipsi ibidem successit *Ioan. Henricus Nube*, Hasso-Vachensis, antea Diaconus Cæsareo-Lutrensis, d. X. Iunii eiusdem anni.

22) *Ioannes Georgius Bering*, Heidelbergensis, frater *Bernardi Beringii*, primum Heidelbergensis coetus Gallici, postea Germanici ecclesiastæ e). Noster, vir omnino stupendæ eruditionis, cuius multa specimina, quavis occasione data, exhibuit, atque egregius philologiæ sacræ & linguarum cultor cognitorque, meliore fato dignissimus, aliquamdiu apud Crucenacenses Pastoris munere functus est. Deinde invidiam odiumque nonnullorum parochianorum, magnis eius meritis non contentorum, sed, absente eo, præsentiam eius, uti plerumque fieri solet, variis ex rationibus vehementissime desiderantium, in se concitans, an. 1740. ad Neckeraviensem ecclesiam transire cogitur; ubi in deplorandam incidit melancholiam, adeo ut demum, officio suo prorsus impar, sua sponte Marburgum Cattorum abierit, & tamquam civis academicus collegia frequentaverit; ubi vero noctu per infelicissimum e superiori domicilii contignatione ad inferiorem lapsum

ci ex disp. theol. de exilio animarum, quam Heidelbergæ d. III. Dec. A. 1681. sub præsidio V. C. *Io. Fr. Miegii* defendit.

d) Vid. Sterbreg. der reform. Pfarrer de dicto anno.

e) Qui d. XIV. Febr. an. 1743. in obitum Serenissimi Electoris Palat. CAROLI PHILIPPI sermonem funebrem Gallice habuit, editum Heidelb. in fol.

pſum oppetere mortem debuit an. 1745. Concionem, quam Crucenaci d. IV. Sept. an. 1735. habuit, eodem anno Heidelbergæ typis evulgavit in 4. ſub titulo: *Die nothwendige Beſſerung Ieruſalems*, ad Ierem. VI. 8.

23) *Ioannes Philippus Frohn*, Haſſo Caſſellanus, d. XIX. Febr. anno elapſi ſeculi octogeſimo natus Allendorfii ad Werram, ſive ad Salinas, quæ in populari ſermone dicuntur *die Sooden*, oppido memorati Landgraviatus. Pater eius fuit *Chriſtianus Frohn*, eiusdem civitatis Conſul, & Notarius cæſareus publicus; mater autem *Barbara*, experientiſſimi *Freundii*, Archiatri & Medici Eſchwegenſis, filia. Studiorum ſuorum fundamenta collocavit in ſcholis patriis, quibus tunc præfuit *Otto*, Rector meritiſſimus, cuius ſub moderamine an. 1697. ad lectiones promotus fuit academicas. Poſtquam philologica, philoſophica & theologica ſtudia Marburgi Cattorum abſolverat, atque aliquamdiu in dictis Salinis vices Paſtoris geſſerat, anno ſeculi noſtri octavo ab ampliſſ. Senatu eccleſiaſtico Palatino ad Crucenacenſe Gymnaſium, in locum *Iac. Danielis Humberti* f), qui Heidelbergam tranſierat, propter eximiam in artibus ingenuis, quibus puerilis ætas ad humanitatem formatur, ſcientiam Rector vocatus fuit; quod muneris ſtatim poſt feſtum Paſchatis diem auſpicato adiit, atque illud integros quindecim annos tanta cum laude tantaque diligentia adminiſtravit, ut intra dictum temporis ſpatium ducentos adoleſcentes, tum indigenas tum peregrinos, tamquam ſtudioſos ad altiores promoverit lectiones. In ipſius locum poſtea V. C. *Chriſtianus Brünings*, de quo mox plura, fuit ſuccenturiatus. Noſter enim A. 1723. ad munus Paſtoris in pago Schweigern præfecturæ Boxbergenſis obeundum abierat; inde

f) De quo ſupra §. XLVII. p. 388. ſeq.



de idem munus ecclesiasticum in pago Muszbach Archisatrapiæ Neostadianæ an. 1739. fuit ipsi demandatum. Tandem an. 1750. propter varios eosque maxime adversos lubricæ fallacisque fortunæ casus Hasmershemium, præfecturæ Mosbacensis pagum, ut eodem fungeretur officio, commigrare cogitur. In qua statione d. XIX. Maii an. 1755. naturæ solvit debitum. Vixit annos LXXV. tresque menses. Scholis tamquam Rector, atque ecclesiis tamquam Pastor totos quadraginta septem annos inservìit. In hocce annorum curriculo cum iratis fatis conflictari vehementissime debuit. Nonnulla carmina, sermone Romano concinnata, quibus ad actus oratorios & promotorios invitavit, publicæ luci exposuit g).

24) *Abel Adamus Hottingerus*, natus Ocrifelsii, pago prope Offenbacum ad Moenum, ubi tunc temporis pater eius fuit ecclesiastes, filius magni illius *Ioannis Henrici Hottingeri*, S. theol. D. & Profess. nec non Pastoris Heidelbergensis, qui an. 1750. obiit h). Noster studiis philologicis & theologicis indefessam dedit operam Heidelbergæ sub ductu Patris, potissimum autem Tiguri Helvetiorum. Noster rite examinatus numeroque Candidatorum adscriptus, primum fuit in pago, nescio vero quo, Ecclesiastes, deinde Pastor & Inspector Osthofiensis, tandem ab anno 1750. Pastor primarius apud Crucenacenses & vicinarum ecclesiarum Ephorus, nimirum succenturiatus cel. & rev. *Ioanni Iacobo Wund*, de quo statim. Hinc hæc legimus i): *Summopere procul dubio gavisus fuisset Pater*

g) Eiusmodi plurima ex mss. personalibus, quæ vulgo sic vocari solent, depromsimus.

h) De Patre vid. cit. *Dunckelius* in den hist. crit. Nachr. &c. Vol. II. P. I. num. 1091. p. 68. seq; &, præter alia, Filii biographia Patris, quam edidit in 8.

i) Nimirum in modo cit. biogr. *Io. Henr. Hottingeri.*

Pater meus, si prævidere potuisset, lusum providentiæ divinæ admodum mirum, quo factum est, ut filius superstes in eius locum successerit, qui ipsi defuncto successor in utroque munere datus est, & quem adhuc vivus ardentibus votis desideraverat, Ioannem *scilicet* Iacobum Wundium, *hactenus ecclesiæ Crucenacensis Pastorem primarium & classis Inspectorem cæteris paribus dignissimum.* Vitam cum morte præmatura commutavit Crucenaci d. XXIX. Decemb. an. 1756 k). Obvia nobis est dissertatio theol. de *Revelationum divinarum modo & gradibus*, quam postridie synodi vernæ disquisitioni publicæ subiecit *Ioan. Iac. Lavaterus*, S. theol. Professor, respondente *Abele Ad. Hottingero*, V. D. M. assumente *Ioanne Huldrico*, s. theol. stud. Tiguri A. 1736. 4. Habemus præterea disquisitionem philologico-theologicam de *Sacerdotum Aaronicorum integritate ac mysterio;* quippe quam noster sub præsidio Patris ventilavit, Francofurti ad Moenum A. 1735. in 8. editam. Hanc autem conscripsit, Patre eius & præcipiente & auxiliante, adeoque bove Parentis sacro & coniugato vitulo filii l). Insuper evulgavit sacram orationem, in sermone vernaculo scriptam, sive Einweihungs-Predigt der Reformirten Kirche zu Osthofen sub tit: *Die Vortrefflichkeit der wahren Kirche des neuen Testaments* ex Matth. V. 14. an. 1748. 4. Tandem Patris sui posthumum opus de *magno expiationis die* publici iuris fecit, Turici A. 1754. in 4. atque suam ipsius præfationem præmisit. Optimi Patris biographiam, quam edidit, modo laudavimus. Duos post obitum suum filios reliquit, quorum natu maior, officio pastorali in pago Tigurino functus, ante aliquot annos in flore ætatis obiit; alter vero natu minor *Frid. Wilhelmus Hottinger*, Crucenacensis, d. XV. Iunii an. 1774. in numerum

k) Conf. msf. Sterbreg. der Pfarrer in Churpfalz de an. 1673. seqq.

l) Sicuti ipsissimis hisce verbis utitur in dicta disq. §. I. & XII.



rum Candidatorum Palatinorum receptus, iam vitam apud Tigurinos agit m).

25) Iam ſequitur V. C. *Chriſtianus Brünings*, qui ſuis prorſus eximiis in rempublicam litterariam meritis ad tot altiores ſplendidæ dignitatis gradus in Palatinatu noſtro fuit evectus. Hic habuit Bremam, inferioris Saxoniæ ſidus & ocellum, liberum S. R. Imperii oppidum, propter viros in orbe litterato celeberrimos longe celeberrimum n), patriam; ubi d. XVI. Ianuarii an. 1702. lucem adſpexit. Optimi ipſius parentes *Chriſtianus Brünings*, civis & mercator Bremenſis, materque *Metta*, nata *Meiera*, omnem omnino fidem omnemque operam impendebant, ut *Chriſtianus* etiam chriſtiane educaretur. Suorum igitur ſtudiorum fundamentis in inferiori Bremenſium Gymnaſio rite iactis, ſtudia ſua ulterius promovebat in patria, ſub ductu virorum clariſſimorum; utpote qui eum iuvenem adhucdum, propter ſingularia, quibus erat ornatus, animi ingeniique & doctrinæ dona, iudicabant digniſſimum, qui in numerum ſacri ordinis Candidatorum reciperetur. Ad incepta vero ſtudia porro continuanda & excolenda, anno ætatis ſuæ viceſimo quarto Heidelbergam noſtram mittitur, ut in antiquiſſimo illo ſapientiæ & doctrinæ ſacrario, ſapientia & doctrina imbueretur. Ibidem hoſpitio, inſtitutione præceptisque celeb. *Io. Henr. Hottingeri*, in philologia ſacra & linguis orientalibus, quas vocant, verſatiſſi-

m) Vid. der Reformirten in der Kurfürſtl. Pfalz bei Rhein aeuſſerl. Kirchenverfaſſung des Iahrs 1779. pag. 117.

n) Prouti iam dudum docuit *Hermannus Poſtius* in Brema literata, Brem. 1726. 4; & *Conr. Ikenius* in orat. de illuſtri Bremenſium ſchola, magnorum ingeniorum ſummorumque in omni ſcientia virorum alma atque foecunda matre. Brem. 1741. 4.

ſatiſſimi, utebatur. Collegiis quoque V. C. *Ludov. Chriſti. Miegii*, magni illius theologi Palatini, cui multi plurima debent, ſedulus intererat. Brevi autem temporis ſpatio completo, a maxime venerabili & ampliſſimo Senatu eccleſiaſtico Palatino, per ſingula Membrorum ſuffragia, ad Crucenacenſis Gymnaſii Rectoratum vocatus fuit, anno nimirum MDCCXXV o). Ad hocce officium dexterrime obeundum, eodem anno d. XVIII. Iulii iureiurando obſtringitur p). Haud diu poſt inauguralem de *præmiis in ſcholis docentium* habuit orationem, numquam vero typis evulgatam.

Proxime ſequenti anno d. XIX. Iunii, provida Dei cura ſic dirigente, tori ſociam ſibi adiunxit ingenuam virginem *Suſannam Sibyllam*, viri maxime venerandi *Ioannis Godofridi Kuhnii*, Inſpectoris & Paſtoris Ladenburgenſis, filiam virtutibus ornatiſſimam. Ex eo tempore varias ad alia loca vocationes obtinuit. Ad Rectoratum videlicet ſcholæ illuſtris Embdanæ, ſub honorificis admodum conditionibus, itidem ad cathedram eloquentiæ & hiſtoriarum in illuſtri Reformatorum, quod Halæ Magdeburgicæ floret, Lyceo, nec non ad Rectoratum Gymnaſii Dantiſcani fuit vocatus. Sed Palatinatum aliis prætulit regionibus; adeoque omnes haſce vocationes cum debita gratiarum actione & humanitate recuſavit. Die XXV. Maii an. 1735. præſentibus D. *Miegio* & Dn. *von der Velde*, tamquam Conſiliariis eccleſiaſticis ad hunc actum delegatis, per plurima coetus Reformati Teutonici Mannhemienſis vota & ſuffragia, Paſtor eccleſiæ nuncupatur. Subſequenti die III. Iunii Mannhemium acceſſit; ubi d. III. Iulii initium

 mune-

o) Non ſatis diſtincte hic numerus in præf. ad antiqq. Hebr. ſic exprimitur DCCXXV.

p) Uti diſcimus ex actis der Beſtallungs-puncten der reform. Geiſtl. in der Inſpection Creuznach de an. 1694 — 1760.



muneris ſui fecit, concione habita ex verbis D. Apoſtoli Pauli I. Corinth. IV. 2; in qua ſtatione omnem fidem, omnem integritatem omnemque induſtriam adhibuit.

Anno 1738. d. XXX. Decemb. ſummo rerum divinarum et humanarum Arbitro, Deo T. O. M. placuit, almam Noſtri coniugem ex hoc vitæ terreſtris theatro evocare, atque ad æternam ſuſcipere gloriam. In hoc duodecenni & ſex menſium placido iucundoque matrimonio liberos octo, nempe quinque filios & tres filias progenuit; ex quibus tunc temporis filii quatuor ac duæ filiæ ſuperſtites erant. Per totum ferme temporis ſpatium, quo Mannhemii vixit, variis iisque gravibus morbis laboravit. Verum autem ſtatuto tempore ab hoc malo liberatur. Nam d. XIV. April. an. 1740. ab ampliſſ. Senatu eccleſiaſtico una cum ven. *Philippo Laurentio Biermanno*, tunc in æde Spiritui S. ſacra Paſtore Heidelbergenſi, ad vacuam Theologiæ Profeſſuram, in locum pie defuncti cel. *Miegii*, Sereniſſimo Electori decentiſſime proponitur, atque ab ipſo ad cathedram theologicam exornandam, clementiſſime eligitur, vocatur, confirmatur. Antea autem, Mannhemii adhuc moratus, ipſi maxime honorificæ vocationes, nimirum ad munus ſecundi Paſtoris Bipontini, ad Profeſſuram Theologiæ in academia Francofurtana ad Viadrum, loco defuncti V. C. *Michaëlis*, ad munus Profeſſoris theologici in ill. Gymnaſio regio, quod Halæ Magdeb. hodiedum floret, & tandem ad Ephoriam & cum eadem coniunctam Neowiedani Conſiſtorii Adſeſſoris dignitatem, offerebantur. Quas autem vocationes omnes, variis iisque haud levibus inductus rationibus, renuebat. Tandem Mannhemienſibus ſuis, quos ſingulari prorſus amore proſequutus, die decima Iulii valedicens, die decima quarta eiusdem demigravit, mox decima octava dicti menſis, ſtatutis ſic poſtulantibus, lectionum academicarum fecit initium Heidelbergæ.

Anno

Anno proxime insequente & quidem ineunte quadragesimo primo, secundas iniit nuptias cum *Anna Margaretha*, spectatissimi viri *Iusti Henrici Gruberi*, Senatoris oppidani & apud Mannhemienses hospitis ad insignia trium regum, filia lectissima. Ex hac coniuge, in cuius coniugio duos & viginti annos vixit, octo liberos genuit, nempe quinque filios cum tribus filiabus; ex quibus post patris obitum tantummodo tres filii fuerunt superstites; nunc vero in vivis est unicus, apud Batavos degens.

Eodem anno die XIII. Ianuarii, secundum academica statuta, pro gradu doctorali in theologia rite consequendo disputavit, scripta & ventilata dissertatione inaugurali de *cornu salutis* ad Luc. I. 69; atque pridie Calend. Febr. dignitatem theologiæ Doctoris, actum publicum dirigente V. C. *Ioan. Henrico Hottingero*, sollemniter suscepit, præmisso inaugurali sermone de *Elia*, *Elisam iniecto pallio ad munus propheticum vocante;* quam dignitatem quoque postea omni cum laude fuit tuitus.

Insuper anno quadragesimo quarto d. XXIV. Ianuarii, ab amplissimo maximeque venerando Consessu ecclesiastico, rogante id atque efflagitante toto ecclesiæ coetu, Pastor in templo ad D. Petrum, loco pie denati ven. ecclesiastæ *Ioan. Iacobi Abegg* q), nuncupatus, Serenissimo Electori submississime propositus, d. XXV. eiusdem mensis benignissime clementissimeque confirmatur. Hinc dicti mensis d. XXVIII. Senatui ecclesiastico iusiurandum fidemque præstitit, adeo ut iam d. XVI. Febr. munus in memorata ecclesia inchoaverit, sacra oratione habita ex 2. Corinth. V. 20. Quocirca permotus etiam facillime fuit, ut omnes, quæcumque fuerint, post hocce

q) De quo nonnulla scripsimus in Gymn. Heidelb. §. XVII. p. 21. seq. & in spicil. I. §. XVII. p. 13.



ce temporis ſpatium exteras vocationes denegaverit, quum Paſtor eccleſiæ Germanicæ, quæ tum Amſtelodami tum Hagæ-Comitum colligitur, deinde theologiæ Profeſſor Francofurtum ad Oderam, tum Marburgum & Bremam, & tandem Herbornam Naſſoviorum evocaretur.

Anno ſeculi quinquageſimo, quæ erat Sereniſſimi Electoris clementiſſima voluntas & gratia, ad Theologi primarii dignitatem, in locum defuncti D. *Hottingeri*, fuit evectus, eique in Profeſſura ſecundaria ſucceſſit V. C. *Ioannes Iacobus Wund* r). An. 1756. munus Rectoris in alma & antiquiſſima Academia Magnifici obiit, faſcesque regiminis academici dexterrime geſſit. Poſt obitum R. P. *Kirnii*, S. I. & Profeſſoris primarii, factus eſt primarius in ordine theologico Profeſſor. Rev. *Georgio Ludovico Miegio* mortuo, *Brüningio* ephoria collegii ſapientiæ a Sereniſſimo & Potentiſſimo Electore noſtro CAROLO THEODORO clementiſſime traditur, quam etiam ad obitum usque adminiſtravit. Anno 1761. per hemiplexiam, quæ illum per dexterum latus ſubito invaſerat, maximam virium corporis partem amiſit. Licet poſtea vires debilitati corporis lentim lentimque ſe recolligere viderentur, nihilominus d. VI. Martii ſeptimam inter & octavam horam veſpertinam anno 1763. vivere deſiit, animam ſuam CHRISTO, qui illum ſanguine ſuo pretioſiſſimo redemit, in plena ſpiritus præſentia, reddens anno ætatis ſexageſimo primo, terræ mandatus in templo D. Petri. Funebrem orationem habuit modo laudatus *Io. Iac. Wund*, defuncti in triplici munere ſucceſſor meritiſſimus. Epicedia vero in ipſius obitum & amici & auditores s) condiderunt.

Non

r) De quo mox num. 28.

s) V. gr. Vir ampliſſ. *I. L. Harſcher*, defuncti adfinis, Germ; *I. H. Andreae*, R. Lat; philoſ. & theol. ſtudioſi, nec non *Iuſtus Henricus Brünings*, filius, poſtea Paſtor Laudenbacenſis, ſed haud diu poſt denatus.

Non ita pridem ante beatam ſuam *ἀνάλυσιν* ſcripſit *Brüningius* ad *Ioan. Caſp. Huldricum*, ven. Theologum & Antiſtitem Tigurinum: *Wie herzlich freuet es mich, daſſ Sie mit mir auf gleichen Grund bauen! Ach! wie ſüſſ iſt es, mit treuen Knechten* IESV *und Kindern Gottes in einer genauen Liebesverbindung ſtehen! Wie wird die Liebe in iener Ewigkeit ſo herzlich und ſeelig ſeyn, da hier ſchon in der Vnvollkommenheit lieben und leben ſo genau verbunden iſt.*

Non maius defuncto noſtro præconium tribuere poſſumus, quam quod ipſi iam tribuit modo laudatus Theologus t): IESVM CHRISTVM, inquiens, *unigenitum Patris, unicum fontem ſalutis, ex intimis cordis penetralibus amabat & colebat. Amabat itidem omnes dulciſſimum* IESVM *ἐν ἀφθαρσίᾳ amantes, iuxta illud Apoſtoli* I. Ioh. V. 1. *πᾶς ὁ ἀγαπῶν τὸν γεννήσαντα, ἀγαπᾷ καὶ τὸν γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ.* Præterea *placidi erat ingenii, quod omnino non prætermittendum eſt, ὁ Μακαρίτης noſter. Rixas, pugnas, contentiones, bella, triumphos non habitura, cane peius & angue fugiebat. Neminem unquam ſcriptis ſuis laceſſivit, nec cum aliquo altercationis ſerram reciprocavit.* CHRISTIANVS *erat. Errare humanum eſſe novit. Rationibus, non dicteriis aut ſcommatibus, pugnandum eſſe aiebat.*

Liberos poſt ſe reliquit, nimirum ſex filios & duas filias, in quibus duo natu maiores laude ſunt digniſſimi; alter *Conradus Ludovicus Brünings*, Crucenacenſis u); alter vero ven. *Godofridus Chriſtianus Brünings*, pariter Crucenaci natus, ſcriptis nonnullis, quæ iuris fecit publici, clarus.

Inſu-

t) Nimirum *I. C. Huldricus* in præfat. ad *Brüningii* compend. antiquitatum Hebr.

u) De quo nonnulla inferius num. 29.



Insuper exstant varia ingenii Brüningiani monumenta, mole quidem non admodum ingenti, sed pretio tamen haud vulgari, eximiam Viri, de scholis ecclesiisque longe meritissimi, tum philologicam tum theologicam eruditionem satis superque demonstrantia; videlicet:

1) Dissertatio de *vindice ecclesiæ, qui ex Edom & Bozra victor revertitur*, ad locum Ies. LXIII. 1—6. Bremæ. 1722. 4.

2) Dissertatio theol. philologica de *Propitiatorio*, Bremæ. 1725. 4.

3) Ἑρμήνευμα loci ad Hebr. VI. ℣. 19. v).

4) Compendium *antiquitatum Græcarum* e profanis sacrarum; cuius prima editio an. 1734; secunda vero auctior & emendatior, cum adpendice de *triumpho Romanorum*, anno 1745; nec non tertia iterum aucta, adiuncto specimine exegetico de *Mercatura spirituali*, ad Matth. XIII. 45. Francofurti ad Moenum apud *Franc. Varrentrapp* an. 1758. in 8. prodierunt w).

5) Dis-

v) Quod scriptum legitur in Brem. Museo hist. philol. theol. vol. II. P. II. p. 253—259.

w) V. C. *Dan. Gerdes* hocce opus valde meritoque laudat in Miscell. Duisburg. T. II. p. 362. & in Miscell. Groning. T. II. p. 575; ubi quoque p. 624—642. nonnullas observationes excerpsit, excerptasque cum lectoribus communicavit. Egregiam similiter laudem hisce antiquitatibus tribuerunt Editores novorum actorum erudit. Lipsiensium, supplem. T. II. sect. III. p. 138. Verum autem cel. *Ferd. Stoschius* in dem neuen gelehrten Europa P. XV. (Wolffenbüttel bei Meisnern) pag. 565—581. ubi historia vel potius biographia *Brüningii* occurrit, scribit:

5) Dissertatio inauguralis theologico-exegetica de *Cornu salutis*, ad illustrandum locum evang. Luc. I. 29. Heidelb. 1741. 4.

6) Dissertationes theologico-philologicæ tres de *Christo triumphante*, ad illustranda loca Coloss. II. 15. & 2. Cor. II. 14. cum comment. ventilatæ Heidelbergæ an. 1742. 1743. & 1744. 4. Egregiæ hæ diss. deinceps iunctim prodierunt Heidelb. an. 1747. 4. & rursum Custrin. 1750. 4.

---

bit: „Gleichwol muss man das Werk nicht für ganz vollstaendig in seiner Art ansehen. Es würden sich noch manche geschickte Zusaetze dazu beitragen lassen, und die Anmerckungen der neuesten Gelehrten über Griechische Schriftsteller dabei gute Diensten leisten koennen.„ Deinde varia additionum specimina exhibet, v. g. ad Cap. VI. §. 5. 6. 8. 12. 13. 14. 15. & 16. Hoc equidem ingenue confessus est b. *Brüningius* in nova ad editionem tertiam, tunc *Stoschio* nondum cognitam, præfatione; ubi inter alia scribit: „Non indignor imperfectionem dolentibus, si animo id fiat placido, & utilitatis communis cupido. Hortor etiam & rogo, ut consiliis & monitis salutaribus perfectionem, quam opto & desidero, adiuvent.„ Præterea *Stoschius* p. 568. seq. monet, nihil prorsus in duabus editionibus ad obiectionem b. *Neubaueri* responsum esse, indeque more suo concludit, illam obiectionem forsitan *Brüningio* incognitam mansisse. Forsitan res sic sese habere potest. Verum autem *Brüningius* minime necessarium duxit, ad omnes iam satis notas obiectiones semper respondere. Sic saltim certissime novimus, ipsi fuisse obiectionem *I. B. Carpzovii* notissimam, quam tamen in hac nova editione non attigit. Plura hac de re vide sis in der Sammlung einiger Beytraege, so zur Erlaeuterung der Pfaelzisch-allgemeinen, besonders aber gelehrten Geschichte dieses Lands gehoerig, (Franckf. & Leipz. 1761. 8.) p. 38. seq.



7) Primæ lineæ ſtudii homiletici, pagg. 46. continentes, Francof. ad M. apud *F. Varrentrapp.* 1744. in 8.

8) Diſſertatio theol. philolog. de *Paulo vaſe electo ad portandum CHRISTI nomen*, ad illuſtranda verba Act. IX. 15. Heidelb. 1745. 4 x).

9) Diſſertatio theol. exeget. practica de *Agno*, *Lucerna Hieroſolymæ cæleſtis*, ad illuſtrationem verborum Apoc. XXI. 23. Heidelb. 1747. 4.

10) Diſſ. theol. philolog. de *theſauro Evangelii per divinam gratiam Apoſtolis credito*, ad illuſtranda verba 2. Corinth. V. 19. Heidelb. 1749. 4.

11) De *Silentio ſacræ ſcripturæ*, ſive de iis, quæ in verbo divino omiſſa aut præterita vel ſunt, vel videntur, libellus y); adpendicis loco in calce adiectæ ſunt hactenus ineditæ diſſertationes aliquot affinis argumenti, v. g. 1) de *homine ad imaginem Patris in Filio reſtaurato*, ad Gen. III. 22. 2) De *Chriſto meſſi alienæ falcem immittere ſine ratione viſo.* Matth. XXV. 24. 3) De *operibus in Domino defunctos ſequentibus.* Apoc. XIV. 13. 4) De *Iubilæo legali & evangelico.* 2. Cor. VI. 2. Francof. ad M. ap. *F. Varrentrapp.* 1750. 8.

12) Obſervationes practicæ generales, *orationis dominicæ auctorem*, *ſcopum*, *materiam*, *formam & uſum* contemplantes. Heidelb. 1752. 4. z).

13) Be-

---

x) Cel. D. *Büttinghauſen* in ſpecimine horarum Hebr. & Arab. p. 87. hæc obſervavit, ſcribens: „Cel. *Brünings* ſcrinia *P. E. Scheurer* in diſſ. ad h. l. Bernæ 1753. vent. ſub præſidio Cl. *Altmanni*, adeo compilavit, ut iurares, diſſertationem Bernenſem ortam eſſe ex Heidelbergenſi.

y) Hicce libellus variis tum mitioribus tum acerbioribus eruditorum criſibus fuit expoſitus.

z) Hæ obſervationes in doctrina de Regno Dei, de qua ſtatim num. 14. de novo ſunt recuſæ.

13) Betrachtung *der goettlichen Natur - und Gnaden-Wercken*, nach Anleitung des LXV. Pſalms, auf alle 52. Sonntage des ganzen Iahres gerichtet, nebſt 5. Feſt - und 6. Paſſions-Andachten. Franckf. am M. bey F. V. 1752. 8.

14) Τὰ τῆς Βασιλείας τȣ̃ Θεȣ̃. id eſt, *Doctrina de regno Dei*, ſeu ſyſtema brevius theologicum didactico - practicum. Adpendicis loco a) adiectæ ſunt obſervationes generales, *orationem dominicam*, regni divini incrementa petentem, illuſtrantes. Francof. ad M. apud F. V. 1755. 8. In hoc libro b. *Brüningius* omnia determinat ex emblemate Regni. In præfatione huius ſyſtematis libellum ſuum de *Silentio S. Scripturæ* contra ſcriptores bibliothecæ Berolinenſis partim defendit, partim errorem ſuum ingenue agnoſcit b).

15) Die *gekreutzigte Liebe*, oder Betrachtungen über das Leiden, den Tod und das Begræbnis IESV CHRISTI, &c. Franckf. am M. bei F. V. 1759. 8.

16) Compendium *Antiquitatum Hebræarum*, cum adnotationibus perpetuis, uſum ſacrum indicantibus. Francof. ad M. apud F. V. an. 1765. c). in 8. Accedit ſpecimen antiquario - exegetico - practicum de *Aedificatione ſpirituali* explicanda ex ſcientia ædificiorum veterum d). Hic obſervandum, litteras harum Antiqq. Hebr. dedicatorias, quas vocant, Heidelbergæ d. V. Martii an. 1763. datas, dedicatas & oblatas eſſe Viro maxime venerando & eruditiſſimo *Ioan.*

 Iac.

a) Prouti modo ſub num. 12. vidimus.

b) Cel. *Io. Aug. Noeſſelt* in der Anweiſung zur Kenntniſſ theolog. Bücher ed. I. p. 248. ed. II. p. 273. hunc librum omiſit, obſervante D. *Büttinghauſen* in cit. Pfælz. hiſt. Nachr. p. 37.

c) Non an. 1763. uti in perſonalibus legitur.

d) Harum Antiquitatum Hebr. prorſum eſt oblitus cel. *Noeſſelt* in cit. libro. Conf. D. *Büttinghauſen* l. c.



Iac. Kesslero, Bremensi, s. s. Theol. D. Ecclesiast. & Theologo Amstelodamensi solidissimo ac fidelissimo, nec non Viro optime venerando *Io. Casparo Vlrico*, Theologo, Ecclesiastæ Tugurino Abbatissano & Canonico celebratissimo, amicis suis singularibus, non quidem unicis, sed tamen sinceris & aliorum Ducibus, easdem vero litteras die Saturni, tamquam ultimo vitæ suæ terrestris die, filio *Iusto Henrico*, a Patre, iam languida gravique lingua, in calamum fuisse dictatas e).

Scriptis hisce præter alia, iam inter alienos viros dispersa, binas subiungimus orationes, quæ quidem ex autographo descriptæ apud me latent, quæ omnino merentur, ut cum orbe litterato communicentur:

Harum altera agit de *Doctore διδακτικῷ* ad 1. Tim. III. 2; quam d. XIII. Dec. an. 1753. in aula Wilhelmiana habuit, quum Viro maxime ven. & celeb. *Ioan. Iacobo Wund* gradum Doctoris Theologiæ conferret f).

Alte-

e) Vid. personalia, quæ sunt a pag. 29—38. subiuncta sermoni funebri, dicto d. IX. Martii an. 1763. a b. *Io. Iac. Wund*, s. s. Theol. D. & Prof. *Ferd. Stoschius* l. d. ubi nonnullos *Brüningii* libros omisit, & qui quoque in introduct. in theol. dogm. (Francof. 1778. 8.) cap. XVII. quod de methodo theologiæ dogmaticæ agit, nullam de *Regno Dei* facit mentionem, uti iam observavit D. *Büttinghausen* l. d.

f) Huncce locum præter alios illustrat cel. apud Turicenses Theologus *Io. Iac. Huldricus*, *Iacobi* filius, in dissert. theologicarum de munere ecclesiastico eiusque partibus atque officiis septima, quæ est de Ministrorum, ut ita vocari possint, necessariis requisitis & donis, p. 42. Turici 1774. 4; quæ omnino legi meretur.



Altera eſt oratio ſollemnis, qua locum Iacob. III. 17. illuſtrat *Brüningius*, quum an. 1756. munus Rectoris magnifici auſpicaretur g).

Quam facili plectro *Brüningius* Latina deduxerit carmina, ex variis pateſcit ſpeciminibus; quorum hic loci dumtaxat unicum, quod in obitum & honorem *Ioan. Ludov. Freyi*, Theol. D. & Prof. Baſil. nec non Inſtituti Freyio-Grynæani auctoris, contexuit, ſubiungimus. En vobis illud!

Exuvias magni tumulus tegat oſſaque FREYI;
 Non poterit virtus, fama, fidesque tegi.
Pauca latent, quod præcipuum, toti patet orbi,
 Qui bona ſcripta legit, qui pia facta legit;
Marmora ſi ſileant, tu bibliotheca loqueris,
 Et cathedra, & cathedræ præmia, dona, domus.
In cathedra fama & meritis clariſſime BECKI,
 Defuncti laudes & benefacta canes.
Quod GRYNAEVS opus coepit, perfecit & auxit
 FREYVS, uterque Tibi charus, uterque mihi.
O ter felices Muſæ, ſua ſi bona norint,
 Rauriacæ, felix concio ſacra Deo!
Qui quondam veſtras doctrina ornavit Athenas,
 Vivit adhuc, moriens & ſine voce docet.

Ipſe

g) V. C. *Io. Daniel van Hoven* eumdem locum illuſtrat in ſpecimine III. de Chriſtianorum ſeculi I. vita & moribus ad ductum Iac. III. 17. Lingæ 1752. 4. Hoc ſpecimen defendit *Ioannes Schmid*, Crucenaco-Palatinus, nunc Eccleſiaſtes Weinhemienſis ad ſtratam montanam.



Ipſe quidem in cælo fulget, placideque quieſcit,
    Angelicis miſcens gaudia pura choris.
BECKIVS in terris os eſt, quis dignior illo?
    Quis FREYO propior dotibus, arte, fide?
Is poterit duplices animo tolerare labores,
    Is proprio, & FREYI nomine doctor erit.
O utinam duplices ornet benedictio curas
    Duplex, & duplicis ſit tua vita Viri!
O ſi miretur multos Academia FREYOS,
    Qui CHRISTI ſervos poſt ſua fata docent!
BECKIVS o duplicem non formidare laborem
    Si moneat ſimili robore forte pares!
Et qui poſt mortem pergunt prodeſſe ſaluti,
    Et qui bis vivunt, præmia dupla ferent.
Nunc age, quæ CHRISTO bene ſervitura Iuventus
    Ad metam ferves paſſibus ire citis;
Et benefactorem FREYVM, primumque datorem
    Vt grata recolas, obſecro, mente DEVM.
BECKIVS eſt, qui monſtrat iter, non deſere euntem,
    Cum duplici duplex iunctus honore labor.
Mitte Sionæos latices, ditiſſima cæli
    Munera, Rauriacis civibus, Alme DEVS!
Sic patriæ Patres, ſic caſta Eccleſia CHRISTI,
    Sic Pindus ſemper fulget honore novo.
Vtque placent Rheno Patri conſortia Nicri,
    Sic Heidelbergæ Tu, Baſilea, fave!

„Quid

„Quid nunc denique restat de beato nostro *Brünings* dicere, quam hoc: VIXIT! sed vivet deinceps, nec peribit unquam in piorum omnium memoria. Nomen *Brünings* semper vigebit, quamdiu ipsa vigebit Religio. Vivit in gloria & honore apud dulcissimum suum Salvatorem, cuius fidus servus erat h)„.

26) *Fridericus Ludov. Wund*, Crucenacensis, d. XXIX. Martii an. 1714. natus, Viri spectatissimi omnique pietatis & probitatis laude dignissimi *Ioannis Wund*, mercatoris & Propraetoris oppidani, filius, *Ioannis Iacobi*, de quo statim, frater. In Gymnasio patrio ad lectiones academicas sub moderamine modo laudati *Christiani Brünings* promotus, Musas Heidelbergenses aliquamdiu salutavit, hisce vero valedicens, ad celeberrimam Ienensem academiam, viris eruditissimis & scientissimis florentissimam, concessit, ibidem studia sua, potissimum iuridica, diligentissime prosequutus. Stadio autem studiorum academicorum non infeliciter emenso, in patriam rediit, & partim Crucenaci, partim vero Biponti caussas strenue egit. Deinceps Heidelbergæ Consiliarii in curia matrimoniali, postmodum quoque Consiliarii ecclesiastici, tandem in utraque curia amplissima Directoris muneribus usque ad præmaturum suum obitum functus est. Diem obiit supremum Heidelbergæ d. XXVII. Nov. an. 1767. sepultus in templo D. Petri. Funebrem b. *Phil. Gerardus Rieger* habuit orationem, sed typis non expressam. Ceterum fuit Iurisconsultus acutissimus, cultor historiarum apprime strenuus & egregius, æstimator litteratorum pereximius, scholarum patronus & defensor optimus, proletariæ eruditionis osor vehementissimus. Quod reliquum est, merito maxime dolendum, splendidam ipsius

h) Hæc sunt verba *Huldrici* in cit. præf. ad *Brüningii* antiq. Hebr. sub finem.



ipſius, nitidiſſimam, pretioſiſſimamque & optimis iisque nonnullis perraris libris refertam bibliothecam i) iam nunc extra patriam ſine emolumento uſuque noſtro ſplendere. Coronidis loco hic ſubiicimus ſplendidum & magnificum monumentum k), inſignibus gentilitiis aliisque emblematibus exornatum, in dicto templo erectum, atque parieti meridiem verſus ad dextram ſuggeſtus adfixum, vel potius epitaphium ipſius:

D. O. M. S.
SEMPITERNAE MEMORIAE
VIRI ILLVSTRIS
FRID. LVDOV. WVNDII
SENAT. ECCLES. PALAT. ET CVRIAE MATRIM.
DIRECTORIS GRAVISSIMI
NEC NON CELSISS. REGIM. CONSILIARII
QVI
POSTQVAM MVNERA EI PVBLICE DEMANDATA
PER XXIII. ANNOS
DEXTRE FIDELITERQVE ADMINISTRASSET
REMPVBLICAM AEQVE AC ECCLESIASTICAM

QVA-

i) Catalogus ipſius bibliothecæ, egregio ordine concinnatus, typis editus eſt Heidelbergæ. an. 1769. 4; in fine p. 232—300. ſeparatim accedit ſeries ſcriptorum Palatinorum, ordine quodam ſyſtematico digeſta.

k) Cuius imaginem primus delineavit diligentiſſimus *Auguſtus Frid. Hoſe*, Senatus eccleſ. Palat. Expeditor, quodque artificioſe poſtea ſculpſit *Düchertus*, ſtatuarius Heidelbergenſis.



QVACUNQVE IN RE POTVIT
EGREGIE ADIVVISSET
NONDVM EXACTO ANNO AETATIS SVAE LIV.
DEO ET NATVRAE CONCESSIT
CONIVGI CHARISSIMO
PIETATE FIDE AMORE
PROBATISSIMO
QVO CVM ANNOS XXII. CONCORDISSIME VIXIT
VIDVA MOESTISSIMA
FRIDERICA ELEONORA WINCKELBLECH
HOC MONVMENTVM
P. C.
NATVS CRVCENACI
D. XXIX. MARTII M.D.CCXIV.
DENAT. HEIDELBERGAE
D. XXVII. NOV. M.D.CCLXVII.

* * *

27) *Ioannes Paulus Hooc*, ſuperioris adfinis, cuius ſororem natu minimam in dulciſſimo habuit matrimonio, Biponti natus, optimus honeſtiſſimi civis & piſtoris, atque aliquoties Presbyterii eccleſiaſtici adſeſſoris, filius. Hic ingenuis artibus litterisque, viam ad altiora ſtudia parantibus, primum in Gymnaſio Bipontino, præſertim ſub ductu V. C. *Crollii*, Patris, laudabilem dedit operam, ita ut omnibus ſuis Præceptoribus cumulatim ſatisfecerit. Inſtructus praeterea litteris ſyſtaticis, quibus eum exornavit Gymnaſii Moderator, cui tum propter ſingularem in ſtudiis diligentiam, tum propter egregios mores ſemper fuit gratiſſimus ac iucundiſſimus, academias, potiſſimum Marburgenſem Cattorum,

 adiit,



adiit, ibique ſpeciatim ab ore V. C. *Ioan. Chriſti. Kirchmeieri* tam avide pependit, ut ex eius & *Duyſingii* lectionibus theologicis ingentem ſibi collegerit theſaurum, immo poſtmodum opes omnis ſui ſtudii ingeniique ad eccleſiæ commoda contulerit. Domum redux, prævio examine theologico, in numerum Candidatorum recipitur, atque haud diu poſt Paſtor nuncupatur in Ducatu Bipontino, primum in pago Alſens, poſtea in pago Niederhauſen, tunc ditionis Bipontinæ, nunc Archipalatinæ l). Tandem, quum antea iuribus & privilegiis indigenæ Palatini donaretur, d. IV. Ian. an. 1757. Eccleſiaſtes & Inſpector Crucenacenſis deſignatur. In utroque munere ibidem ſucceſſit *Ab. Ad. Hottingero*, præmatura morte ſuis abrepto m). Noſter in iuventute ſua duas orationes, easque elegantes & politas, in obitum Sereniſſimi Principis CHRISTIANI III. Ducis Bipontini, an. 1735. in Gymnaſio Bipontino publice habuit n). Mortem oppetiit Crucenaci d. III. Ian. an. 1770. o). Ceterum fuiſſe virum adfabilem, ingenuum, pium, vere theologum, maxime officioſum, atque erga pauperes benignum, omnes, qui cum eo ſunt converſati, optime norunt.

28) Adfinem ſequitur adfinis, nimirum *Ioannes Iacobus Wund* p), antea laudati *Friderici Ludovici* frater. Hunc, quem ſemper honoris & amoris cauſſa nomino, Crucenaci me ſacris chriſtianis initiaviſſe, meique fideliſſimum poſt præma-

---

l) Vid. infra §. XLIX.

m) De quo ſuperius num. 24. p. 450. ſeq.

n) Sic ſcribit V. C. *Crollius*, filius, in comment. de antiqua Muſarum Bipontinarum in Principes pietate, p. 27. Biponti. 1767. 4.

o) Ita legimus in mſc. indice defunctorum de dicto anno.

p) Hic apud *Stoſchium* in dem XV. Th. des neuen gelehrt. Europa pag. 568. erronee vocatur *Io. Iac. Pfund.*

præmaturam parentum meorum mortem egiſſe tutorem, iam alibi q), gratiſſimi animi teſtandi gratia, indicavimus. Monzingenſis noſter fuit. Nam eum *Monzinga* r), non ignobile Palatinæ terræ oppidum, a montibus illud undique cingentibus ſic nominatum, m. Octob. anno huius ſeculi primo s), honeſtiſſimis natum parentibus, patre nimirum viro ſpectatiſſimo atque ingenuo *Ioanne Wund*, poſtmodum urbis Crucenacenſis mercatore, ſenatore & proprætore, matre autem *Dorothea Fuchſia* nata, Monzingenſi, protulit. Optimi hi parentes filium natu maximum & primogenitum, quem ſtudio theologico, non infauſto omine, conſecrarunt, primum diſciplinæ Gymnaſii Crucenacenſis, tunc egregie florentis, tradiderunt; in quo tales in ſtudiis humanioribus fecit progreſſus, ut iam anno ſeculi decimo ſeptimo ſub moderamine Rectoris *Io. Philippi Frohnii* t) in actu autumnali ad lectiones academicas ſollemniter fuerit promotus. Studiis igitur propædeuticis egregie ſatisque inſtructus, ad almam & antiquiſſimam academiam Heidelbergenſem ſeſe contulit, ibique quatuor propemodum annos ab ore virorum celeberrimorum, nempe *L. C. Miegii*, *I. C. Kirchmeieri*, *I. H. Hottingeri* nec non *Ph. Ludov. Paſtoir* tam avide tamque utiliter pependit, ut reliquis ſtudioſis egregium exemplar reliquerit imitandum.

An. 1721. commigravit Marburgum Cattorum, & haud diu poſt Traiectum ad Rhenum; ubi non inſtitutionibus tantum, ſed favore etiam magnorum virorum, qui tunc Academiam illuſtrabant, nimirum *Hieronymi* van *Alphen*, *Hermanni*

q) Videlicet in Alceia Palat. illuſt. §. XX. num. 11. p. 57.

r) De quo oppido ſupra §. XVI. litt. A. pag. 50. ſeqq.

s) Hæc hauſimus ex cit. mſc. *Brüningii* oratione de doctore διδακτικῷ. Sed perſonalia mſſcr. habent menſem Decemb. an. 1700.

t) De quo ſupra num. 23. p. 449. ſeq.

ni Alexandri Roëllii atque *Hadriani Relandi*, utebatur. Biennio academico feliciter exacto, celebriora Belgii foederati & nonnulla Germaniæ oppida invisit, ut res præ aliis spectatu dignissimas spectaret. Quemadmodum igitur celeberrimæ in Germania & Belgio academiæ Marburgum & Vltraiectum scientiis nostrum excoluerunt, sic academia Archipalatina, optima studiorum mater, eumdem suavissimis & utilissimis sacræ scientiæ deliciis nutritum auspicatissime perfecit; quem, finito studiorum academicorum curriculo, prævio in scientiis, quibus theologiæ Candidatus instructus esse debet, examine, primum ad munus ecclesiasticum in coetu Reformatorum Sobernhemiensium an. 1725. vocatum novimus. Dum vero ibidem fidelissimum ageret Pastorem, uxorem duxit lectissimam egregiisque virtutibus condecoratam Virginem *Mariam Modestam Miegiam*, V. C. *Ludovici Christiani Miegii*, Palatini Consiliarii ecclesiastici, s. s. Theol. D. & Prof. P. O. Pastoris in templo Spiritui S. consecrato, nec non collegii sapientiæ Ephori, filiam natu minimam optimamque. Nuptiæ vero sollemniter sunt d. XIII. Maii an. 1732. u) celebratæ v). In hoc coniugio eoque maxime placido annis triginta tribus & aliquot mensibus vixit, atque in eo undecim genuit liberos, videlicet sex filios & quinque filias; ex quibus adhucdum tres filii cum duabus filiabus sunt superstites. Dum Sobernhemii, quod numquam satis laudare nequivit, quodque semper magno in honore habuit, viveret, Amicus ipsius w) ipsum merito adpellavit, *reverendum & tum ingenii elegantia, tum eruditionis præstantia perinsignem virum, Sobernheimensem multa nominis laude Ecclesiasten.* Verum autem in iucundissima

u) Non, uti in cit. personal. legimus, an. 1729.

v) Qua occasione German. epithalamium idque elegantissimum *G. I. Ioannis*, Hist. & Prof. Bipontinus, edidit, Heidelbergæ in fol. vulgatum.

w) Nempe *Crollius* in cit. orat. de dioec. Beck. p. 47. not.

ma sua statione Sobernhemiensi non ultra septennium hæsit. Nam dicto anno tricesimo secundo Alceiam, totius Archisatrapiæ metropolin, abiit ad Pastoris primarii simulque ecclesiarum vicinarum Inspectoris munus obeundum. Præterea Alceiensibus suis, quibus erat longe gratissimus, non citra animi tristitiam, valedicens, d. II. Iunii an. 1735. Crucenacum, ubi tunc Pater eius vixit, ad eadem gravissima munera evocatus ab amplissimo Senatu ecclesiastico fuit. Licet interea, dum prædictis fungeretur officiis, Serenissimus Princeps Anhaltino-Cothenianus ipsum tamquam ecclesiarum suæ ditionis Superintendentem, quem adpellant, sponte & clementissime nuncupaverit, & licet dignissima amplissimi Consistorii Bipontini membra ipsi munus Inspectoris Bipontini & dignitatem ecclesiastici Senatoris obtulerint, non tamen eo adduci potuit, ut patriam relinqueret dulcissimam.

Eum igitur per annos viginti quinque docentem audiverunt greges CHRISTO sacrati Sobernhemii, Alceiæ & Crucenaci, mirati simul & Pastoris dexteritatem fidemque & probissimam Inspectoris prudentiam: quem denique Serenissimi ac Potentissimi Principis Electoris CAROLI THEODORI, Musarum Altoris & Statoris longe benignissimi & generosissimi, patriæ Patris optimi, clementissima voluntas anno MDCCL. celeb. *Io. Henr. Hottingeri*, die VII. Aprilis dicti anni a labore ad cælestem quietem evocati, successorem, & quidem tamquam secundum s. theologiæ Professorem, adeoque *Brüningii* in utroque munere docendi academico & ecclesiastico collegam esse iussit x). Aegre tamen eo perduci potuit,

---

x) Vid. V. C. *Dan. Gerdes* in scrutinio antiquario (Groning. & Brem. 1751. 4.) Tom. II. P. II. p. 749. seq. Hamburg. freie Vrth. an. 1750. P. LXVIII. atque in hortis Musarum amoenissimis &c. (Altorfi Noricorum. 1751. 4.) p. 103. Beiträge zu den Erlang. gel. Anmerk. (1750) p. 672. & *Dunckelius* l. c. T. I. p. 75. in biogr. *Io. Henr. Hottingeri.*



potuit, ut ſpartam Heidelbergenſem ſibimet condecorandam ſuſciperet, aliquamdiu maxime dubius hærens, quid in graviſſimo hocce negotio ageret, prouti ex litteris, quas tunc temporis ad me humaniſſime dedit, affatim didici. Tandem vero urgenti Superiorum & amicorum voluntati ceſſit. Crucenaco dum Heidelbergam cum ſuis commigraret, ipſum ſtudioſi theologiæ gratulabundi tamquam comites ſollemniter in urbem introduxerunt. Id quod factum d. XXVII. Aug. anni modo memorati. Statim ſubſequente d. II. Sept. concionem aditialem in templo D. Petri habuit. Poſtmodum ipſe, dum per ſeptem integra luſtra primum in eccleſia Palatina, deinceps in academia Heidelbergenſi publice & utiliter docuiſſet, honorem gradumque Doctoris publici, quem ipſa ſtatuta academica ei addixerunt, rite conſequutus eſt & nactus d. XIII. Decemb. an. 1753. Quem actum ſollemnem in oratione publica celeb. *Brüningius*, tamquam promotor, hiſce claudit emphaticis verbis: *Permitte*, *Vir venerande*, *Collega honoratiſſime*, *ut poſt impetratos ſummos in theologia honores primum mihi*, *deinde tibi gratuler; mihi quidem*, *quod providentia te per gradus ex ignoto amicum*, *porro ex amico collegam*, *denique ex collega conſortem & ſocium fecit; tibi vero*, *quod felicibus auſpiciis novorum honorum initium hoc facturus es per orationem inauguralem publicam. Vtere dono docendi*, *fruere dignitate doctorali*, *vive Deo*, *academiæ*, *eccleſiæ*, *familiæ*, *amicis ex voto quam diutiſſime. Hæc precum*, *hæc votorum meorum*, *quæ Deus rata eſſe iubeat*, *ſumma eſt.* Promotus igitur in pereleganti & eruditiſſima oratione inaugurali, quæ typis publicetur, omnino meretur, de *vera ſapientia in ſolis oraculis divinis ut quærenda*, *ſic & ſola eorumdem interpretes ſapientes reddente* diſſeruit, omniumque auditorum adplauſum meruit, qui quoque datus. En vobis epilogum huius orationis ex mſc. depromtum! *Sed plura dicere vetat tempus*, *licet amplitudo ſubiecti plura poſcat. Maieſtate igitur dicendorum oppreſſa*, *ſatius erit vela contrahere*, *& orationi finem facere. Quantula-*

tula-

tulacunque tamen ſint, quæ dixi, ex iis mihi ſaltem colligere integrum erit, quam arduum ſit officium Interpretis divinorum oraculorum præcipue academici, quod meis impoſitum humeris ſentio. Si paria facere non poſſum cum viris immortalís memoriæ, qui ante me ſapientia & uſu rerum ac incomparabili eruditione hanc cathedram ex parte Reformatorum ornarunt, incitabit tamen eorum exemplum id tentandi, quod vires, quas exiguas in me eſſe deprehendo, permittent; incitabunt præclara merita clariſſimi D. Promotoris & coniunctiſſimi Collegæ, quocum ſociatos labores habeo, & quem, ſi non æquis paſſibus, ſequi tamen ſtudioſe laborabo; incitabunt honores hodie mihi collati ab eodem, quoque nomine me Viro venerando etiam, ultra quam dicere poſſum, obſtrictiſſimum eſſe profiteor; iidem novum pariter ſtimulum mihi addent, dilectiſſimis meis auditoribus, quique in poſterum Athenas noſtras ſalutaturi ſunt, pro viribus inſerviendi, eorumque ſtudia ſacra promovendi. Quare agite, ſacrata Deo pectora! non ad fontem aliquem Caſtalium, ex poëtarum fictionibus enatum, vos amando, ſed ad verbi divini theſauros, cuius lectioni & meditationi vos totos dare mecum oportet, & uti apud pictoriæ artis gnaros in proverbio eſt: Nulla dies ſine linea; *ſic etiam dies vobis periiſſe credite, qui ſine ſcrutinio ſcripturarum effluxerunt. Dies & horas veſtras non melius certe collocare poteritis. Hoc vobis non ſolum iniungitur ab integro Prophetarum & Apoſtolorum choro, ſed a chori huius Duce & ſupremo Magiſtro. Saltem mihi, hoc enim vobis ſpondeo, voluntas de vobis bene merendi non deerit, dum ſpiritus hos regit artus.*

Nihil tandem ſupereſſe mihi video, quam ut poſt Deum gratias humillimas agam Sereniſſimo Electori, Patri patriæ indulgentiſſimo & academiæ Nutritori gratioſiſſimo, quo clementer annuente huic muneri admotus ſum. Servet ſummum Numen Principem ut pietate in ſe, ſic amore in ſubditos, æquitate in iudiciis, ſapientia in conſiliis nulli ſecundum; ſervet Celſiſſimam Coniugem, Sereniſſimam Electricem, ſervet ita utroſque, ut

per suam benedictionem stet Palatina Domus, & avi numerentur avorum!

Immortales quoque gratias habeo tibi, magnifice D. Rector, Vobis Viri perillustres & amplissimi, Vobis denique academiæ Doctoribus & Professoribus celeberrimis, quod cunctis frequenti hoc consessu hunc actum solennem condecorare volupe fuerit. Audeo vobis de me promittere, me nullo non tempore id acturum, ut vestrum mihi favorem & benevolentiam proporro conciliem. Vobis omnibus, Auditores O. O. Hon. gratias ex animo habeo, quod dicenti patulas aures commodare volueritis; dabo operam, ut id beneficii in immemorem haud contulisse re ipsa cognoscatis. Vobis denique, præstantissimi cives academici, me quoque devinctum esse profiteor, utque vestra in hac academia commoratio vobis, patriæ, parentibus omnino fructuosa sit, animitus voveo.

Te vero, DEVS O. M. *Aeterne & Triune, humillime precor; da mihi cor rectum timens Tui, ut ne unquam a recto tramite deflectam; castæ sint meæ deliciæ scripturæ tuæ, ne ex eis fallam, ne in iis fallar, sicque studia in eis posita uberem fructum fundant! Tuo sub præsidio studia nostra floreant vigeantque! Tua sub tutela ecclesia gaudeat pace, patria securitate, & academia splendore, cumque omnia a Tua unius benedictione pendeant, exaudi preces meas humillimas ad nominis Tui augusti gloriam sempiternam!*

Quam sollemnitatem musis suis celebrarunt academici cives (y). Ante hunc doctoralem actum, scilicet d. XII. Sept. celeb. Promovendus dissertationem theol. inauguralem de

(y) Nimirum in carmine Lat. *Joan. Henricus Boehme*, Franckenthalio-Palatinus, præmature studiis academicis immortuus, plurimum rev. Dn. *Joannis Boehme*, nunc Consiliarii eccles. Palat. & Antistitis Heidelberg. in templo Spiritus S. meritissimi, filius natu maximus & desideratissimus; atque reliqui in oda Germ.

de *copia charismatum & virtutum in ecclesia Apostolica*, Heidelberg. 1753. 4 (z). De qua dissertatione hoc iudicium inter alia legimus: *Multis S. Scripturæ cum primis novi Test. locis lumen adfundit* (a). Eodem anno 1753. cel. Theologus Bremensis (b) suam de eadem materia dissertationem, eamque elimatissimam edidit (c). Hanc nostri dissertationem, quod equidem miror, adlegare omisit sermo in obitum laudati *Brüningii*, typis postmodum evulgatus.

An. 1763. in utramque defuncti *Brüningii* spartam tum academicam tum ecclesiasticam rite succenturiatus est ven. noster *Wundius*; quibus muneribus accessit etiam ephoria Collegii Sapientiæ. Omnem profecto adhibuit operam, omnem diligentiam, omnem dexteritatem fidemque in triplici suo munere obeundo optimus noster & numquam satis laudandus Doctor, quem semper Parentis loco habui sumque ad ultimum vitæ halitum usque habiturus.

Anno 1765. ingenti dolore fuit adfectus. Nam dilectissima eius coniux, quæ omnino longiori digna fuit vitæ curriculo, ex hoc mundi theatro ad cælicolas transiit, viduumque reliquit maritum tristissimum. Licet postmodum per aliquod temporis spatium firma tum corporis tum animi sanitate &

(z) Defendens erat sæpe laudatus D. *Büttinghausen*, tunc theol. ordinis Candidatus.

(a) Apud D. *Dan. Gerdes* in miscell. Groning. novis Tom. IV. p. 568. Groning. 1754. 4.

(b) Nempe *Nicol. Nonnen.*

(c) Quam quoque citat Cancellarius & Theologus Tubing. rev. *Ier. Frid. Reuss*; utpote qui quatuor dissertationes de donis miraculosis, ut argumento pro veritate religionis Christianæ, publici juris fecit, quæ deinceps etiam Germanice prodierunt.



alacritate fuerit uſus, tandem tamen ſenſim ſenſimque vires corporis debilitari cœperunt. Nam, m. Iulio an. 1771. morbo correptus, lecto preſſius adhærere cogitur. Et, licet nonnumquam ſpes recuperandæ valetudinis adfulgere videretur, morbo tamen in dies magis magisque ingraveſcente, viribusque penitus conſumtis, tandem, inter adſtantium liberorum lacrymas & amplexus, integro ad finem usque vitæ rationis uſu, adeo ut, liberis ſuis antea bene precatus, pius Doctor noſter *Iacobus* cum moribundo Patriarcha *Iacobo* exclamaverit: *Domine, tuam exſpecto ſalutem!* placide exſpiravit hora ſeptima matutina die ſecundo Septembris anni dicti, dum ferme ſeptuaginta annos, minus unico menſe, compleviſſet, in ſacello academico templi D. Petri ſepultus. Qua occaſione funebrem odam, in ſermone vernaculo conſcriptam, in fol. edidere ſtudioſi Theologiæ (d). Sic filii filiæque Patrem optimum & tenerrimum; academia Doctorem celeberrimum; eccleſia inſignem ſtrenuumque veritatis defenſorem, patronum, vindicem, acerbo ſibi fato ablatum; amici amicum candidiſſimum; pauperes patrem maxime liberalem, merito planxerunt meritoque deploraverunt.

Adeoque in hocce Viro, ab omni parte exculto, cum doctrina & eruditione, pari paſſu veluti ambulavit morum integritas: immo ipſe vitam egit tanto Doctore dignam, omnibusque chriſtianis virtutibus locupletatam, illuſtratam, condecoratam. Pietate erga Deum inſigni fuit minimeque fucata. Amore divinarum veritatum intenſiſſimo flagravit, ad piam doctamque illarum meditationem non formatus, ſed omnino natus. Modeſtia præditus fuit apprime decora, & ſimplicitati, quæ veros Chriſtianos decet, prorſus conveniente. Candorem animi, ſinceritatem integritatemque numquam non

(d) Alia de noſtro vid. in Alceia Palat. illuſtr. §. XX. num. 11. pag. 57. ſeq.



non in deliciis habuit; candidos, ſinceros, integritate morum optime probatos atque reapſe ingenuos ſemper candidiſſime & ingenue peramavit.

In familiarium conſortio, cui lubentiſſime interfuit, fuit gravitate haud adfectata, ſed penitus genuina planeque naturali; interdum a ſalibus iocisque nequaquam abhorrens; vultu gravi lætoque, nec triſti ſeveritate, nec nimia comitate, ſed potius ſuaviter admixta utrimque temperie. Paucis ut omnia complectar, ſic vixit, vitam ſic transegit, ut, neque mortem timere, neque vitam odiſſe neceſſum haberet;

Vixit, & ingenuas luſtravit lumine mentes;
Vivet in æternum; vivit in arce poli.
In terris noſtris docuit quæ Dogmata diva,
Horum nunc fruitur Fructibus atque Bonis.

Ad ipſius ſcripta pertinet inſuper elegantiſſime perſcripta funebris oratio, quippe quam in obitum ven. ſui Collegæ *Brüningii* habuit, Heidelbergæ in 4. editam hocce ſub titulo: Das treuen Lehrern nach ihrem Abſterben in dem Hertzen ihrer Zuhoerer zu widmende ſchuldige Angedencken, wurde, als der tit. Herr *Chriſtian Brünings*, S. S. Theol. D. & Prof. &c. &c. dieſes Zeitliche geſegnet, bey — — Beerdigung deſſelben, in einer Leichen-Rede vorgeſtellet.

Præterea chartæ mandata pleneque elaborata, forſitan quoque typis deſtinata, reliquit bina ſcripta, nimirum alterum: de *locis in Pentateucho difficillimis*; alterum vero de *libris ſtudioſo Theologiæ neceſſariis*; quorum iam poſſeſſor eſt filius tertiogenitus. Hiſce adiungenda eſt mſc. *Hiſtoria Catechiſmi Heidelbergenſis.* Fuit quoque, prouti ex ipſius ore ſæpius audivi, meditatus ſingularem libellum de *Eccleſia*

reformata Palatina, tamquam matre omnium reformatarum extra Palatinatum Ecclesiarum.

Post obitum superstites reliquit tres filios, ab optimo Patre nequaquam degeneres, omnes Crucenaci natos, munerum dignitate scriptisque elucubratis iam satis celebres & dulcissimæ patriæ usibus optime inservientes, nimirum (1) *Danielem Ludovicum*, nunc Pastorem primarium & Inspectorem Crucenacensem (e); (2) *Carolum Casimirum*, Iurisconsultum, Consiliarium ecclesiasticum Archi-Palatinum, in alma & antiquissima Academia Heidelbergensi philosophiæ & historiæ ecclesiasticæ Professorem publicum & ordinarium, superiori anno magnificum Vniversitatis Rectorem, ordinarium Electoralis Palatinæ Societatis Germanicæ socium, nec non Regii Instituti historici Goettingensis membrum ordinarium; denique (3) *Fridericum Petrum*, iam Ecclesiasten primarium & Lutrensium ecclesiarum Ephorum, ibidem ordinarium Societatis oeconomicæ membrum, atque in Academia camerali Professorem historiarum. Pereximiis hisce Triumviris, ut Dei honorem, ecclesiæ commodum, patriæ salutem, orbis litterati decus & ornamentum quam diutissime augere & amplificare valeant, annos nestoreos, vitam tranquillam, sanam in corpore sano mentem, valetudinem prosperam prosperosque bonarum rerum successus voveo, a Deo immortali, unico veræ sapientiæ fonte, precor & adprecor. Hæc est votorum meorum summa.

29) Horum omnium agmen claudit Vir p. m. *Conradus Ludovicus Brünings*, Crucenacensis, supra (f) laudati *Christiani Brünings* filius (g). Hic prima studiorum fundamina Meisen-

---

(e) Vid. Oppenheimium nostrum §. XL. p. 178.

(f) In hoc §. num. 25. pag. 452. seqq.

(g) Ibidem pag. 457.

Meisenhemii Bipontini posuit. Postmodum d. XII. April. an. 1741. tamquam adolescens tredecim annorum, quartæ curiæ Gymnasii Heidelbergensis fuit adscriptus, tandem, curriculo gymnastico feliciter & utiliter emenso, anno seculi nostri quadragesimo quarto in actu publico autumnali, sub moderamine Rectoris *Ioann. Danielis Andreæ*, sollemniter ad lectiones promotus academicas, atque statim civibus academiæ Heidelbergensis adnumeratus (h). In studiis academicis, sub ductu Patris optimi & celeb. Virorum *Ioan. Henrici Hottingeri & Philippi Ludovici Pastoir*, tales omnino fecit progressus, ut omnibus cumulatim satisfecerit. Heidelbergensibus valedicens Musis, Bremenses, exteris etiam maxime faventes, salutavit; atque iis omine litavit faustissimo. Patriam repetens, prævio examine, in numerum Candidatorum Theologiæ summa cum laude d. X. Maii an. seculi quinquagesimo primo recipitur. Post quadriennium nondum completum, nimirum d. XXII. Febr. anno quinquagesimo quinto Ecclesiastes in fano S. Lamprechti prope Neostadium ad Hartam ab amplissimo Heidelbergensis academiæ Senatu rite nuncupatur; utpote cui ibidem in eodem munere successit ven. *Christianus Burckhardus Brünings*, Crucenacensis, b. *Ioannis Melchioris Brünings* (i) filius. Nam Noster d. III. Martii anno sexagesimo secundo Pastor ecclesiæ Francothaliensis fuit electus. Deinde d. XXII. Ianuarii anno sexagesimo sexto Senatoris ecclesiastici Palatini titulo condecoratur; sed haud diu post, nempe d. XVI. Iulii eiusdem anni, in eodem concilio ecclesiastico omnia iura & privilegia Consiliarii ordinarii nanciscitur. Tandem d. XXV. Sept. anno septuagesimo primo munus Pastoris Heidelbergensis in templo D. Petri, modo laudato rev. *Ioan. Iacobo Wundio* pie defun-

(h) Hæcce sumsimus ex Albo Gymnasii nostri.

(i) De quo vid. supra §. XXX. d. 162. atque infra §. XLIX.

defuncto, fuit oblatum (k). Vtroque officio semper sic functus est, ut alacritatem animi, fidem, dexteritatem, iustitiam, & christianam veritatem veris virtutibus conglutinatam, numquam non exhibuerit, nec non in proponendis sermonibus sacris mirandam dicendi suadam commonstraverit. Noster, diuturno conflictatus morbo, tandem anno seculi octogesimo primo d. III. Iulii intra sextam & septimam matutinam ex hac vita decessit, d. V. eiusdem in coemeterio Petrino terræ mandatus.

Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam patriæ suæ.

Antequam vero ulterius pedem promoveamus, hic supplementi loco quosdam præfecturæ civitatisque præfectos, quorum nonnullos iam supra (l) commemoravimus, sumus subiuncturi, videlicet:

1) *Ludovicum* ab *Ortenberg*, I. V. L. & prætorem Crucenacensem, qui filio suo, an. 1578. Heidelbergæ denato, in choro ædis D. Petro sacræ sequens posuit monumentum:

IN RECORDATIONEM DVLCISS. FILII WOLFGANGI LVDOVICI AB ORTENBERG PIE HEIDELBERGAE IN CASTRIS MVSARVM XII. IANVAR. AN. 78. AETAT. VERO SVAE 21. DEFVNCTI HOC MONVMENTVM

CLA-

(k) Conf. die aeusserl. Kirchenverfassung der Reformirten in Kurpfalz, pag. 3.

(l) Nempe §. VIII. p. 20. seq. §. XXV. p. 128. seqq. & §. XLIV. p. 211. seqq.

CLARISS. V. DOMINVS LVDOVICVS AB ORTENBERG SENIOR. I. V. LICENTIATVS ET PRAETOR CRVCENACENSIS DIGNISS. PIETATIS ERGO POSVIT.

ICH LEB ODER STERB SO SEIN ICH DESS HERRN.
Rom. 14. (m).

2) *Wilhelmum*, S. R. I. Liberum Baronem, & Dynaſtam in *Winneberg* ac *Beyelſtein*, ex antiquiſſima gente oriundum, anno ſuperioris ſeculi decimo tertio, graviſſimo Archiſatrapæ Crucenacenſis munere functum (n).

3) *Albertum Reichardum* de *Obentraut*, iam anno dicti ſeculi ſeptuageſimo ſecundo ſupremum Archiſatrapiæ Crucenacenſis Præfectum, multis iisque prorſus eximiis ætate ſua meritis celebratiſſimum (o).

4) *Franciſcum Danielem Heyles*, (alias *Heilaſſ* & *Heiles*) qui iam anno ſeculi memorati ſeptuageſimo primo & ſeqq. ampliſſimum Dapiferi Crucenacenſis officium ſumma cum laude obiit (p).

5) *Iſaa-*

(m) Vid. *Melch. Adami* in apographo monumentorum Heidelberg. p. 37.

(n) Conf. Beſchreibung der Reiſſ, Empfahung des ritterl. Ordens, Vollbringung des Heyraths, und glücklicher Heimführung &c. des Churfürſten FRIDERICHS *des fünften* &c. &c. (Heidelberg. 1613. 4.) P. II. p. 77.

(o) Vid. Beſchreibung der Verloebnus, Heimführ- und Vermæhlung des Durchl. Fürſten CAROLI, Pfaltzgr. bey Rh. und Chur-Printzens &c. &c. (Heidelb. 1672. fol.) p. 64.

(p) Ibidem, & ſupra.



5) *Isaacum Krayum*, egregium Iurisconſultum, Crucenaci viventem, ſupremum omnium, quæ inter Sereniſſimos Principes Electorem Palatinum & Marchionem Badenſem erant communia, Prætorem Crucenacenſem (q).

6) Tandem *Henricum Burckhardum* de *Dalwick*, qui iam an. 1660. Palatinus Archiſatrapa Crucenacenſis fuit (r).

§. XLVIII. Iam ſuperſunt litterati Crucenacenſes, vitam adhuc, quæ Dei T. O. M. gratia eſt, viventes, & utrique Reipublicæ ſumma cum dexteritate atque utilitate feliciter inſervientes; quorum autem biographiam delineare & contexere, nec ſcopus noſter nec propoſitum eſt. Arduo enim iſti negotio iam me prorſus imparem profiteor. Proinde ipſorum veneranda maxime & ampliſſima nomina, quibus ab aliis diſcernuntur, atque graviſſima munera, quæ ſummo cum adplauſu etiamnum tuentur, quibusque orbi eccleſiaſtico, politico & litterato pereximie profuerunt, & nunc exoptatiſſime proſunt, ſum tantummodo hac occaſione, quam breviter fieri poterit, ſignificaturus. De nonnullis pro ſcopo noſtro ſupra egimus. Adeoque dumtaxat ſubſequentes, quos honoris gratia ſemper nominabo, enumerantur, videlicet:

1) Vir perilluſtris, generoſiſſimus & ampliſſimo nomine inſignis *Ioannes Henricus* L. B. de *Carmer*, Crucenaco-Palatinus, quem, etiamſi abſentem, patria noſtra maxime meritoque veneratur, immo promerita ipſius ſuſpicit, miratur, demiratur, ſummis extollit laudibus. Vir ille revera magnus, fundaminibus ſtudiorum in Lyceo patrio rite & feliciter locatis, ſub præſidio Rectoris *Io. Melch. Brünings* an. 1738. ſollemniter ad altiores promotus lectiones, Giſſam Haſſorum, cele-

(q) In eadem deſcriptione pag. cit.

(r) Kirchenraths Protocoll de dicto anno.

celeberrimum ſane ac florentiſſimum Muſarum emporium, abiit, ibique ſedulam litteris humanioribus & philoſophicis, potiſſimum autem iuri publico, ad quod præſertim animus eius inclinabat, operam navavit. In patriam vero redux propter iniurias temporum, quibus merita ipſius præmiis tunc minime adficiebantur, ne Secretarii quidem officium, vel in Senatu eccleſiaſtico vel in curia matrimoniali, obtinere potuit. Fatis igitur ipſi in patria ſic obſtantibus, facillime commotus, peregrinas tandem Muſas ſollicitare coepit, atque in regiones Boruſſicas auſpicatiſſime conceſſit, ibique propter eximia merita, quibus ſemper mirum in modum ſplendebat, ſucceſſu temporis ad ſummos dignitatum honorumque gradus adſcendit, in ordinem Nobilium receptus. Anno ſeculi quinquageſimo ſeptimo, Wratislavia ab Auſtriacis occupata, tantum integritatis, fidei dexteritatisque exemplum præbuit, quantum antea nullus. Quapropter gratia optimi Regis, qui magnis officiis maxima pretia clementiſſime rependit, iudicatus fuit longe digniſſimus. Nam ante triennium, & quod excurrit, propter ſingularem eruditionem, fidem, iuſtitiam atque animi candorem ad dignitatem graviſſimumque munus *Magni Cancellarii* a Potentiſſimo Clementiſſimoque Boruſſorum Rege FRIDERICO II. *Magno* evehebatur. Mirandum omnino eſt, optimos Palatinos, in patria ex meritis non promotos, in peregrinis regionibus, nominatim in Boruſſicis, ad ſummos honorum gradus adſcendiſſe. Cancellarius noſter omnibus in rebus ſe publico uſui adcommodans, veluti iuſtitiæ oculus, piam ſanctamque numquam non coluit iuſtitiam, & quæ in iure vel neglecta, vel obiter tractata, reſtituit atque accuratius inquiſivit. Hinc in ephemeridibus litterariis (s) legimus: *Von daher* (Berlin) *hat Recenſent erhalten* Corpus iuris Fridericianum erſtes

 Buch

(s) Nimirum in den Ienaiſchen Gelehrt. Zeitungen. VI. St. d. 19. Ian. 1781. p. 43. ſeq.



Buch von der Prozeſſ-Ordnung. Im Verlag der Koeniglichen Akademie der Wiſſenſchaften. 1781. 19. B. gr. 8. *Seit den Iahren 1746. hat Preuſſens Koenig im Iuſtizweſen eben das zu erreichen geſucht, was er wirklich in Staats- und Kriegsſachen durchgeſezt hat. Freilich aber lieſſen ſich die practiſchen Rechtshandlungen, Richter und Advokaten, nicht ſo wie Taktik, Officiers und Soldat behandeln.* Coccei *gab gute Geſeze; aber er war, ſeiner groſſen Gelartheit ungeachtet, noch nicht auf den Grund der Prozeſſübel gekommen.* Iariges *machte einige Beifugen, aber dieſe konten das Syſtem noch nicht vollſtændig und allgemein paſſend machen. Der folgende Groſſcanzler ahmte dem Vorgænger nach, aber beide konten vor der Hand nichts anders thun, als nach den Vmſtænden die Anwendung einſchraenken, oder erweitern. Die wagten daher allerlei Befehle, die verſchiedenen Erfolg hatten; bis der groſſe* Carmer, *ſchon længſt als Wohlthæter Schleſiens bekannt, nun an* Friederichs *Hof berufen ward, und durch die Cabinets-Ordre, Potsdam den 14. Aprill 1780. den Auftrag zur endlichen Verbeſſerung des Iuſtizweſen erhielt. Genie, Wiſſenſchaft, Erfahrung, Liebe des Menſchen und der Gerechtigkeit, Lectüre einiger neuern unterſcheidend guten Schriften, und andere ſchoene Eigenſchaften begleiteten dieſen Groſſcanzler, welcher nun ein ganz neues Geſezbuch für das Iuſtizweſen verfertigte, die Quellen der Gerichtskrankheiten entdeckte, die Anſtalten aus dem rechten Geſichtspunkt betrachtete; und nun erſcheint hier der erſte Theil im Druck, damit Vntertan und Auslaender die gegenwaertige Verfaſſung des Preuſiſchen Iuſtizweſens erſehen koennen. Voran die Koenigliche Cabinetsordre, hierauf ein Vorbericht ein und ein halb Bogen ſtark, alsdenn das Geſezbuch ſelbſt. Es wird dieſes 4. Theile enthalten; in dem* erſten *Band wird der ganze Prozeſſ entwickelt; in dem* zweiten *ſoll von dem ſummariſchen Verfahren in geſchwinden Faellen gehandelt werden;* der dritte *giebt den Obergerichten die noethigen Vorſchriften, und in dem* vierten *werden die Geſezze vorkommen,*



kommen, welche auf die Prozeſſordnung zunaechſt und unmittelbar Beziehung haben. Bis iezt iſt nur der erſte Theil (t) *erſchienen, welcher in 24. Tituln den ganzen Prozeſſ kurz, beſtimmt und pünktlich dargelegt. Wir haben ſo viele Commentarien über die Geſezze, welche ſchon vor 12. und 6. Iahrhunderten das Wohlſein der Bürger befoerdern ſolten; wenn wir doch nun auch gute Commentarien über die Geſezzbücher haetten, welche den heutigen Vntertan beherrſchen. Nur keine Gloſſen oder Verdrehungen eines Scholaſtikers oder gelehrten Chikaneurs.* Egregium exemplum eorum, qui iuſtitiæ, ut inveteratum deſpotismum eo melius, ratione ſervitutis ruſticorum, defendere queant, vehementem in modum repugnare conantur, ſiſtunt nobis litteræ, ex Sileſia d. 30. Nov. ſuperioris anni datæ, & quidem hiſce verbis: *Ein Schreiben aus Memel, wovon in ein berühmtes Iournal das Fragment eingerückt iſt, klagt ſehr über Bauernſklaverei. Selbſt in mehr cultivirten Laendern, heiſſt es, als Polen und Liefland ſind, thut es ſehr Noth, dieſen Gegenſtand zu berühren. Vnſer edler Groskanzler* Carmer *verlangt, der Adel ſoll ſeine Patrimonial-Iuſtiz nach feſten Grundſaezen verwalten, Gerichtstage halten laſſen, für die Erhaltung des kleinen Eigenthums der unmündigen Vnterthanen, nach Regeln der Pupillenordnung ſorgen, Verbrecher nicht aus einem Dorfe ins andere iagen, um Criminalkoſten zu erſparen, Hypothekenbücher über eigenthümliche Grundſtücke freier Vnterthanen anlegen, kurz Gerechtigkeit pflegen. Da ſollten Sie ſehen, was ihm für Widerſprüche gemacht werden! Selbſt Mænner in vorzüglichen Aemtern ſind im Stande zu ſagen, das ſei Eingriff in ihr heiligſtes Vorrecht (Kraenkung ihres veriæhrten Deſpotiſmus.)* (u). Quod reli-

 quum

(t) Alia, huc pertinentia, deinceps ſequebantur.

(u) Hæc depromta aus der Mannheimer Zeitung Num. CXLVIII. d. 10. Dec. 1783. p. 614. ſeq.

quum eſt, pereximium huncce Virum ſolidarum ſcientiarum liberaliumque artium Statorem, inſignem litteratorum quorumvis hominum Mæcenatem, compendioſam plurimarum virtutum veluti epitomen, ſacratioribus Boruſſiæ Regis conſiliis & maximi momenti negotiis ſine interſtitio, atque ulla vel minimi frigoris ſuſpicione admiſſum, Virum, inquam, experientia, gravitate, pudore, ſapientia, pietate, divina animi moderatione, tum reliquis animi corporisque dotibus cumulatiſſimum; tandem eum, quem veteres Romani, omnes ſolidæ laudis numeros abſoluturi, *Bonum* nominabant (v), merito iureque prædicamus. Ceterum prorſus ſum indignus, qui ſummi illius Viri, cui neſtoreos adprecamur annos, biographiam contexam. Hæc igitur indicaviſſe nunc ſufficiat!

2) *Carolus Theodorus* de *Stahl*, Mannhemienſis, nunc ampliſſimum graviſſimumque Dapiferatus archiſatrapiæ Crucenacenſis munus egregie adminiſtrans, & celſiſſimi Regiminis Palatini Conſiliarius (w). Is ideo in orbe litterato haud incelebris eſt, quod pereximiam elimatiſſimamque diſſertationem inaug. iuris publici de *pacto reſervativo*, *ſucceſſionem feudalem inter lineas diviſas non fundante*, præſide V. C. *Georg. Ioſepho Wedekind*, Icto, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Palatini Conſiliario Regiminis, Iuris naturæ & gentium Profeſſore P. O. Facultatis iuridicæ h. t. Decano, Academiæ ſcientiarum Theodoro-Palatinæ ſocio, pro ſummis in utroque iure honoribus & privilegiis rite conſequendis eruditorum

---

(v) Eadem propemodum verba, quæ cel. *Io. Hildebr. Withoſius* de laude *Marq. Ludovici* S. R. I. Lib. Baronis *a Prinzen* in orat. fun. p. 30. adhibuit, mea facere non dubitavi.

(w) Vid. ſupra §. IX. p. 28.

rum examini ſubmiſit (x). Hanc diſſertationem ſacram fecit Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi ac Domino CAROLO-THEODORO, Comiti Palatino ad Rhenum & Electori &c. &c. &c. Inter alia in litteris dedicatoriis, quas vocant, hæc ſunt commemoratu non indigna: *Qui enim ſine iniuria* TIBI *me: ſtudiique hunc mei fructum ſacrum non velim* PATER PATRIAE AMANTISSIME! *Qui tot tantisque Parentem meum gratiis a primo Imperii* TVI *glorioſiſſimi ingreſſu accumulare dignatus es: Qui* TVIS *in obſequiis confirmatum cum ad exoſculandas ſacerrimas Manus* TVAS *admitteres, illi, aut mihi potius ſub feliciſſimum tunc Regiminis* TVI *ortum nato gratiæ ſingularis prærogativam conceſſiſti, ut primum omnium* ELECTOR SERENISSIMVS *me velles, qui Nomine* TVO *glorioſiſſimo inſigniretur, quo iam inde perpetuum Clementiæ* TVAE *Electoralis ſigillum impreſſum gererem, nunquam immemor, me integrum meaque omnia* TIBI PATRIAE PARENTI OPTIMO *eſſe conſecranda.*

3) *Ioannes Wilhelmus Niſter*, Crucenacenſis, in Gymnaſio patrio ſub moderamine Rectoris *Ioan. Melchioris Brünings* ad academicas lectiones rite promotus, Heidelbergam abiit, ibique ſtudia philoſophica, philologica & theologica continuavit atque feliciter abſolvit. Priusquam Muſis valediceret Heidelbergenſibus, pro ſtudiorum coronide diſſert. theol. philol. primam de *Chriſto triumphante* ad illuſtranda loca Col. II. 15. & 2 Cor. II. 14. præſide *Chriſtiano Brünings*, Eruditorum examini ſubmiſit d. XX. Mart. an. 1742. Qua occaſione cel. Præſes ad ornatiſſimum & doctiſſimum Defendentem ſequens ſcripſit προσφώνημα:

NISTE-

(x) Heidelbergæ in aula academica novi Wilhelmiani d. 29. Aug. MDCCLXIV.

NISTERE, innumeris res anteferenda triumphis
Eſt animi adfectus vincere poſſe ſuos:
Vincere tentantem Satanam, mundique maligni
Vincere delicias, vincere poſſe minas:
Arcana ingenio multis invicta domare,
Celſaque non feſſo tendere ad aſtra pede.
Hæc agis; hæc urge, Chriſti defende triumphum,
Teque triumphalis laurea certa manet.

Hisce aliisque ſtudiorum morumque integritatis ornatus ſyſtaticis, ad theologicum admittitur examen, atque ab ampliſſimo Senatu eccleſiaſtico Palatino d. XXVII. Sept. an. 1742. in numerum Candidatorum magna cum laude recipitur. D. VIII. April. anno quadrageſimo octavo Paſtor Hochhemienſis prope Wormatiam deſignatur. Tandem XXIII. Iunii an. ſexageſimo ſecundo ab eccleſia Mannhemienſi ad Paſtoris Teutonici munus obeundum unanimi eligitur conſenſu (y). Binas, Germanice conſcriptas, edidit conciones.

4) *Godofridus Chriſtianus Brünings*, b. *Chriſtiani* filius, pariter Crucenacenſis (z). Prævio examine theologico, in quo pereximia eruditionis ſpecimina edidit, ſummo ſuo iure meritoque d. XIII. Nov. an. 1749. numero Candidatorum adſcribitur. Circa finem ſequentis anni Concionator aulicus, membrum Conſiſtorii nec non Eccleſiaſtes coetus Germanici, qui Homburgi Haſſiaci, vulgo *vor der Hoehe* cognominati, rite nuncupatur. Quibus muneribus viginti quinque annos non ſine uſu publico præfuit. Deinceps, nimirum d. XVI. Ian. anno ſeculi ſeptuageſimo quinto, Heidelbergam, ut munere Paſtoris in templo Spiritui ſancto conſecrato fungeretur, fuit

(y) Conf. cit. Kirchenverfaſſung. p. 82.

(z) Supra §. XLVII. num. 25. p. 457.



fuit evocatus (a). Tandem ipsi ephoria ecclesiarum præfecturæ Boxbergensis & officium Pastoris in pago *Schweigern* prope ipsum oppidum *Boxbergam* demandatur. Vale Heidelbergensibus suis dixit d. VI. April. an. 1783. Qua occasione, præmisso textu ex Ps. LXXX. ℣. 15. 16. typis evulgavit *Rede, durch welche er von der Reformirten Gemeine zum heil. Geist zu Heidelberg am 6 April* 1783. *Abschied nahme.* Heidelberg. in 8. Rationem vero, cur huncce sermonem typis evulgaverit, sistit præfatio, quam hic repetimus: *Ich bin mir es sehr wohl bewusst, diese Rede sey nicht von der Beschaffenheit, dass sie um ihrer Selbstwillen, verdiene, gedrukt und ausgebreitet zu werden. Von meiner, obwohl nur geringen, Fæhigkeit, mir Wohlgefallen zu verdienen, und Nutzen zu stiften, habe bey dieser Gelegenheit keinen Gebrauch machen dürfen, weil die Vmstænde mich eingeschraènket, und die Gemüthslage, in welcher ich war, Gedanken und Sprache gehemmet haben.*

Diesz wird ieder verstændige und gerechte Leser gewiss urtheilen, dass ich diese Rede nicht in dem Geiste des Vnwillens, der Feindseligkeit und der Rachsucht geschrieben, noch auch mir aus solchen Antrieben vorgenommen habe, sie drucken zu lassen. Denn iene Leidenschaften haben nicht nur in diesem Falle keinen Antheil an meinem Herzen gehabt, sondern sind mir zu verhasst, als dass ich ihr iemals fæhig wære.

Nur die oeffentliche Blaetter, welche das Publikum auf die Verænderung, welche ich treffe, aufmerksam gemacht, Ihm den falschen Bericht, dass ich sey versetzet worden, ertheilet, und mir dadurch an der Zufriedenheit geschadet haben, welche ein guter Nam verleihet, haben mich in die Nothwendigkeit gesetzt, demselben zu sagen, aus welchen Vrsachen ich mir die Inspek-

(a) Cit. Kirchenverf. p. 69. seq.



Inspektion und Pfarrey Schweigern ausgebeten habe, und mit welchen Gesinnungen ich von hier weggehe.

5) *Daniel Ludovicus Wund*, Crucenacensis (b), b. *Ioannis Iacobi* filius (c), nunc Pastor primarius ecclesiæ Crucenacensis & vicinarum Ephorus (d).

6) *Carolus Casimirus Wund*, Crucenaci natus, prioris frater (e). Nunc apud nos aliosque propter solidam eruditionem nominisque celebritatem optime floret (f). Varia scripta eademque elimatissima cum orbe litterato communicavit, v. gr. (1) Diss. de iure officii in primis titulo oneroso collati. Ien. 1765. 4. (2) Diss. de Belgis seculo XII. in Germaniam advenis variisque institutis atque iuribus ex eorum adventu ortis. Gotting. 1770. 4. (3) Progr. de vera advocatiarum ecclesiasticarum origine ac indole. Heidelb. 1773. fol. (g). (4) De bibliotheca Heidelbergensi. (5) De *Marsilio* ab *Inghen*, primo academiæ Heidelb. Rectore magnifico. (6) Alia, quibus historia Ordinis iuridici & philosophici ex actis acad. Heidelb. egregie illustratur (h).

7) *Fridericus Petrus Wund*, Crucenacensis, priorum frater (i), nunc Pastor primarius & ecclesiarum Lutrensium Inspector (k).

8) Tan-

(b) Supra §. XLVIII. circa finem.

(c) Ibidem num. 28. p. 468. seq.

(d) Kirchenverf. p. 92. seq.

(e) Supra cit. §. XLVIII. ad finem.

(f) Kirchenverf. p. 3.

(g) Vid. celeb. *Io. Georg. Meusel* in dem gelehrt. Teutschland, erster Nachtr. p. 317.

(h) Quæ pleraque etiam suo loco recenset laudatus *Meusel*.

(i) Superius cit. §. XLVIII. circa finem.

(k) Kirchenverf. p. 93.

8) Tandem *Fridericus Müllerus*, qui natalem quoque urbem agnoſcit Crucenacum, ubi an. 1750. ad lumina vitæ ſurrexit. Hic haud incelebris pictor aliquamdiu artem ſuam Mannhemii feliciter exercuit; poſtmodum autem Romam commigravit, atque ibidem apud R. R. P. P. Benedictinos degens, religionem Evangelico-Lutheranam cum Romano-Catholica commutavit. Vrbem ſuam patriam breviter, non quidem hiſtorice, ſed eleganter tamen ac poëtice deſcripſit (l). Edidit quoque præter alia *Dramatiſche Geſchichte des Doct. Fauſts* (m).

§. XLIX. Antequam ulterius progrediar, nonnullos eruditos, ad §. XLVI. pertinentes, mihi tunc ignotos, ſubiungere placet. Sunt autem ſubſequentes:

1) *Achates Cornarius*, *Iani Cornarii*, Medicinæ Prof. Ienenſis (n), filius, Cygneæ (Zwickau) natus, an. 1554. Wittenbergæ utramque artium liberalium & philoſophiæ lauream nactus, poſtea an. 1558. in alma Ienenſi ſummos in Medicina honores conſecutus eſt. Optimis deinceps ſtudiorum vitæque teſtimoniis inſtructus, Crucenacum noſtrum, fatis ita iubentibus, acceſſit, ibidem munere Phyſici oppidani dexterrime functus. Latinam Platonis verſionem, a patre inchoatam, ſed nondum conſummatam, ad finem feliciter perduxit, eamdemque cum præfamine ſuo in dias luminis auras emiſit (o). In bibliotheca publica Baſileënſi (p) exſtant

(l) Vid. VI. Theil der Schreibtafel, gedruckt zu Mannheim.

(m) Sic jam monui in vita *Fauſti*.

(n) Conf. V. C. *Ioecherus* l. d. P. I. p. 2101.

(o) Apud eumdem *Ioecherum* l. d. P. I. pag. cit. ex *Felleri* cygni quaſimodogeniti &c.

(p) Sic me humaniſſime monuit ſupra laudatus celeb. *Herzogius*, D. & Prof. Baſileënſis.

Platonis opera Latinum in ſermonem converſa, Baſil. 1561. fol. ex editione *Iani Cornarii*; quibus additæ ſunt ejusdem *Iani Cornarii* eclogæ decem. Præfatio *Achatis Cornarii* inſcripta eſt Magiſtratui Francofurtenſi ad Moenum; in qua vero nihil prorſus, quod ad *Ian. Cornarium* præciſe nominatimque attinet, reperitur, exceptis hisce verbis: *Præ cæteris* (*Vobis*) *eum* (Platonem Iani Cornarii) *deberi iudicavi, tum quod ipſe urbis veſtræ alumnus fuerim, tum quod parens meus liberali ſtipendio iſthuc vocatus, medicam artem non paucis annis in ea exercuerit: ubi ſingulari amore a cunctis Optimatibus fuit amplexus, adeo ut etiam in* PATRICIORVM *ordinem* (*quod paucis contingit*) *fuerit adſcitus.*

2) *Otto Franciſcus* ab *Ehingen*, Crucenacenſis, propter egregia in ſcientiis, potiſſimum iuridicis, merita, ordini Iurisconſultorum adſcriptus, tandem creatus fuit Conſilii aulici, quod tunc Moguntiæ floruit, Adſeſſor. Ibidem vero tempore autumnali anno ſuperioris ſeculi ſeptimo peſte abreptus interiit (q).

3) *Lubertus Eſthius*, Argentoratenſis, Med. D. poſtea aliquamdiu Practicus Crucenacenſis, tandem Profeſſor P. O. Heidelbergenſis deſignatur. Fatis conceſſit Heidelbergæ d. XX. April. an. 1606. ætatis ſuæ triceſimo ſeptimo. Concinnavit tractationem formularum & varias diſputationes (r); in quibus notæ mihi ſunt ſubſequentes: (1) *Lub. Eſthii*, M. D. Botanici, Anatomici & Phyſiologices Prof. theſes philoſophicæ medicæ variæ, defendente *Simone Petiſco*, Deſſavienſi-Anhaldino, pro licentia gradum Doctoræ, ut vocant, in

(q) Quæ legimus in hiſt. univ. litter. Mogunt. quam edidit *Henricus Knodius*, p. 88.

(r) Legatur *Henning. Witte* in diario biographico ſcriptorum ſec. XVII. (Gedani 1688. in 4.) T. I. ad an. 1606.



in arte medica petendi, eiusque privilegiis consequendis. IX. Calend. Iuliis Iuliani hora septima matutina. Heidelb. typis *Lancelloti*. 1599. in 4. (2) *L. Esthii*, M. D. & Prof. ord. tractatio anatomica de generatione & partibus Microcosmi, defendente *Nicolao Matthiade*, *Bachendorphio* (s),

 A. D.

(s) Alias scribitur *Bachendorpius*, a patre *Matthia*, ecclesiæ Bachendorpiensis ministro, ex gentis illius consuetudine *Matthiades* cognominatus. *Nicolaus* natus fuit an. 1573. mense Iunio, circiter *Ioannis Baptistæ*, in regni Daniæ insula *Selandia*, dioeceseos Leonum (Loewherrot), pago non ignobili *Bachendorp*; unde postmodum in scholis & academiis agnomen *Bachendorpii* obtinuit. Hic fundamentis studiorum, quibus puerilis ætas ad humanitatem formari solet, tum in Slaglosiana, tum in regia Sorensi schola, iactis, an. 1591. adolescens duodeviginti annorum in academiam Daniæ Hafniensem profectus est: ibidemque biennio suis impendiis consumto, quod facta spe immunis mensæ regiæ sese prorsus frustratum videret, in academiis externis, quam in patria, patrimonium consumere maluit. Proinde an. 1593. Wittebergam se recepit, ibidemque philosophiæ supra biennium aliquanto diligentius operatus, an. 1596. visendarum celebriorum Germaniæ regionum urbiumque cupiditate stimulatus, Bohemiam, Bavariam, Sueviam, Franciam peragravit: dumque patriam repetere parat, Ienæ ad Salam semestre substitit, & D. *Phil. Iac. Schroeteri*, Med. Professoris, hospitio & familiaritate per totam hiemem usus, animum tandem studio medico adiecit. Verum autem in patriam anni sequentis initio reversus, quum a Mæcenatibus suis sese contra spem sæpius factam destitutum intelligeret, rursum in exteras abiit regiones, atque cum generoso suo discipulo *Tacone Schott*, *Ottonis* Domini in *Erichsholm* filio, Heidelbergam primum, studiorum gratia, excurrente anno nonagesimo feliciter advenit, honestaque optimorum virorum amicitia contracta, atque die XVI. April. an. 1601. Heidelberga relicta, cum discipulo,

Alsatia,



A. D. VIII. menſ. Sept. Heidelb. typis *Ioan. Lancelloti.* 1600. in 4. (3) Diſp. medica de humoribus, quam ſub præſidio cl. & experientiſſ. viri *Lub. Eſthii*, Doctoris Medici, Prof. ord. & p. t. Rect. Magn. publice ad diſputandum in auditorio Medicorum propoſuit *Caſp. Peucerus*, Budiſſinus Luſatius, d. VI. Maii,

---

Alſatia, Helvetia, Gallia, Flandria, Brabantia, Anglia & Belgio, earumque regionum præcipui nominis arcibus, urbibus & academiis luſtratis, in Holſatiam contendit: ubi, relicto apud ſuos diſcipulo, in Daniam regreſſus, matre, propinquis, amicis conſalutatis, bonaque fide rationibus peregrinationis redditis, Heidelbergam, pulcherrimum honoris ſui theatrum, deſtinatum fortunarum ſuarum domicilium, d. VIII. Maii an. 1603. ſidere repetit feliciſſimo; utpote quæ d. VII. Sextilis, ſupremos eidem Artis medicæ titulos, quam Docturam adpellamus, ſollemni ritu academico, haud gravatim impertitur. Poſtmodum ordinaria Profeſſione, deceſſu ordinarii Doctoris *Ioan. Iodoci Lucii*, aliquantiſper intermiſſa, ſua ſponte *Hippocratis* aphoriſmorum interpretationi, d. IX. Aug. an. 1613. ſeſe perliberaliter extra ordinem accinxit. Annis ferme tribus interiectis, cum *Wolfg. Loſſius* ad Medicum tranſiiſſet ordinem, eiusdem in publice tradenda naturalium rerum ſcientia, d. XXV. Sept. an. 1616. ſucceſſor deſignatur. Vbi vero *Loſſius*, Prof. Botanicus & Anatomicus, humanæ mortalitati conceſſiſſet, eidem ſuccedenti *Simoni Opſopoeo*, Medicinæ Doctori, d. VIII. Maii an. 1619. conſentientibus Academiæ ſuffragiis, adprobante & confirmante Sereniſſimo Principe, FRIDERICO V. Electore Palat. S. R. I. tum Vicario, ſubrogatus, biduoque poſt ſollemni iureiurando Medicorum Ordini obligatus, præmiſſaque die XX. menſis eiusdem auſpicali diſſertatione, de *Medicinæ elegantia, latitudine & neceſſitate*, publicas fuit easque anatomicas prælectiones auſpicatus. Verum autem, quod iam diu poſt obitum modo laudati *Sim. Opſopoei*, Profeſſor Pathologicus deſideraretur; facili quoque negotio, ſuffragantibus Academiæ Patribus



Maii, hora solita. Heidelberg. typis *Voegelianis* M. D. C. I. in 4.

4) *Laurentius Scheurlius*, Vlmensis Suevus, A. L. M. & Philosophiæ Doctor. Studiis academicis rite & feliciter absolutis, primum nuncupatur Diaconus Pforzhemiensis, deinde Concionator aulicus Durlacensis. Quibus provinciis laudabiliter administratis, Pastor & Superintendens *Crucenacensis* in Comitatu Sponhemiensi, postea Concionator Badensis &

---

tribus Conscriptis, ratum non minus habente Potentissimo Bohemiæ Rege, Principe bis Electore, stationem illam pathologicam Cal. April. an. 1620. est consequutus: quam vero honestiorem spartam, interpellantibus belli funestissimi tumultibus, exornare haud diu potuit. Ceterum, quoniam non propter deplorandam modo Medentium paucitatem, sed etiam ob exploratam medendi dexteritatem ac felicitatem singulis ferme momentis a periclitante passim multitudine distraheretur: consumi sese deminuique tandem expertus est, usque adeo ut ipse conciperet ægritudinem, deque restituenda valetudine desperaret. Dumque mens illi constabat integrior, vicinum Pastorem *Petrum Weberum* accersere, ipsi suæ fidei suæque spei solidam reddere rationem: peringenuam suorum nævorum confessionem edere: publicis sese precibus ecclesiæ; primogenitum autem suum *Matthiam Laurentium* philosophico nominatim Ordini, cui semper plurimum tribuere fuit solitus, commendare: coniugi præterea, liberis atque familiæ mæstum nimis *Vale* dicere: tandemque maligni morbi violentia superatus, vergente die Martis, qui erat Ianuarii tricesimus, sub ipsis, quibus efflictim ab ecclesia Deo commendabatur, precibus vespertinis, an. 1621. Salvatori suo animam suam tradere. Epicedia cecinerunt M. *Cunrad. Schoppius*, poëta coron. Oratoriæ & Poëtices Prof. P. O. & *Iulius Guilielm. Zincgrefius*, I. V. D. Vid. cit. *Schoppius* in oratione parent. super obitu *Bachendorpii* (Heidelbergæ typis viduæ *Io. Georg. Geyderi*, 1621. 4.) p. 31. seqq.

& generalis Marchionatus Superintendens, nec non ibidem Gymnasii Inspector constituitur. Tandem s. s. Theologiæ Doctor creatur, eiusdemque Professor in academia Helmstadiensi, quin etiam Ecclesiastes & generalis Superintendens ibidem sollemniter designatur. Vitam cum morte commutavit d. XIII. Aug. anno superioris seculi decimo tertio, qui erat ætatis quinquagesimus quintus. Quod ad scripta eius attinet, emisit Imperatorum Turcicorum vitas: concionem inauguralem cathedræ ecclesiasticæ in templo D. Stephani: quosdam sermones funebres: nonnullas dissertationes theologicas (t).

5) *Valentinus Henricus Voglerus*, Helmstadii natus, Philos. & Med. Doctor, primum fuit Physicus Oppenhemiensis. Num vero idem artem medicam Crucenaci exercuerit, de eo merito dubius hæreo. Hoc tamen certissimum est, eum in academia Iulia, quœ sibi patria, Medicinæ Professorem tandem fuisse, ibique diem obiisse supremum an. 1677. ætatis quinquagesimo quinto, qui erat muneris academici vicesimus quintus. Præter alia scripta, alibi (u) recensita, publicavit *introductionem universalem in notitiam cuiuscumque generis bonorum scriptorum* (v). Huc etiam certo respectu referri potest

6) *Ioannes Winterburger*, sic a loco natali cognominatus; Winterburgi namque haud procul ab oppido Crucenaco in Comitatu Sponhemiensi natus. Non incelebris fuit apud Viennenses in Austria typographus (w).

7) Hisce

(t) Conf. *Witte* l. d. an. 1613.

(u) Apud eumdem ad an. 1677.

(v) Quæ iterum cum notis & augmento *Henr. Meibomii* prodiit Helmstadii an. 1691. 4.

(w) Prouti ex M. *Denisii* historia typographiæ Vindebonensis observavit ven. D. *Büttinghausen* in den Pfælz. hist. Nachr. aus neuern Schriften, II. Probe. p. 73.



7) Hisce omnibus merito adiungendus est *Ioannes Reichardus Zachmann*, I. V. L. cuius pater gravissimo Dapiferatus Crucenacensis munere fungebatur. Noster Serenissimo ac Potentissimo Principi & Electori Palatino IOANNI WILHELMO, a consiliis sanctioribus, atque Eiusdem ad Rempubl. Francof. ad Moenum Legatus exstitit. In omnibus suis actionibus mirandam eruditionem, iudicium acutissimum, pereximiam in rebus diiudicandis peritiam, optimamque dexteritatem commonstravit. Quocirca etiam consilium ipsius in rebus gravissimis desiderabatur. Nam ad officia quæque utiliter præstanda fuit paratissimus. Sic cum *Guilielmo Fuchsio* in actione, quam Serenissimus Princeps PHILIPPVS, Dux Aurelianensis, eiusque Sereniss. Coniux CAROLA ELISABETHA, Dux Palatino-Bavara, respectu hereditatis Palatinæ, laudatissimo nostro Electori intendebant, omnia omnino præstitit, quæ vir prudentissimus & sagacissimus præstare potuit (x). Eum autem in dignitate floruisse quam amplissima, rescripta Serenissimorum Electorum IOANNIS WILHELMI nec non CAROLI PHILIPPI comprobant sequentia (y):

I. Vnsern &c. Liebe Getreue &c. Nachdem Ihro Roemisch-Kaiserliche Maiestæt LEOPOLDVS glorwürdigsten Andenckens, Vnsern Churpfaelzischen Geheimbden Rathen *Iohann Reichard Zachmann* und dessen Descendenten in den Stand des Adels erhebt, und Ihme das Prædicat *Von* allergnædigst beigeleget; wie auch gnædigst wollen, dass Ihme *Zachmann* und seinen Descendenten sothanes Prædicat, von unsern Canzleyen gegeben werden solle;

Alsz

(x) Vid. *Finsterwald* l. c. pag. 659.

(y) Quæ in tabulario Senatus eccles. Palat. adservantur.



Alſz bleibt Euch ſolches zur Nachricht und gebührender Beobachtung hiermit gnædigſt ohnverhalten; vnd Wir — — — Düſſeldorff den 10. Sept. 1705.

Iohann Wilhelm, Churfürſt.

Vt. Stephani, Abbt zu Lepſing.

an
Churpfælziſche Regierung.

II. Nachdem Ihre Churfürſtliche Durchl. Deroſelben ohnlaengſt beſtættigten Churpfaelz. Hoffgerichts - Rathen Herrn *von Zachmann* zugleich in dem vorhien obgehabten Regierungs - Raths Prædicat und Rang, vermoeg des Ihme darüber ertheilten Patents und gnædigſten Reſcripti vom 2. dieſes, in hohen Gnaden beizubehalten veranlaſſt worden; alſz wird ſolches dem Reformirten Kirchen - Rath hiermit nachrichtlich wiſſend gemacht, Heidelberg den 22. April. 1717.

Churpfælziſche Regierung
von Hillesheim.
Mezger.

an
Reformirten Kirchenrath.

Idem eſt *Zachmannus*, cui, tamquam cognato ſuo, *Otto Reinholdus Hecht* diſſertationem ſuam inaug. *de pretio affectionis in res fungibiles non cadente* dedicavit (z). Eiusdem *Zachmanni*, Lutetiæ Pariſiorum defuncti, viduam, natione, ni fallor, Dantiſcanam, in matrimonium poſtea duxit perilluſtris L. B. *Abrahamus* de *Lüls*, Conſiliarius intimus, ampliſſ. Senatus eccleſiaſtici Palatini Director, & veredorum *publicorum Magiſter*.

Iam

(z) Conf. ſupra p. 379.



Iam sequitur nonnullorum Ecclesiæ & Gymnasii Doctorum series, quatenus eam hinc inde ex scriptis eruere & colligere mihi licuit (a). Ad eos autem potissimum referuntur subsequentes:

1) *Christophorus Stollberg*, an. 1565. Superintendens Crucenacensis (b).

2) *Valentinus Wernerus*, eodem anno d. XIII. Iunii Diaconus ibidem designatus (c).

3) *Ioannes Rulmannus*, primus Diaconus d. IV. Nov. anno 1601.

4) *Andreas Bettingerus*, Diaconus secundus d. XVIII. Nov. an. 1603.

5) *Fridericus Casimirus Sohrius*, secundus Diaconus, d. XXX. Aug. 1613.

6) *Georg. Daniel Calenfelsius*, Diaconus secundus, d. VIII. Octobr. eiusdem anni.

7) *Waltherus Gleistorffer*, d. XIX. Aug. an. 1614. secundus Diaconus.

8) *Georgius Achenbach*, Diaconus secundus, d. XV. Aug. 1617. (d).

9) *Conradus Zahn* ex Moscheln, ex pagorum pastoribus Diaconus tertius Crucenacensis d. XXIV. Nov. 1619.

(a) Vid. Extract aus dem Pfarr- und Schul-Regifter de an. 1585. seqq.

(b) Kirchen-Raths Protocoll de eodem anno.

(c) Ibidem.

(d) Supra p. 409.



10) *Ioannes Hülsmannus*, Paſtor & Inſpector, edidit quasdam diaſcepſes theologicas. Vixit adhuc an. 1620.

11) *Ioannes Achenbach*, Paſtor primarius & Ephorus eccleſiarum Crucenacenſium (e). Obiit d. XXIV. Febr. an. 1674.

12) *Godofridus Andreæ*, Inſpector (f).

13) *Henricus Horche*, adhuc an. 1685. primus Diaconus (g).

14) *Iuſtus Heidericus Dauben*, eodem tempore Diaconus ſecundus; Denatus cal. Iunii, an. 1693.

15) *Carolus Conradus Achenbach*, an. 1693. primus Diaconus (h).

16) *Gisbertus Porlock*, Inſpector (i).

17) *Wolfg. Chriſtophorus Sixtus*, primus Diaconus (k).

18) *Philippus Hieronymus Andreæ*, eccleſiarum Ephorus (l); poſt eum Inſpector deſignatus fuit modo nominatus *Sixtus*.

19) *Chriſtophorus Reinh. Wilhelmi* (m), Paſtor ſecundus. Huic in officio ſucceſſit

2) *Ioan.*

(e) Ibidem.

(f) De quo fuſius ſupra p. 340. ſeqq.

(g) De quo nonnulla ſuperius p. 423. ſeq.

(h) Supra p. 409. ſeqq.

(i) Itidem ſupra p. 379. ſeqq.

(k) Vid. ſupra §. XLVIII. num. 18. pag. 444.

(l) De quo ibid. num. 9. pag. 415. ſeqq.

(m) De quo nonnulla ſuperius p. 429. not. s.



20) *Ioan. Georgius Bering*, (n) repræsentatus atque ecclesiæ suæ sollemniter commendatus d. XXI. Iul. an. 1729.

21) In utroque munere ecclesiastico *Sixtum* excepit *Ioan. Iacobus Wund* (o).

22) *Beringium* sequutus est *Ioan. Daniel Treviranus*, Ecclesiastes secundarius nuncupatus d. XXIV. Febr. anno 1741; in qua statione ibidem ex hac vita migravit d. XIII. Mart. 1743. (p).

23) In eiusdem locum eodem anno d. X. Iunii substitutus fuit *Ioan. Henricus Nube*, Hassus, an. 1722. in numerum Candidatorum receptus Marburgi, primum Ecclesiastes & Ludimoderator in oppidulo Holzapfel Comitatus Anhaltino-Schaumburgensis, & quidem ab eodem anno vicesimo secundo, deinde Pastor secundus Lutrensis in Palatinatu d. XXV. Mart. 1735. tandem Crucenacensis (q). Superiori anno octogesimo tertio vitam cum morte commutavit. Vivit adhuc in optimo suo genero *Ioanne Dav. Schmidt*, nunc Ecclesiaste Weinhemiensi in strata montana (r).

24) *Abel Adamus Hottinger*, Inspector Crucenacensis, d. IX. Iunii an. 1750. a Celsissimo Regimine Electorali confirmatus, & d. XII. eiusdem mensis introductus. Verum autem non diu muneribus suis præfuit. Naturæ namque debita solvit post sexennium, d. XXIX. Decemb. an. 1756. (s).

(n) Rursum supra p. 448. seq.

(o) De quo fusius supra §. XLVIII. num. 28. p. 468. seqq.

(p) Conf. supra p. 447. seq.

(q) Vid. die Kirchenverf. p. 82. seq.

(r) Ibidem p. 87.

(s) De eo pluribus §. XLVIII. num. 24. p. 450. seqq.



25) *Ioann. Paulus Hooc*, Bipontinus, tandem ecclesiarum Crucenacensium Ephorus, d. IV. Ian. an. 1757. rite confirmatus. Ex terrestri ad cælestem vitam transiit d. III. Ian. an. 1770. (t).

26) Huic in utroque munere d. VII. Febr. eiusdem anni fuit succenturiatus *Carolus Philippus Bender*, antea Pastor in pago Freylaubersheim, sed Crucenaci introductus ab ampliss. & maxime ven. Dn. *Ioan. Elia Düpre*, nunc Consiliario ecclesiastico & Pastore primario Mannhemiensi.

27) *Benderum* excepit ven. *Ioan. Daniel Wund*, Crucenaci natus, ibidemque in muneribus suis confirmatus d. XXIV. Nov. an. 1773. (u).

28) *Ioan. Henricum Nube* in munere pastorali sequutus est *Georg. Fridericus Mathias*, natus in Baumholder, in ordinem sacrum receptus d. I. April. an: 1772. vices pastoris primum Odernhemii ad Glanum, postea Crucenaci gessit, ubi nunc ab anno superiori Ecclesiastæ ordinarii munere fungitur dexterrime.

Quod tandem ad Gymnasii Doctores attinet, ex iis mihi sequentes innotuerunt, nimirum:

1) *Alexander Saurius*, Ludi Director Crucenacensis an. 1582. Hic postmodum a Senatu ecclesiastico petiit, ut bona cum venia dimitteretur, quod sibi decretum fuerit & constitutum, munus scholasticum cum politico permutare (v).

2) *Casparus Ludismannus*, an. 1582. ibidem classium Præceptor (w).

3) *Cas-*

(t) Ibid. num. 27. p. 467. seq.

(u) De ipso superius §. XLVIII. num. 28. p. 478.

(v) Legatur Kirchen-Raths Protocoll d. IV. Ian. an. 1583. fol. 75. lit. b.

(w) De eodem ibid.

3) *Casparus Weigand*, secundus Præceptor d. III. Iul. an. 1600.

4) *Melchior Angerus*. Cantor & Præceptor d. III. Dec. eiusdem anni (x).

5) *Conradus Monæus*, Gymnasii Rector d. X. Nov. 1602. (y).

6) *Ioannes Sponheimer*, Cantor & tertiæ classis Præceptor d. VI. Febr. 1606.

7) *Abrahamus Kimedontius*, Rector d. XXVIII. April. 1608.

8) *Ioannes Haas*, Rector d. XIX. Octob. 1613. (z).

9) *Ioan. Fabianus Beringer*, Præceptor & Cantor eodem tempore (a).

10) *Matthæus Wittich*, quartæ classis Præceptor d. XVI. Febr. 1614.

11) *Ioannes Zaberer*, similiter Præceptor ordinis quarti d. III. Mart. 1717.

12) *Daniel Hezler*, Præceptor & Cantor d. VII. April. eiusdem anni (b).

13) *Ioann. Nicolaus Zimmermann*, Crucenacensis, Poëta laureatus, circa finem belli tricennalis fuit Rector Gymnasii Crucenacensis; deinde Cliviam abiit, ubi an. 1649. eodem munere

(x) Pfarr-und Schul-Regifter de dicto anno.

(y) De quo §. XLVI. num. 13. p. 303.

(z) Ex cit. indice dictorum annorum.

(a) Sic didici ex *Ioan. Hartungii* orat. qua nihil esse *Securitate*, — — — ad evertendum statum Reip. commodius, continetur, p. 2.; habita d. XXII. Iul. an. 1619. Heidelbergæ, ibidemque impressa typis *Dav. Albini*, in 4.

(b) Ex cit. catal. de memoratis annis.

munere fungebatur (c). Tandem in Palatinatum rediit, iuxta *Henricum Plittershagen* d. XI. Iul. 1651. ludo ltterario, qui tunc Oppenhemii floruit, tamquam Rector praefectus (d).

14) *Cornelius Borschard*, natus Duisburgi Clivorum d. X. Febr. an. 1643, Rector Crucenacensis atque Ecclesiastes Hackenhemiensis nuncupatur anno dicti seculi sexagesimo octavo (e).

15) *Fridericus Briel*, Franckenthalii hanc vitam ingressus, an. 1668. Pastor fuit Lichtenbergensis in Ducatu Bipontino, postea autem anno seculi septuagesimo secundo, qui erat aetatis ipsius tricesimus quintus, Conrector Crucenacensis designatus (f).

16) *Cornelius Burckhardi*, Rector, qui fatis concessit d. XIX. Nov. an. 1673.

17) *Ioan. Rudolphus Boellmann*, (al. *Bollmann*,) Conrector, qui animam Creatori suo reddidit Calendis Maiis an. 1686. (g).

18) *Iosua Conradus Timannus*, Conrector, obiit d. IV. Iunii 1690. (h).

19) *Christianus Fickeisen*, iam fuit an. 1685. (i) Rector; vitam cum morte commutavit anno seculi nostri primo (k).

20) *Ioan-*

(c) Kirchen-Raths Protocoll. de an. 1649.

(d) Vid. Oppenhemium Palat. illustr. §. XL. p. 180.

(e) Ex cit. Protocoll. de an. 1668.

(f) Ibid. de an. 1672.

(g) Sterbregister an. 1686. Verzeichn. der Pfarrer in Kurpfalz an. 1685.

(h) De quo supra p. 339.

(i) De eo nonnulla supra, & in cit. Verzeichn. &c.

(k) Sterbregister de dicto anno.



20) *Ioannes Daniel Humbert*, Rector (l).

21) *Ioannes Philippus Frohn*, Lycei Rector, iurisiurandi fidem præstitit d. XXIX. Martii an. 1708. (m).

22) *Ioan. Wernerus Reutelius*, Conrector, cuius officium ipsi, præstandis præstitis, demandatum fuit d. XII. Iul. an. 1719. (n).

23) *Ioan. Philippus Widder*, iam anno 1721. Ludi Oppenhemiensis Rector (o), postea Lycei Crucenacensis Moderator (p). Huius filius V. C. *Fr. Ad. Widder*, de quo sect. IV. de Erud. Pal. & Belg. atque alibi egimus, fatis concessit Groningæ d. XXVI. Febr. huiusce anni.

24) Hunc in moderamine Gymnasii excepit *Christianus Brünings*, ad munus suum iureiurando obligatus d. XVIII. Iul. an. 1725. (q).

25) *Ioan. Martinus Spieß*, iam an. 1721. quartus Præceptor Crucenacensis (r), postea classi sextæ & septimæ Gymnasii Heidelberg. præfuit, receptus d. XX. Dec. an. 1726 (s). Tandem ad munus Organici obeundum evocatus Bernam Helvetiorum, ubi quoque vita functus est.

26) *Ioan. Iacobus Piscator*, iam an. 1685. iuxta *Fickeisenium*, Rectorem, & iuxta *Boellmannum*, Conrectorem, fuit tertius

---

(l) Pluribus de ipso §. XLVII. num. 3. p. 388.

(m) Ibid. num. 23. p. 449. seq.

(n) Rursus ibid. num. 17. p. 442. seq.

(o) Naam-Register der Kerk- en Schoolbedienden in het Keurvorstendom van den Palts de an. 1721. p. 51.

(p) Plura dedi supra cit. §. num. 19. p. 445. seq.

(q) De quo fusius supra §. XLVIII. num. 25. p. 452 — 465.

(r) Vid. cit. Naam-Register &c. p. 55.

(s) Kirchen-Raths Protoc. de dicto anno.



tertius Præceptor. Nam tum tantummodo tres in Gymnasio docuerunt (t). Verum autem deinceps an. 1721. post *Frohnium*, Rectorem, *Reutelium*, Conrectorem, rursus fuit Præceptor tertius, modo dictus autem *Spiessius* quartus (u). Tandem defuncto *Reutelio* in munere Conrectoris successit, demum senio confectus rude donatus, e vita discessit d. VI. Oct. an. 1746. (v).

27) *Ioan. Henricus Karbach*, Crucenacensis, infimarum classium Præceptor, iureiurando obstrictus d. XI. Iul. 1733; deinceps ecclesiæ Stadeccensis Pastor, tandem, post varios casus rerumque discrimina, coetus Pfiffligheimiensis prope Wormatiam Ecclesiastes; in qua statione mortem oppetiit. Eumdem filius *Carolus Ludovicus Karbach*, Crucenacensis, d. XVII. Maii an. 1753. numero Candidatorum adscriptus, d. XXIV. April. 1769. excepit, nuperrime denatus (w).

28) *Ioannes Melchior Brünings*, triumvirorum, nempe *Christiani* (x), *Davidis* (y) & *Hermanni*, Pastoris quondam in oppido Belgico Hasseleto ditionis Transisalanæ, frater natu minimus, Bremæ Saxonum d. XXX. Oct. an. 1711. natus. Studiis, quibus ingenua iuventus ad humanitatem formatur, feliciter absolutis, anno seculi vicesimo octavo sub Rectore magnifico V. C. *Alberto Schumacher* ad publicas promovetur lectio-

(t) Verzeichnüs der Pfarrer, so an. 1685. in der Pfalz gewesen.

(u) Naam-Regisster l. d.

(v) Conf. mſ. Index defunctorum in tabulario eccles. Palat. de memorato anno.

(w) Aeusserl. Kirchenverfassung, p. 46. & 78.

(x) Supra p. 452. seqq.

(y) Non *Ier. Henrici*, prouti superius p. 444. scripsimus; id quod me amice monuit ipsius ex fratre nepos *Christian. Burckhardus Brünings*, de quo mox nonnulla.

lectiones. In Lyceo patrio postmodum collegiis celeberrimorum tunc Professorum *van Lom*, *Ikenii*, *Cambenii* nec non *Schumacheri* diligentissime interfuit, adeo ut Doctoribus suis cumulatim satisfecerit. Proinde, prævio examine, die VIII. Iulii anno seculi tricesimo quinto in numerum ordinis sacri Candidatorum haud citra laudem recipitur. Qualem vero se in Athenæo Bremensi gesserit, ex sequentibus litteris systaticis (z) dilucidissime patescit:

Lectori Benevolo
S. D. P.
Conradus Iken, ss. theol. D. Prof. & ad ædem S. Stephani
Pastor primarius.

Providæ Dei, quam Ecclesiæ impendit, curæ, singulare documentum est, ab omnibus, qui Zionis salute delectantur, merito grata mente agnoscendum, quod tales adhuc ex consecrata sibi iuventute prodire facit, qui necessariis instructi dotibus, utilissimam aliquando, annuente eius gratia, operam, ad Nominis divini gloriam, immortaliumque animarum salutem promovendam, pollicentur.

Ex horum numero est, qui has exhibet, reverendus & doctissimus Ioannes Melchior Brünings, *ss. Th. Candidatus.*

Dedit is per integrum septennium, ut illustris nostri Lycei civis, hic loci studiis operam, meque tam Antiquitates Iudæorum, quam quæ Ratio & Revelatio de Deo docent, explicantem, aut Theologiæ typicæ fundamenta, artisve homileticæ præcepta illustrantem, audivit: nec privatim quoque, quantum mihi quidem cognoscere licuit, officio suo defuit, bonorum librorum lectione, ulterius cognitionis doctrinæque incrementum, quærendo.

(z) Quas hic ex autographo cum lectoribus benevolis communicamus.



Imprimis in id ſemper incumbere viſus eſt, ut vita modeſta hominique Theologo digna, ſtudia ornaret, ipſoque actu oſtenderet, veritatem, quatenus ad pietatem eſt, ſibi cordi eſſe.

Sic mores componendo, uti ſe bonis gratum acceptumque reddidit, ita cum iamiam in Belgium abiturus, ad examen prius admitti cuperet, publicum profectuum ſuorum ſpecimen editurus, venerandum urbis noſtræ Miniſterium votis eius deeſſe noluit, cui &, periculo facto, prompte ad quæſtiones propoſitas reſpondendo, adeo fecit ſatis, ut communibus ſuffragiis in Candidatorum numerum ſit receptus.

Adſit illi benigniſſimum Numen porro propitium, patentemque aliquando portam aperiat, acceptas dotes in aliorum ſalutem cum fructu impendendi! Sic nullus dubito, eum utiliſſimum in manu Domini organum evaſurum, illosque, qui honeſtis eius conatibus forſan faverint ſuoque patrocinio ſuccurrerint, ipſo actu experturos, benevolentiam hanc in ipſius Eccleſiæ commodum olim redundaturam eſſe. Vale.

Dabam Bremæ,
D. II. Septembr. MDCCXXXV.

Noſter haud diu poſt, nimirum d. XXII. Aug. an. 1735. ab ampliſſimo Senatu eccleſiaſtico Palatino in locum fratris ſui optimi *Chriſtiani* ad Rectoratum Crucenacenſem nuncupatus, ad idem officium d. XX. Octobr. eiusdem anni Heidelbergæ ſollemniter obligatus, atque ipſis Calendis Novembr. ſecutis a ven. *Ioan. Iacobo Wund*, tunc temporis Inſpectore, rite introductus fuit. Iam antea d. XXX Octobr. cum caſtiſſima & probiſſima Virgine *Maria Philippina Womradia*, Viri ſpectatiſſimi *Friderici Burckhardi Womradi*, tunc Adminiſtratoris Koppenſteniani, filia natu maxima, matrimonium iniit auſpicatiſſimum. Anno quadrageſimo ſexto ipſi Paſtoris munus in pago Groſſ-Winternheim, in valle Ingelnhemienſi ſito, demandatur; ubi d. XXX. Oct. ex 2 Tim. IV. 2. aditia-

lem

lem habuit ſermonem. Quinquennio poſt Winternhemienſibus ſuis dixit vale, concione ex Act. XX. 32. propoſita. Nam anno quinquageſimo primo d. XVIII. Iunii, Boſenhemienſis prope Crucenacum eccleſiæ Paſtor deſignatur; quod munus, prævia oratione inaugurali, ex Hebr. XIII. 17. deſumta, fuit adgreſſus d. XIX. Septembris.

In qua ſtatione tandem apoplexia correptus, d. VI. Ian. 1760. piam efflavit animam; qua occaſione ſupra laudatus *Ioan. Paulus Hooc*, tunc eccleſiarum Crucenacenſium Ephorus, ex verbis Ierem. XVII. 16, 17, ab ipſo beato ſelectis, funebrem dixit orationem (a).

Dum adhuc in Lyceo Bremenſi philoſophiæ & theologiæ operam navaret, diſſertationem phyſico-mathematicam de *methodo veram tractandi Phyſicam*, præſide V. C. *Ioan. Henrico van Lom*, A. L. Mag. philoſophiæ Doctore, atque Matheſeos & Aſtronomiæ Prof. P. O. defendendam ſuſcepit Reſpondens, d. XXV. Mart. 1732. (b). Varia quoque programmata ſcholaſtica, loca quædam ex antiquitatibus illuſtrantia, publicavit, in forma patenti, quam adpellitant, ſemper typis impreſſa.

Poſt obitum ſuum ſuperſtites reliquit quatuor filios, & duas filias; ex quibus hodiedum ambæ filiæ & duo filii lumine vitæ fruuntur; quorum natu maximus eſt *Chriſtianus Burckhardus Brünings*, d. VIII. Sept. an. 1736. Crucenaci natus. An. 1752. d. XXII. Sept. ſub moderamine ven. *Phil. Henrici Paniel*, Rectoris, dignus fuit iudicatus, qui ad lectiones tranſiret academicas. Heidelbergæ ab ore virorum celeberrimorum *Linckii*, *Brüningii* & *Wundii* avidiſſime in collegiis pependit. Anno 1756. pro licentia concionandi,

(a) Quæ pleraque debemus mſc. biographiæ; conf. quoque p. 479.

(b) Hæc diſſ. Bremæ in 4. edita, continet pagg. 51.

ſed biennio poſt d. X. April. pro ſacro ordine examinatur. Ipſi an. 1762. d. XXII. Febr. munus Eccleſiaſtæ in fano S. Lamprechti fuit ab ampliſſimis Academiæ Patribus oblatum; ad quod a viris longe celeberrimis *Gattenhoffen*, tunc Recto-re Magnifico, & b. *Chr. Brünings* d. I. April ſollemniter introducebatur. Quam ſpartam etiamnum laudabiliter exornat, eamque plures annos feliciter exornet, candidiſſime precor.

D. XVIII. Maii anno ſeptuageſimo quarto a Mannhe-mienſi Reformatorum coetu, pariterque quadriennio poſt d. XX. Maii an. 1778. a Francothalienſibus invitatur, ut pro ſuggeſtu oratoriæ ſacræ ſpecimen ederet; ſed tamen, certiſ-ſimis eisdemque omnino ſufficientibus inductus rationibus, docimaſticas eiusmodi conciones humaniſſime, quæ ipſius conſuetudo eſt, declinare nullus dubitavit (c).

29) *Ioan. Sebaſtianus Lohrbacher*, Crucenacenſis, in academia Marburgenſi per duodecim annos verſatus, tandem in munere Conrectoris defunctum *Piſcatorem* excepit d. XXVIII. Nov. an. 1746; in qua ſtatione debita naturæ ſolvit an. 1779. (d).

30) *Phil. Henricus Paniel*, Crucenacenſis, primum vi-cibus Conrectoris aliquamdiu functus, cuius tunc temporis me diſcipulum fuiſſe merito gaudeo, tandem in locum Recto-ris *Ioan. Melch. Brünings*, ad cathedram eccleſiaſticam pro-moti, d. XIX. Octob. anno quadrageſimo ſexto ſuccenturia-tur. Vir hicce in ſparta ſua exornanda longe diligentiſſimus & dexterrimus tandem, viribus corporis iamdudum apprime debilitatis, d. IX. April. anno ſeptuageſimo quarto corpore fuit ſolutus acerboque merſus funere (e). Duos reliquit fi-lios,

---

(c) Quæ ex litteris, humaniſſime ad me latis, didici.

(d) Sterbregiſter de an. dicto.

(e) Ibidem de anno 1774.

lios, alterum *Ioannem Wilhelmum*, de quo ſtatim, alterum vero *Carolum Ludovicum*, Crucenaci natum, d. XX. Sept. an. 1775. in Theologiæ Candidatorum numerum rite ſuſceptum, ſed demum d. XII. Febr. anni ſubſequentis ordinatum, nunc vero Paſtorem Baccharacenſem (f).

31) *Ioan. Caſimirus Wund*, Crucenacenſis, optimorum virorum *Ioannis Iacobi & Friderici Ludovici* (g), frater, quartus Lycei Præceptor d. XXVII. Iunii anno quadrageſimo tertio ſollemniter deſignatus, *Karbachio*, ad munus eccleſiaſticum abeunti, ſucceſſit. Tandem noſter, probitate animique candore ornatus, cuique mens fallere neſcia fuit, anno ſeculi ſeptuageſimo aura ætherea veſci deſiit (h).

32) *Henricus Iacobus Ebberts*, ſimiliter Crucenacenſis, pro ſacro ordine examinatus Calendis Iul. an. 1750. patrem in officio ſcholaſtico excepit tamquam tertius Præceptor die V. dicti menſis an. 1759; poſt mortem autem *Lohrbacheri* d. VIII. Febr. anno ſeptuageſimo Conrectoris munus fuit nactus (i).

33) *Ioan. Wilhelmus Paniel*, Crucenacenſis, d. XXVIII. Martii anno ſeptuageſimo Theologiæ Candidatis, prævio examine, adſcriptus, eodem anno d. XXVI. Novemb. *Wundio* in duabus inferioribus Athenæi curiis ſucceſſit; utpote cui poſt patris obitum d. XVIII. April. an. 1774. Rectoris munus fuit demandatum (k).

34) Hunc igitur in infimis claſſibus fuit ſecutus *Fridericus Paulus Dilg*, Crucenaci progenitus, Calendis April. ad ordinem ſacrum admiſſus an. ſeptuageſimo ſecundo, ſed ad officium Præceptoris d. IX. Maii an. 1774. obſtrictus (l).

Tres

(f) Kirchenverfaſſung p. 119.

(g) De quibus ſupra pluribus p. 465. ſeqq. & p. 468. ſeqq.

(h) Sterbregiſter de dicto anno.

(i) Kirchenverfaſſung, p. 63. & 72.

(k) Ibidem p. 83. & 63.

(l) Rurſus ibid. p. 63. & 71.



Tres igitur Crucenacenses in Gymnasio Crucenacensi, prima Musarum mearum altrice, iamiam sub provida summi Numinis cura docent, nempe *Io. Wilh. Paniel*, Rector *Henr. Iac. Ebberts*, Conrector, nec non *Frid. Paulus Dilg*, Præceptor. Huic optimorum & eruditorum virorum trigæ quælibet bona, fausta & salutaria precor & adprecor, ut gravissimis ipsorum laboribus fortuna semper adspiret prosperrima.

§. L. Quæ cum ita sint, Benevoli Lectores, quos merito semper honore prosequor! tandem meo labori, quo in Archisatrapia Crucenacensi eiusque metropoli, dulcissima nostra patria, partim aliquatenus illustranda, partim vero accuratius describenda, sum per aliquod temporis spatium defunctus, coronidem imponere iuvat. Suam equidem παιδείαν, sive institutionem, pio studio in usum puerorum editam, sic finit, atque in epilogo istam sic adloquitur poëta (m):

„ Repperies aliquos, qui te lacerare studebunt,
„ Hos tamen invidia se macerare sine.
„ Doctorum si te veneranda caterva virorum
„ Suspicit, eximiæ sat tibi laudis adest.
„ Laus ea, quam nobis tribuunt doctique piique,
„ Non volat Aeoliis mox peritura Notis.
„ Nereides donec ludant, & Balthica Thetis,
„ Vel minimo nobis carmine stabit honos.

Scribit præterea Vir, ingentibus omnino præconiis haud indignus (n): *Quemadmodum a toto illo tempore, quo colligendo concin-*

(m) Nimirum *Ioan. Georg. Vibergius*, in libello, Viteberga ex officina typogr. *Viti Creutzer* vulgato. 1583. 8.

(n) Nempe *Petr. Dom. Rosius* de *Porta*, V. D. M. in eccl. Scamff. & colloquii sup. Oengadinæ Cancellarius, circa finem præfationis ad historiam Reformationis ecclesiarum Ræticarum, Tom. I. Curiæ Rætorum & Lindaviæ. MDCCLXXII. in 4. mai.

concinnandoque huic operi incumbo, (ſunt enim anni aliquot) non defuerunt quidam irriſores, — qui, dum mihi profuere nihil, a ſubſannationibus amarulentis non abſtinuerunt, me — — falſe traducentes, quaſi parturiant Montes, naſcatur tandem ridiculus Mus: ſic facile pervideo, alios nunc futuros, qui carpant, lacerent, deſiderent. Sunt quippe plerique talis indolis, *ut verbis utar Hieronymi* (o), qui in eo ſe diſertos arbitrantur ac doctos, ſi alieno operi detrahant, & non quid ipſi poſſint, ſed quid alii non poſſint, diiudicent. *Iſtis quid reponam, non habeo, niſi gratias Deo, qui mihi vires dedit ad labores tolerandos, & ſumtus ſuppeditavit, ad edendum hoc, ſuper quod habeant ut carpant.*

Invide, quæ ratio eſt, cum tu nihil edere poſſis,
Quod placeat, tantum cur aliena notas?

Ego vero hic loci de aliorum iudiciis, ſeu veris ſeu vanis, ægras effundere querelas nolo, ſuum unicuique iudicium ultro relinquens, atque illis, qui me meliora aut certiora docuerint, palmam lubentiſſime concedens. Fuit olim, eſtque huius quoque ſeculi quædam labes, aliorum virtuti & labori turpiter invidere. Verum autem invidia, vera virtute ingenuoque labore parta, non eſt invidia, ſed reapſe proxima via, quæ ad altiores virtutis gradus tutiſſime ducit, quin immo remedium optimum & præſentiſſimum, quo ad meliores magisque ingenuas actiones numquam non veluti amico calcari inſtimulamur. Quoniam autem nonnulla documenta, ad negotium meum facientia, nimium ſero ad manus pervenerunt, ordinem, alioquin procul dubio obſervatum, obſervare, prout volui, non ubique potui. Sufficit tamen, me in iſtis rebus arduis & difficillimis, licet quibusdam, rerum imperitis, exiguæ ac facillimæ videantur, in iſtis quoque, quæ haud paucis obvolutæ ſunt tenebris, a ſcopo,

(o) In prooem. in Comm. Hoſ. Lib. II. Tom. III.



quem mihi propoſui, non prorſum aberraviſſe. Sufficiet quoque, ſi huiuscemodi ſcriptis quosdam popularium meorum ad æmulationem provocavero. Inſuper eruditiſſimis & celeberrimis illis Viris, qui noſtrum laborem non modo recenſere, ſed laudibus etiam efferre, ac publico commendare ſunt dignitati (p), maximas ex candiſſimo animo gratias rependo, quod in ferendo iudicio plus ingenuæ humanitatis, quæ nævos vel benevole tegit vel amice corrigit, quam criticæ ἀκριβείας rationem habuiſſe videantur.

Quod reliquum eſt, Crucenacenſibus meis omnia bona, fauſta & ſalutaria precor, adprecor, iisque voveo, ſemper ut optatis fortuna reſpondeat proſperrima. Abſint, diu abſint ab iis fata, quibus ſæpe conflictabantur, funeſtiſſima! Abſint, longiſſime abſint acerbiſſima, quæ furor bellicus ipſis non raro intulit, detrimenta! Abſint non ſatis deplorandæ aquarum inundationes, quibus crebro, & nuperrime d. XXVII. Febr. periclitabantur! Doleo nominatim triſtiſſimam vicem familiæ *Riemianæ*, eiusque honeſtiſſimæ ac ſpectatiſſimæ, tunc maxime flebilibus adverſæ fortunæ caſibus eheu! agitatæ, nunc herum patremque familias, aquarum fluctibus ſubmerſum, lacrymis merito lugentis mæſtiſſimis, ideoque omnium, qui probiſſimam non exuere humanitatem ſueſcunt, miſericordia, ſolatio & auxilio longe digniſſimæ.

Ceterum floreant in poſterum omnes omnis Ordinis Præfecti! Floreant litterati tum politici tum eccleſiaſtici! Optimi Cives optime floreant vigeantque! DEVS T. O. M. eorum omnia clementiſſime fortunet!

Tranſeat usque dies ipſis ſine nubibus atris,
Protegat & ipſos provida cura DEI!

(p) V. gr. in der hiſtoriſchen Litteratur, quam in ſocietate quorumdam Eruditorum edit Vir longe celeberr. *Ioan. Georg. Meuſel*, (Erlang. 1783. 8. mai.) P. VIII. m. Aug. num. 6. p. 158—169.

INDEX

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM,

IN

ARCHISATRAPIAE ET OPPIDI CRUCENACENSIS DESCRIPTIONE OCCURRENTIUM.

NUMERUS INDICAT PAGINAS.

A.

Abegg (Ioan. Iac.) p. 455.
Achenbach (Carolus Conr.) Crucenacenſis; eius ſtudia, munera & ſcripta. 409. ſeqq. 500.
—— (Franciſcus) 409.
—— (Franc. Philip.) 409.
—— (Georgius) 409. 499.
—— (Ioannes) 409. 500.
—— (Ioan. Iacobus) 409.
Adami (Ioan.) Rugenwaldenſis. 282. ſeq. 286. ſeqq.
—— (Ioan. Ludolfus) Crucenacenſis. 291.
Adelbertus, Archiepiſcopus Moguntinus. 8. ſeq.
Adelbertus I. Archiep. Mog. 55.
Adelbertus, ſive Albertus, Comes Sponhemienſis. 89.
Adolphus, Comes Naſſoviæ. 11.
Adolphus, Comes Palat. Rheni. 179. ſeq.
Aepfelbach, rivus. 41.
Alamanni Romanos expellunt, & regionem, in qua Crucenacum poſtea conditum, occupant. 7.

 Alba

Digitized by Google



Alba Iulia, oppidum, Weiſſenburg, hodie Carlsburg. 342. ſeq.
Albertus Magnus. 267. ſeqq.
Alexander, Com. Palat. Rh. Bipontinus, Ludovici Nigri filius. 62. 64.
Alſentia (Nicol. de) Lector Theol. in conventu Crucen. eius ſcripta. 232.
Alſenza, amnis. 41.
Alſtedius (Ioan. Henr.) 342.
Andreæ (Erneſtus) Godofridi filius, Rector Neoſtad. 339.
—— (Erneſtus) Godofridi frater, Paſtor & Inſpector Weinhem. 344. 347. ſeq. 350. 358. 399.
—— (Godofridus) Inſpector Crucenacenſis. 340-377. Eius ſtudia & itinera. 341. ſeqq. Munera. 344. ſeqq. Groningæ moratur. 350. Alia itinera. 350. ſeqq. Nominatur eccleſiaſtes Nicrogemundanus. 361. ſeqq. Eius matrimonium. 363. Nuncupatur Inſpector Odernhemienſis. 363. ſeqq. Inſpector Crucenac. 367. ſeqq. Eius obitus. 369. Eius amici & fautores. 371. ſeqq. 500.
—— (Philip. Hieronymus) Inſp. Crucen. 159. 415. ſeqq. 500.
—— (Tobias) 340.
Andreas de Traiecto inferiori, monachus Sponhem. 230.
Angerus (Melchior) 503.
Anſelmus ſive Anſhelmus de Bickelnheim. 218. ſeq.
Villa montis S. Antonii, Germ. Antonsbergerhof. 88.
Auen, ſeu Auwen, pagus. 89.
Auguſtus, Imperator Rom. fluvium Navam iuxta opp. Bingium ponte iunxit. 35.
Aula Arauſionenſis, Germ. Oranienhof. 150.

B.

Bachendorphius (Nic. Matthiades), Medicus Heidelberg. 493. ſeqq. not. s.
Baerweiler-Hottenbach. 43.
Baldemarus, Abbas Sponhem. 219.
Balduinus, Archiepiſcopus Trevirenſis. 179.
Beckelnhemienſis diœceſis. 10. 13.



Beckelnheim (Wilhelmus de) Abbas Sponhem. 222. feqq.
Beckelnhemium, caftrum, Germ. Schloff-Beckelnheim. 90.
Beckelnhemium, villa, Germ. Thal-Beckelnheim. 92.
Wald-Beckelnheim. 92.
Becmannus (Chriftian.) Rector Amberg. 292. feqq.
Bender (Car. Philippus.) 502.
Bering (Ioan. Georgius) 448. feq. & 501.
Beringer (Ioan. Fabianus) 503.
Bernhardus, Abbas Sponhem. 106. 168. feq.
Bernhelmus, Abbas Sponhem. 72. feqq.
Bertholdus, Archiepifcopus Mogunt. 150.
Bethlem-Gabor, Princeps Tranfilvaniæ. 342.
Bethlemio-Rakociana fchola. 342.
Bettinger (Andr.) 499.
Bibliotheca Sponhemienfis. 79. feqq.
Bickelnheim (Anfelmus de) 79. 218. feq.
Bingert, alias Bingart, pagus. 89.
Bingium, urbs, & pons iuxta eam. 5. & 35. Cœnobium S. Ruperti, vulgo Rupersberg, prope Bingium. 32. feq.
Bifterfeldius (Ioan. Henricus) 342. 359.
Bockenavia, Germ. Bockenau, pagus. 90.
Boelmann, al. Bollmann, (Ioan. Rudolph.) 504.
Boos, pagus. 93.
Borfchard (Cornelius) 504.
Bofenheim, pagus, & cœnobium ibidem. 93. feq.
Bozbach, amnis. 40.
Briel (Fridericus), 504.
Brünings, (Burckardus) Crucen. Io. Melchioris filius. 509.
—— (Chriftianus) Bremenfis, S. S. Th. D. & Prof. Heidelberg. 452-465. Eius ftudia. 452. feq. Matrimonium primum. 453. Munera 453. feqq. Matrimonium fecundum. 455. Eius encomium. 457. Liberi 457. Scripta 458. feqq. Alia. 487. 505.
—— (Chrifti. Ludovicus) Crucenacenfis, Chriftiani filius, Paftor Heidelb. & Confiliarius ecclef. Palat. 478. feqq.



Brünings, (Godofridus Christi.) Crucen. Christiani filius, nunc Inspector Boxberg. 488. seqq.
—— (Ioan. Melchior) Bremensis, Christiani frater. 506. seqq.
Burckhardi, (Cornelius) 504.

C.

Calenfelsius (Georg. Daniel.) 499.
Camerarius, (Philippus). 260. 272.
Cantrifusoris, (Bertholdus) cognomine de Sobernheim, Canonicus Mogunt. 228.
Carmer (Ioan. Henricus L. B. de), Crucenacensis, nunc magnus Cancellarius Boruss. 482. seqq.
Carolus Ludovicus, Elector Palat. 12. 18. 96. 172. 365. seq.
Carolus Magnus, Imp. Rom. 110. 116. 146.
Carolus Philippus, Elector Palat. 49.
Carolus Theodorus, Elector Palat. 25. 173.
Catharinæ villa, St. Catharinen-hof. 94.
Castell (Wolffg. Theodoricus, Comes de). 212.
Castrum Crucenacense vetustissimum. 6. seq. 143.
Cauponis (Wigandus), ex ordine Prædicatorum, Trithemii adversarius. 238. seq.
Christarius, (Ioan. Frid.) Palatinus. 337. seq.
Christianus IV. Dux Bipontinus. 25.
Christophorus, Marchio Badensis. 242.
Cœnobii villa, Kloster-hof. 94.
Colson (Antonius). 159.
Comites Asperi, vulgo Raugravii; eorum præcipua sedes. 15.
Conradus Celtes Protucius. 237.
Conradus, Dux Francorum. 91.
Conradus, Episcopus Spirensis. 125.
Cornarius (Achates), Physicus & Medicus. 491. seq.
Crafto I. Abbas Sponhem. 74.
Creutzenach (Nicolaus de), Prof. Theol. in acad. Viennensi, & scripta eius. 231.

Cru-



Crucenacensis (M. Petrus), Iudex aulicus Heidelb. sub Friderico I. Electore Palat. 229.
Crucenacensis archisatrapiæ prisca facies. 2. seqq.
—— Castrum Romanorum ibidem exstructum. 5. 6. 7.
—— Varii huius regionis possessores. 7. 8. seqq.
—— Varia eius regionis incrementa. 10. seqq.
—— Vlterius incrementum. 14. seqq.
—— Per Comitatum anteriorem Sponh. 15. seqq.
—— Recentior præfecturæ status, fines & situs. 26. seqq.
—— Eius flumina & amnes. 33. seqq.
—— Eius conditio physica & œconomica. 43. seqq.
—— Eiusdem oppida, arces, monasteria & alia loca. 50. seqq.
—— Ipsa metropolis Crucenacum, eiusque denominatio. 108. seqq.
—— Eius antiquitas, & palatium regium. 111. seqq.
—— Veteres & recentiores Dynastæ. 121. seqq.
—— Augmenta & privilegia civitatis. 132. seqq.
—— Aedificia regia, ecclesiastica, publica & civilia. 143. seqq.
—— Nonnulla ad Crucenacum spectantia miscelli argumenti. 166. seqq.
—— Mortis Martisque fata. 174. seqq.
—— Civitatis status recentior, fines & termini. 193. seqq.
—— Aedificia, prædia, cives, incolæ, agri & decimæ. 197. seqq.
—— Nonnulla physica seu naturalia. 208. seqq.
—— Quædam de rebus ecclesiasticis. 210. seq.
—— Præfecturæ & civitatis præfecti. 20. seq. 128. seqq. 211. seqq. 480. seqq.
—— Litterati Crucenacenses. 214. seqq.
—— Et quidem antiquiores. 214. seqq.
—— Recentiores. 280. seqq. 491. seqq.
—— Recentissimi. 387. seqq.
—— Vitam adhuc viventes. 482. seqq.
—— Nonnulli Ecclesiæ & Gymnasii Doctores. 499. seqq.
—— Crucenacum, oppidum. 108. seqq.
—— Eius castrum, vulgo die Heidenmauer. 112. seqq.
—— Vrbs olim dicta Stauronesus. 114.



Crucenacenſe Palatium regium. 9. 115. 117. 119. 143.
—— Sedes fuit nonnullorum Comitum & Principum. 132. ſeqq. 143.
—— Iure civitatis donatur. 135.
—— Arx montana, Germ. Kauzenberg. 144. ſeq. 185. 188.
—— Cœnobium Ordinis S. Benedicti ad S. Martinum. 146.
—— Templum S. Crucis & cœnobium nigrum, poſtea P. P. Carmelitarum. 147.
—— Coenobium S. Vincenti. 147.
—— Sacrarum Virginum S. Auguſtini coenobium D. Petro conſecratum. 148.
—— Cœnobium in inſula Navæ, B. V. Mariæ dedicatum, poſtea in eccleſiam collegiatam abiit. 150. ſeqq. Epitaphia in eadem 152. ſeqq.
—— Aedicula ſacra D. Diſibodi. 154.
—— Cœnobium P. P. Franciſcanorum, S. Wolfgango dedicatum. 154.
—— Templum Evangelico-Lutheranorum. 156.
—— Gymnaſium Reformatorum. 156. ſeqq.
—— Salinæ. 163. ſeq. 202. 207.
—— Inſignia urbis. 173.
—— Mercatus annui. 173.
—— Fodinæ hydrargyri. 174.
—— Mortis & alia fata. 174. ſeqq.
—— Fata Martis ante bellum tricennale. 179. ſeqq.
—— —— In bello tricennali. 182. ſeqq.
—— —— In bello Gallico. 188. ſeqq.
—— Limites Crucenacenſes. 193. ſeq.
—— Status recentior. 195.
—— Vetus & novum oppidum, die alt- und neu-ſtadt. 198. 195.
—— Aedificia & prædia hodiedum reſtantia. 197. ſeqq.
—— Varii ordinis cives & incolæ. 203. ſeqq.
—— Campi, agri, ſilvæ &c. 206. ſeqq.
—— Naturalia. 208. ſeqq.
—— Oppidum a Gallis expugnatur. 368. ſeqq.
Cruciger (Georgius) 442.

Digitized by Google



D.

Dalen (Ioannes a). 172.
Dalwick (Henr. Burckhardus de). 482.
Danckelmann (Everh. Chriſtop. Balthaſar de). 419.
Dauben (Iuſtus Henricus). 500.
Debus (Georgius). 430. ſeqq.
Delrio (Martinus). 262.
Dilg (Frid. Paulus), Crucenacenſis. 511.
Dienheim (Ioannes de). 211.
—— (Wigandus de). 211.
D. Diſibodi ædicula S. 154.
Diſibodenbergenſe cœnobium. 58.
Doverinus (Hermannus), Crucenacenſis, I. C. 301.
Dreſſerus (Matthæus), hiſtoricus. 262.
Dumniſſum, oppidum antiquiſſimum. 31.
Dynaſtæ Crucenac. veteres & recentiores. 121. ſeqq.

E.

Ebberts (Henr. Iacobus). 511.
Eberhardus, Comes de Newenburg. 9.
Eberhardus, Comes Sponhemienſis. 123.
Ebernburgum, caſtellum quondam munitiſſimum. 94.
Effern (Ferd. Wilhelmus de). 183.
Ehingen (Otto Franciſcus ab), Crucenacenſis. 492.
Ellerbach, amnis. 40. ſeq.
Eliſabetha, Com. Sponhem. 15. ſeq. 18. 35. 135. 141. 150. ſeq. 152. not. c. 195.
Emichonis Comitatus. 31.
Epitaphia in templo collegiato Crucen. 152. ſeqq.
—— in templo monaſterii Sponhem. 77. ſeqq.
Erbach, amnis. 42. ſeq.
Eſthius (Lubertus), Prof. Heidelb. 492. ſeqq.

F.

Fauſtus, alias Fuſt (Ioannes), Crucenacenſis, Prior Argentinenſis; eius ſcripta. 225.

Fauſtus



Faustus (Ioannes iunior), alias Georg. Sabellicus, præstigiator, vulgo der Schwarzkünstler. 257. seqq.
Feyl, pagus Ebernburg. 95.
Fickeisen (Christianus), Gymn. Crucen. Rector. 147. 163. 504.
Flad (Ioan. Daniel), Frid. Reinhardi filius, Ph. Wilh. Ludovici frater. 427.
—— (Frid. Reinhardus), Crucenacensis, Consiliarius ecclef. Palat. &c. 424 - 429.
—— (Laurentius). 213.
—— (Philip. Petrus) Consiliarius Palat. Friderici Reinh. pater, Philip. Wilh. Ludovici & Ioan. Dan. avus. 20. 128. seqq. 159. 424.
—— (Phil. Wilh. Ludovicus), Frid. Reinhardi filius, Ioan. Danielis frater, nunc Director Senatus ecclef. Palat. & Consiliarius Regiminis Elector. Palat. 427.
Fodinæ Crucenac. hydrargyri. 174.
Francia orientalis & occident. 7.
Franciæ Duces. 8. seq.
Franciscanorum cœnobium Crucen. 154.
Frey - Laubersheim, pagus. 95.
Fridericus I. Elector Palatinus 11. 17. 52. 60. seq. 76. 89. 91. seq. 101. 103. 138. seq. 142. 227. 229.
Fridericus I. Rex Borussiæ. 411.
Fridericus II. Elector Palatinus. 142. 280.
Fridericus II. Rex Borussiæ. 483. 505.
Fridericus III. Elector Palatinus. 18. 102. 140. 142. 211. 305.
Fridericus III. Imperator Romanus. 231.
Fridericus IV. Elector Palatinus. 12. 18. 170. seqq. 291.
Fridericus Wilhelmus, Rex Borussiæ. 445.
Frohn (Ioan. Philippus), Hasso - Cassellanus. 449. seq.
Fuchs (Carolus Iacobus de), 421.
—— (Ioan. Henricus de), Monzingensis. 418. seqq.
—— (Ludov. Casimirus de), 421.
—— (Paulus de), Stetino - Pomeranus. 421. seqq.

Digitized by Google



G.

Gallas, Dux Cæsareus. 185.
Gan-Erben, quasi gemeine Erben. 127. seq.
Gauch (Ioan.), Sobernhem. 280.
Geier (Ioan. Daniel), egregius Physicus. 408.
Geispizheim (Wolffg. Bernhardus de). 212.
Gemundium (al. Gemunda.), oppidum. 31.
Genzingen, pagus. 95.
Genzinger-Bach. 42.
Gerardus, Archiepiscopus Mogunt. 96.
Gerdesius (Daniel). 441. not. n. 448. not. w.
Gerlacus, Comes Sponhem. 220.
Germanus (M. Balthasar). 297.
Gesnerus (Conradus). 260. 270.
Glanus, fluvius. 37. seqq.
Gleistorffer (Waltherus). 499.
Gobelinus, Crucenacensis, Abbas Sponhem. 80. 166. seqq. 226. seqq.
Gottschalck (Abrah. Theobaldus), Crucenacensis. 407. seq.
Gouppeliere (Dominus de), Gallorum præfectus. 191.
Gryposius (Ioannes), cogn. Artopœus, civis Crucenacensis eruditus. 232.
Guldenbach, amnis. 42.
Gustavus Adolphus, Rex Sueciæ. 184. seq.
Gutenberg, pagus. 97.
Guthenius (Henricus), Architectus Heidelberg. 298.
Gymnasium Crucenacense. 156. seqq. 191. seq.

H.

Haas (Ioannes), 503.
Hackenheim, pagus. 97.
Hahner-Hof. 98.
Hallgarten. 98.
Hanenbach, amnis. 40.
Hargesheim, pagus. 98.
Hasfurt (Ioan. Virdungus de), Mathematicus. 274. seq.



Hecht (Otto Reinholdus), 377. seq.
—— (Philip. Reinhold.). 377. seq.
Heddorterhof. 98.
Heidelberg. collegium Sapientiæ. 280.
Heidenmauer. 112. seqq.
Heiles (Franc. Daniel). 213. 481.
Heimbergerhof. 98.
Henrici (Sigwartus). 386.
Henricus, Abbas Sponh. bibliothecæ Sponhem. vastator. 80. 221. seq.
Henricus, Comes Sponhem. 11.
Henricus IV. & V. Imperatores Romani. 90. seq. 119. 121.
Hezler (Daniel.) 503.
S. Hildegardis, Virgo celeberrima; eiusque scripta. 214. seqq. 241.
Hiltrudis, Meginhardi Comitis Sponhem. filia. 214.
Hochstatten. 98.
Hoffmannus (Balthasar), Sobernhemiensis. 298.
—— (Henricus). 298.
—— (Ioan. Balth.) 300.
Hondorfius (Andreas), seculi XVI. ecclesiastes. 259.
Hooc (Ioan. Paulus), Bipontinus. 467. seq. 501.
Horche (Henricus), 423. seq. 500.
Hottingerus (Abel Adam.). 451. seq. 501.
—— (Ioan. Henricus), D. & Prof. Theol. Heidelb. Ab. Adami Pater. 451.
Humbertus (Daniel), Francothal. 157. seq. 388. seq. 504.
Hundheim (L. B. de). 213.
Hunnorum pagus vel tractus. 1. seq. 28.
Husæus (Eustatius), 296.
—— (Phil. Stephanus), 296.
Hülsmannus (Ioan.) 500.
Hydrargyri fodinæ Crucen. 174.

I.

Igelbach. 39.
Insignia urbis Crucen. 173.

Ioach.

Digitized by Google



Ioach. Ernestus, Marchio Brandenburgico-Onolsbacensis, 182.
Ioachimus, Marchio Brandenburg. 242. seq.
Ioan. Casimirus, Comes Palat. Rh. 11. 12. 282.
Ioannes, cogn. Claudus, Comes Sponhem. 132. seq.
Ioannes, Abbas Sponh. 96.
Ioannes I. Comes Sponh. 126.
Ioannes I. Dux Bipontinus. 299.
Ioannes II. Comes Sponhem. 77. 120. 126. 137. 144. 149.
Ioannes II. Dux Bipont. 299. seq.
Ioannes V. Comes Rhenensis. 150.
Ioannes VI. Comes Sponhem. 15. seq.
Ioannes, Elector Saxoniæ. 266. 277.
Ioannes Wilhelmus, Elector Palatinus. 13. 21. seqq. 49. seq. 66. 128. 157. 393.
Iutta, Meginhardi, Sponhem. Comitis, soror. 214.

K.

Karbach (Ioan. Henricus). 506.
Katzenbach, amnis. 43.
Kautzenberg, arx montana Crucen. 144. seq. 185. 188.
Keiflin (Ioan. Georgius). 436. seq.
Kiesrother-bach. 43.
Kimedontius (Abrahamus). 503.
Kirchmeyerus (Ioan. Christianus), D. & Prof. Theol. Heidelb. 415.
Klosterhof. 94.
Knitlinga, oppidulum Würtembergense, prope Brettam Palat. 258. 264. 273. 278.
Krayus (Isaacus). 482.
Kriegsfelder-bach. 42.
Kuhnius (Ioan. Godofridus). 453.

L.

Landschad (Ioannes de Steinach). 181.
Langenlonsheim, pagus. 98. seq.
Langenthal, pagus. 99.



Litterati Crucenacenſes. 214 - 498.
Lohrbacher (Ioan. Sebaſtianus). 510.
Lotharius Franciſcus, Archiepiſcopus Mogunt. 13.
Ludismannus (Caſpar.). 502.
Ludovicus II. Elector Palatinus. 137.
Ludovicus III. Elector Palat. 140.
Ludovicus V. Elector Palat. 139.
Ludovicus VI. Elector Palat. 151.
Ludovicus Henricus, Comes Palat. Rh. 12. 105. 172. ſeq.
Ludovicus Henricus Mauritius, Dux Simmerenſis. 145.
Ludovicus IV. Imp. Rom. 58. ſeqq. 123.
Ludovicus, Marchio Badenſis. 157.
Ludovicus Niger, Dux Bipontinus. 11. 52. 101.
Ludovicus Philippus, Comes Palat. Rh. 18. 172. 186.
Ludovicus Pius, Imp. Rom. 116. 118. 146. 166.

M.

Manlius (Ioannes). 258. 272.
Maria, Princeps Arauſiaca. 150.
D. Mariæ porta, Germ. Marienpfort. 63. ſeq.
Martini (Caſp. Fridericus). 339.
Matthias (Frid.). 502.
Maximilianus, Imp. Rom. 244.
Maximilianus I. Imp. Rom. 266. ſeq.
Maximilianus, Rex. Rom. 169.
Mechtildis, Domina Comes Seynenſis. 140.
Meginhardus, Comes Sponhem. 65. 69. 72.
Meliſſus (Paulus Schedius), P. C. 307. ſeqq. 317. ſeq.
Mercatus annui Crucen. 173.
Merxheim, villa. 99. ſeq.
Meuſchius (Theobaldus), Crucenacenſis. 300. ſeq.
Mieg (Ludov. Chriſtianus), Th. D. & Prof. Heidelb. 470.
Monæus (Conradus), Gymn. Neohuſ. & Crucen. Rector. 303. 503.
—— (Ioan. Conrad.). Crucenacenſis, I. C. 302.

Mon-



Monzinga, oppidum. 50. feqq.
Monzinger-bach. 39.
Mortius (Michael); eius fides erga Comitem Sponhem. fortitudo & fata. 132. feqq.
Müllerus (Fridericus), Crucenacenfis, pictor. 491.

N.

Narciffus, Gallus, Med. D. 245.
Naturalia Crucenacenfia. 208. feqq.
Naudæus (Gabriel). 262. feq. 271. feq.
Nava, Navus, Germ. die Nahe &c. fluvius. 34. feqq.
Navenfis pagus. 28. feqq.
Nebel (Daniel), Prof. & D. Heidelberg. 390. 402.
Nettesheim (Corn. Agrippa de), 259. 268. feq. 276.
Neufville (Franc. Daniel de), 447.
Neuphardus (Ehrhardus), 281.
—— (Ioan. Vlricus). 281.
—— (Wolfg. Nicolaus). 281. feq.
Nicolaus de Alfentia. 232.
Niederhaufen, pagus. 100.
Nifter (Ioan. Wilhelmus), Crucenacenfis. 487. feq.
Norheim, pagus. 101.
Nube (Ioan. Henricus). 501.
Nuffbaum, pagus. 101. feq.

O.

Obentraud (Albertus Reichardus de). 481.
Oberhilbersheim, pagus. 202.
Oberftreit, viculus. 103.
Odernhemium Palat. expugnatur. 365.
Odernhemium ad Glanum, Germ. Glan-Odernheim. 102.
Oppidum vetus & novum Crucen. 108. 195.
Ortenberg (Ludovicus ab), I. V. D. 480. feq.
Oftroburgum, vel Oftroburgenfe Palatium. 9. 120.



Otto Henricus, Elector Palatinus. 18.
Otto (Ioan. Henricus), Præfectus Palat. 20. 213. & 416.
—— (Ioan. Michael). 159.

P.

Pabst (Wilhelmus). 212.
Palatini Saltus, vulgo der Pfalzſprung. 170. ſeqq.
Palatium regium. 9. 111. ſeqq. 143.
Paniel (Ioan. Wilhelmus), Crucenacenſis, Phil. Henrici filius. 511.
—— (Phil. Henricus), Crucenac. 510. ſeq.
Pareus (Ioan. Philippus), Davidis filius. 304-336. Baſileæ creatur A. L. M. & Philoſ. Doctor. 305. ſeq. Cæſareus Poëta Laureatus. 307. ſeqq. Eius munera. 309. ſeqq. Eius fata. 310. ſeqq. Creatur Theol. Doctor in Academia Baſil. 314. ſeqq. Eius obitus. 317. Eius coniuges. 320. ſeq. Eius filii Daniel & David. 321. ſeq. Scripta eius. 322. ſeqq. De iis variorum iudicia. 324. ſeqq.
—— (Daniel), Io. Philippi filius. 332. ſeqq.
—— (David), Theol. Heidelb. 282. 284.
Paſtores eccleſiæ Crucenac. 499. ſeqq.
Pellicanus (Conradus). 88.
M. Petrus Crucenacenſis, iudex aulicus Heidelberg. 229.
Pfalzſprung. 170. ſeqq.
Philipertus, Marchio Badenſis. 211.
Philippus Conradus, Comes Steinfurtenſis. 380.
Philippus, Elector Palatinus. 60. ſeq. 81. 142. 169. 180. 241. ſeqq. 246. ſeqq. 274.
Philippus Ludovicus, Comes Palat. Rh. Dux Simmerenſis. 187.
Piſcator (Ioannes), 340.
—— (Ioan. Iacobus), 443. 504. ſeq.
—— (Phil. Ludovicus), 341. ſeq. 359.
Pithopœus (Lamb. Helmius). 287. 297.
Planig, pagus. 103.



Porlock (Gisbertus), Inspector Crucen. 379. seqq. Eius studia. 380. seqq. Scripta eius. 383. seq. 500.
—— (Ioan. Henricus). 384. seqq.
Porta D. Mariæ, Germ. Marienpfort. 63. seq.
Præceptores Crucen. Gymnasii. 502. seqq.
Præfecti Crucenac. veteres & recentiores. 20. seq. 128. seqq. 211. seqq. 480. seqq.
Praunweiler, pagus. 104.
Privilegia civitatis Crucenac. 132. seqq.

Q.

Quad (Ioan. Nicolaus). 213.

R.

Randeck (Wilhelmus de). 211.
Raugravii; præcipua eorum sedes. 15.
Rectores Gymnasii Crucenac. 502. seqq.
Remich (Nicolaus de), Abbas Sponhem. 88.
Reuchlinus (Ioannes), al. Capnio. 237.
Reutelius (Ioan. Wernerus). 442. seq. 505.
Richardus, Com. Pal. Rh. Dux Simmerensis. 170.
Riedesheim, pagus. 104.
—— (Domini de), Nobiles. 104.
Rittmeierus (Christianus), Dapifer Crucenacensis. 213. eiusque scripta. 413. seqq.
Roda, vicus Vinariensis. 264.
Rotherhof, 104.
Roxheim, pagus. 104.
Rudolphus I. Elector Palatinus. 137.
Rudolphus II. Elector Palat. 139.
Rulmannus (Ioannes). 499.
Rupertus I. Elector Palat. 108. 138. seq. 141.
Rupertus II. Elector Palat. 141.
Rupertus III. Elector Palat. 15. seq. 31. 138. 225.

Rupertus



Rupertus Pipan, Ruperti III. filius. 16. 135. 151. 152. not. c. 195.
Rupertus Sanctus, Comes Palat. Rheni. 33.
Ruthardus, Archiepiscopus Moguntinus. 55.

S.

Sabellicus (Georg.). vulgo Faustus iunior, der Schwarzkünstler. 156. 257. seqq.
Salinæ Crucenac. 163. seq. 202. 207.
Saltus Palat. der Pfalzsprung. 170. seqq.
Sapientiæ collegium Heidelberg. 280.
Saurius (Alexander). 502.
Schardtius (Petrus). 388.
Scharpfenstein (Cratzii de). 55. seq. 64.
Schneckius (Ioannes), Prætor Sobernhem. 57.
Schedius (Paulus Melissus). 307. seqq. 317. seq.
Schelm de Bergen (L. Baro). 20.
Scheurlius (Laurentius). 495. seq.
Schlosserus (Ioan. Philippus). 432.
—— (Ludov. Georg.). 432.
Schmidberg (Nicol. Brunus de). 181.
Schmidtmann (Ioan. Daniel), Palatinus. 412.
Schwabenheim, vulgo Pfaffen-Schwabenheim, pagus & cœnobium. 65. seqq.
Seynenses Comites. 10.
Sickingen (Franciscus L. B. de). 156. Bellum adversus ipsum. 169. seq. 274.
Simon III. Comes Sponhemiensis. 75. 126. 137.
Simon IV. Comes Sponhem. 15. 35.
Sixtus (Wolfg. Christophorus.) 444. 500.
In Comitatu Sponhem. commune dominium inter Electorem Palat. & Marchionem Badensem desiit. 20. seqq.
Sobernheim (Bertholdus Cantrifusoris de), Canonicus Mogunt. 228.
Sobernheim (Ioannes de), Abbas Sponhem. 220. seq.

Sobern-



Sobernheim (Matthias de), in aula Ruperti III. Electoris Palat. Consiliarius. 225. seq.
Sobernhemium, oppidum. 55. seqq.
Sohrius (Frid. Casimirus). 499.
Soltwedelia, oppidum Anhaltinum. 264.
Spanhemius (Daniel). 292.
—— (Ezechiel). 292.
—— (Fridericus), Pater & Filius. 292.
—— (Wigandus), Crucenacensis, Theologus & Philologus Amberg. atque Heidelbergensis; eius epistola ad Chr. Becmannum. 291. seqq.
Spieß (Ioan. Martinus). 505.
Spina (Ioannes de). 391. 412.
—— (Petrus de). 390.
Spinola, Marchio. 182. seq.
Sponheimer (Ioannes). 503.
Sponhemium, pagus & arx. 67. seq.
Sponhem. bibliotheca. 79. seqq.
Sponhemienses Comites. 10. 15.
Sponhem. Comitatus anterior. 15. seqq.
Sponhem. epitaphia & inscriptiones. 67. 73. seq. 77. seqq.
Sponhem. monasterium. 68. seqq; eius bona. 75.
Stahl (Car. Theodorus de). 28. 486. seq.
Staudernheim, pagus. 105.
Staudenrheimer-Bach. 40.
Stauronesus olim dicebatur Crucenacum. 114.
Stein (Ioan. Fridericus, L. B. ab & in). 212.
Steinach (Ioannes Landschad de). 181.
Steinharter-hof. 105.
Steinkallenfels (Henr. Casimirus, L. B. de). 212.
Stephanus, Comes Palat. Rh. Dux Simmerensis & Bipontinus. 17.
Stephanus, Comes Sponhem. 69.
Stephanus, Ruperti III. Cæsaris & Electoris Palat. filius. 141.



Stibelius (Ioannes), Lutræ Cæſareæ natus, Theologus, adfinis Dav. Parei. 282. ſeqq.
Stollberg (Chriſtop.). 499.
Stoſchius (Ferdinandus). 458. ſeq. not. w.
Strasburgerus (Paulus). 343. 357.
Stumphius (Abrah. Henricus). 437.
—— (Ludov. Hermannus). 437. ſeqq. De eo, eiusque ſcriptis nonnullorum iudicia. 439. ſeqq.
Suffridus, Comes Rhenenſis. 149.

T.

Timannus (Ioſua Conradus), Nicrogemunda-Palatinus. 339. 504.
Tolner (Car. Ludovicus), Crucenacenſis, hiſtoricus. 389-407. Eius ſtudia atque itinera. 391. ſeqq. Eius hiſtoria Palatina & adverſarii. 393. ſeqq. Nuncupatur Conſiliarius & Hiſtoricus Palatinus, nec non Haſſiacus. 393. ſeq. Eius infelix matrimonium. 398. ſeq. Eius obitus & epitaphium. 399. ſeq. Alia ſcripta. 400. ſeq. Iudicia de Tolnero. 401. ſeq. Programma acad. de ipſius morte. 402. ſeqq. Aliorum teſtimonia. 406. ſeq.
Traiecto inferiori (Andreas de), Monachus Sponhem. nonnulla ſcripſit. 230.
Treviranus (Ioan. Daniel). 447. ſeq. 501.
Treytzen, al. Dreiſen, villa. 106.
Trithemius (Ioannes), Abbas Sponhem. 80. 82. ſeqq. 232. ſeqq. Eius fata & ſcripta. 232-256. Creatur Abbas in ſuburbio Herbipolit. 246. ſeq. Eius epitaphia, reliqua ſcripta, atque de iisdem iudicia. 247. ſeqq. Societatis litter. Rhenanæ membrum. 256.

U.

Udegeba, Baldemari, Abbatis Sponhem. ſoror. 220.
Udo, Nobilis de Sponheim 95.
Urſinus (Zacharias), Theologus Palat. 285. ſeq.



V.

Vangiones, liberi Germaniæ populi. 2. feqq.
Venningen (Carolus Philippus, L. B. de). 28.
Venator (Balthafar). 438.
S. Vincenti cœnobium Crucenac. 147.
Virdungus (Ioannes de Hasfurt), Mathematicus. 274. feq.
Voglerus (Valentinus Henr.), Phyficus. 496.

W.

Waghnerus (Ioannes). 211.
Waldbach. 43.
Walramus, Comes Crucenac. & Sponhem. 149.
Weigand (Cafp.). 503.
Weinheimer-Bach. 39.
Weinhemium Palat. in ftrata montana occupatur. 346. feqq.
Weinsheim, pagus. 106.
Wenceslaus, Imp. Rom. 141.
Wernerus, Comes Rhenenfis. 143. 148. feq.
Wernerus (Valentinus). 499.
Wefenbecius (Matthæus). 299.
Widder (Frid. Adamus). 446.
—— (Ioan. Philippus). 445. feq. 505.
Wierus (Ioannes). 259. feqq. 270. 272. 276.
Wilhelmi (Chriftop. Reinh.) 500.
Wilhelmitæ monachi. 63. feq.
Wilhelmus, Abbas Sponhem. 103.
Wilhelmus de Beckelnheim, Abb. Sponh. 222. feqq.
Wilhelmus, Haffiæ Landgravius. 180.
Wilhelmus, Imp. Rom. 268.
Wilhelmus, L. B. in Winneberg & Beyelftein. 481.
Wilhelmus, Marchio Badenfis. 186.
Willicho I. Abbas Sponhem. 89.
Willegifus, Archiepifcopus Mogunt. 52. 55.
Wimphelingius (Iacobus). 240.



Winterburger (Ioannes). 496.
Wittenberga, opp. 265. ſeq.
Wittich (Matthæus). 503.
Womrad (Ioan. Conradus.) 387.
Wonsheimer-Bach. 42.
Wund (Carolus Caſimirus), Ioan. Iacobi filius. 478. 490. Diem ſupremum obiit d. XXIII. April. inter ſeptimam & octavam matutinam, terræ mandatus d. XXV; qui erat dies eius natalis, quo quadrageſimum ætatis annum complevit.
—— (Daniel Ludovicus), Crucenacenſis, Ioan. Iacobi filius, 478. 490.
—— (Ioan. Caſimirus), Io. Iacobi & Frid. Ludovici frater. 511.
—— (Ioannes Iacobus), S. Theol. D. & Prof. & Paſtor Heidelberg. 469-478. Eius ſtudia, itinera & munera. 469. ſeqq. Theol. Doctor creatur. 472. ſeqq. Eius ſcripta. 475. 477. Obitus. 476. encomium. 476. ſeq. 501.
—— (Frid. Ludovicus), Crucenacenſis, Ioan. Iacobi frater, Senatus eccleſ. Palat. & curiæ matrimonialis Director. 465. ſeqq.
—— (Frid. Petrus), Crucenacenſis, Io. Iacobi filius. 478. 490.
Wyler (Franciſcus), Monachus Crucen. eius ſcripta. 231. ſeq.

Z.

Zaberer (Ioannes). 503.
Zachmann (Ioan. Reichardus de). 497. ſeqq.
Zahn (Conradus). 499.
Zimmermann (Ioan. Nicolaus), Poëta Laureatus. 338. 503. ſeq.
Zotzenheim, pagus. 107.



MANTISSA AD CRVCENACVM.

ANECDOTA
IOANNIS GEORGII GRAEVII a)
EPISTOLA b)
AD
GALLIAE REGEM LVDOVICVM MAGNVM.

Magnitudine non ſolum rerum domi foriſque geſtarum, ſed inuſitata & incredibili quadam beneficentia, in omnis virtutis genere honorando TE Ipſe dudum conſecraſti, AUGUSTE! ut vivus videnſque tanquam præſens aliquod Numen in orbe terrarum colaris. Hoſtes vincere, populos magnos fundere, gentes infeſtas & indomitas pacare Attilæ, Tamerlani aliique Barbari Reges potuerunt, ſed benevolentia demereri genus humanum, ut Hercules & ſalutares illi Dii Caſtores, Reges ſupra faſtigium regium extollit & ſuperis miſcet. Hac vero mirifica beneficentia in omnes, quos bene mereri de humana ſocietate cenſes, non modo non maximos quoſque Reges, quos unquam ſol aſpexit, ſed TE Ipſum longe ſuperaſti. Nihil dicam de alius ordinis hominibus, de Ducibus bellicis, de artificibus, de negotiatoribus, quos cum aliquid ſalutare mortalium generi inveniſſent, feciſſentve, Tua cura dignatus es, & liberaliſſime tractaſti, de mei loci hominibus loqui mihi tantum pau-



cissimis apud TE liceat, Rex sapientissime! Cum persuasum & exploratum TIBI esset, ad beatitudinem & cultum vitæ humanæ studia sapientiæ & doctrinarum non parvum adiumentum adferre, in fovendis ingeniis & disciplinarum præstantissimarum cultoribus ornandis, quis ab omni hominum memoria TIBI par fuit aut secundus? Laudibus in cœlum effertur priscorum quorundam Regum ac Imperatorum liberalitas, qua viros doctos sui temporis sunt prosecuti. Verum non latius illa patuit, quam erga suos cives, aut si quos exteros forte in suum comitatum adscripserant, aut in itineribus viderant; TV vero, Rex Optime Maxime! quos ubique gentium liberalioris alicuius artis quam exercent bono publico non trivialis intelligentia famæ commendavit, stipendiis & præmiis invidendis prosecutus es, ut testatum faceres TIBI non magis esse curæ salutem TVI regni, quam incolumitatem & dignitatem literarum, hoc est regem agere non solius Galliæ, sed totius cultioris orbis, cum non tantum commodis Tuorum civium, sed omnium hominum consulis. Eorum enim augentur commoda, cum egregiarum scientiarum decus augetur & propagatur.

Me cum huic peplo clarorum hominum intexi voluisti, quos TV immortalitate donasti, non possunt enim non sempiterni nominis decus sibi promittere, quos prærogativa iudicii & voluntatis TVAE exemit vulgo, ea me consecutum esse, semper existimavi, quæ nunquam sperare sustinueram. Verum ab


eo

eo tempore nulla res alia me ſollicitum æque habuit dies noctesque, quam ut & grati animi, & ſtudii, quod in excolenda doctrina politiori pono, monumentum ſtatuerem, quod fidem faceret, nec apud immemorem tanti beneficii, nec apud indignum TE collocaſſe tantum beneficium. Cum igitur expoliiſſem cura mea Tullianorum ſcriptorum optimum de Officiis Sereniſſimo Delphino c) dicendum, TIBIque mittendum cenſui, ſi gratiam, in quam me poſuit apud TE honeſta opinio de meis conatibus in re litteraria, conſervaverit hoc gratæ ſignificationis pignus, maius in rebus humanis nihil eſt, quod poſſim velimve optare.

DEVS TE, Regum unicum Decus cum Auguſta Domo diutiſſime incolumem eſſe iubeat, quem precabimur, ut de noſtris TVOS annos augeat. Traiecti ad Rhenum, poſtridie Kal. Novembris. 1687.

Græviuſ.

a) Quantus in republica litteraria Vir fuerit *Grævius*, non eſt, cur hic loci multis repetam præconiis. Sufficiant, quæ de eo in dedicatione Epiſtolarum ad illuſtrem Virum *Gisbertum Cuperum*, Reip. Daventrienſis Conſulem &c. &c. d. VIII. Cal. Maii an. 1707. ſcripſit *Ioan. Albertus Fabricius*, D. & Eloq. Prof. Hamburg. *Si*, inquit, *in quoquam mortalium*, *certe in* Io. Georgio Grævio *hæc coniuncta enituiſſe*, *citra invidiæ etiam invidiam affirmaverim. Quanta in illo Viro*, *quamque accurata & dilucida cognitio Antiquitatis*, *quanta utriusque linguæ peritia*, *quanta*



quanta scientia rei civilis & rerum toto orbe quavis memoria gestarum. Eloquentia vero tam singularis tamque exquisita, ut sermo eius a Musis videatur ipsis & Gratiis elaboratus esse, Latine certe qui scripserit vel tersius vel suavius, a longa iam memoria reperire liceat neminem. Hæc quantumvis magna ac præclara, non tamen tanti mihi videntur, quam quæ in eodem Viro semper mihi admirationi maximæ fuere dotibus illis artissimo nexu copulatæ virtutes, honestatis constans ac perpetuum studium, summa humanitas, modestia, æquitas, qua diligentissime sibi cavebat, ne aliorum meritis detraheret, calumniam tanquam turpem & atrocem, invidentiam veluti ignavam bestiam procul a se iubebat esse, sine exceptione favebat ingeniis, amicus sincerus ac constans, pronus ad alienas celebrandas virtutes, gaudebat, cum videret, alios ex aliorum quoque disciplina in decus litterarum succrescere, nunquam cessabat ardere studio amplificandi dignitatem & latifundia bonarum artium & disciplinarum, atque ad idem faciendum alios indefessa opera inflammabat. Hostis iuratus contentionum, obtrectationumque, & odiorum, quibus de re sæpe nihili in sese mutuo grassari dolebat Viros doctissimos, qui ut in gratiam iterum redirent invicem, omnem operam impendere non gravabatur. His si addas denique κοινονοημοσύνην *illam ac præclaram vivendi, quæ in illo Viro præfulgebat, artem, comitatemque, qua non minus imæ sortis hominibus poterat uti humaniter, quam cum viris principibus & in summa dignitate constitutis, versari, atque amorem eorum & existimationem sibi conciliare; is equidem* Graevius *fuisse videbitur, ut, si multi huiusmodi essent inter eos, qui in eruditis nomen profitentur suum, eruditionis ipsius haud dubie & litterarum maior dignitas apud homines esset futura. Verissime dixit Democritus, vel quisquis ante ipsum primus* sermonem animi umbram atque imaginem *esse affirmavit. Itaque harum quoque, quas iam memoravi, virtutum vestigia in scriptis* Grævii *omnibus perspicue impressa leguntur, nusquam tamen clarius manifestiusque illa elucent, quam in eius Epistolis, ex quarum lectione ideo*

maxi-

maximam me semper cepisse voluptatem libenter profiteor ac præ me fero.

Ceterum plura dabit V. C. *Petrus Burmannus*, senior, in oratione funebri in obitum Viri clarissimi *I. G. Grævii*, Magnæ Britanniæ Regis Historici, Politices, Historiarum & Eloquentiæ Professoris Ordinarii, dicta XI. Kal. Martias CIↃ IↃ CCIII. Ex hac oratione, subiuncta quoque epistolis *Grævii*, tantummodo decerpam, quæ ad Academiam spectant Heidelbergensem. Ibi namque pag. 574 & 575. sequentia legimus: *Ad omnia surdus* (Grævius), *nullo blandimento, nullis illecebris, ut patriæ in morem dilectam sibi Vltraiectum desereret, quam sua professione omnem famam amissuram sciebat, poterat corrumpi. Non celebrata illa & singularis Amstelædamensium Magistratuum in Eruditos liberalitas, non urbani ærarii, cuius angustiæ numquam prætexi possunt, & ex quo stipendium, quale nulla in his terris civitas persolvere potest Professoribus suis, largissimum promittebatur, amplitudo; non si ipse mortalis esse desineret, viduæ & desolatæ familiæ paratum in istius urbis Proceribus præsidium, non summus libertatis, cuius eam urbem arcem esse dicere consueverat, fructus, qui incolis præbetur, animum eius labefactabant. Non Academiæ Lugdunensis splendor, & præ nostra celebritas, non maioris emolumenti spes, quæ ostendebatur. Non ipsa Venetæ Reipublicæ maiestas & antiquitatis gloria, quæ raro exemplo tam longe, in doctorum Virorum penes se penuria, dignum* Octavio Ferrario *successorem quærebat, eum, ut fidem nostris datam solveret, adducebat. Non Regis Borussorum, qui, ut omnibus Eruditis prolixum favorem præstat, Grævium tamen singulari amore & benevolentia amplectebatur, liberalissima & sæpius iterata invitatio; non Palatini Electoris, qui in instauranda antiquissima Heidelbergensi Academia eius consilio uti, & renascentis Scholæ initia eius nomine & auspiciis consecrari optabat, sine exemplo liberalitas, a sententia sua dimovebat.*




Huius *Grævii* insignem bibliothecam, optimis omnis generis auctoribus refertam, magnifico impendio comparatam, an. MDCCIII. Cal. Mart. illustri prorsus exemplo, Heidelbergensi Academiæ donavit Serenissimus Princeps & Elector IOANNES WILHELMVS. Vid. *Wolfg. Wilhelmus de Riesmann* in diss. hist. philol. de *hodiernorum Principum Palatinorum origine, eorumque erga litteras favore.* Thes. XIX. circa finem. Quem in finem legi quoque meretur *allocutio submississima* ad eumdem Ser. Electorem, cum bibliothecam *Grævianam* Academiæ Palatinæ addixisset, facta a *Ioanne Laurentio Crollio*, eiusdem ante ferale incendium, tum vero Marburgensis Vniversitatis Professore Theologo, atque anno prædicto Marburgi exscripta typis *Ioan. Iodoci Kürsneri,* in fol. Conf. V. C. *Ioannis* in Miscell. hist. Palat. p. 258. Sed tamen multos bibliothecæ Grævianæ libros Dusseldorpii tum remansisse, paucissimos autem, eosque maximam partem Grammaticos, atque aliquot historicos cum nonnullis Auctoribus classicis, qui non magni sunt momenti, Heidelbergam pervenisse, testis est ipsa bibliotheca.

b) *Grævii* præfationes & epistolas CXX. in usum Latinæ eloquentiæ studiosorum collegit & edidit *Io. Alb. Fabricius*, simulque adiunxit *Petri Burmanni* orationem dictam in *Grævii* funere. Hamburgi sumtu *Christiani Liebezeit*, typis *Spiringianis.* A. C. CIↃIↃCCVII. in 8. Eadem oratio funebris subnexa quoque est orationibus *Grævii*, quas Vltraiecti habuit, & quas laudatus *Burmannus* iunctim publici iuris fecit Lugduni Batav. apud *Ioannem du Vivie.* MDCCXVII. in 8. mai. Quid vero clar. Editor de hisce Epistolis senserit, ex ipsius verbis, in cit. dedicatione obviis, dilucidissime patescit: *Sæpius*, inquit, *hinc optavi*, *& pro Græviani gloria nominis exspectavi etiam, ut Epistolæ eius, quas scripsit propemodum infinitas, ex privatis virorum doctorum scriniis proferrentur in lucem atque singulari fructu hominum studiosorum, qui bonæ menti non minus, quam eloquentiæ ac bonis litteris dant operam, in publicum emitterentur. Dum autem cessatur*,



ſatur, exiſtimavi, me operæ pretium facere, ſi hanc interim earum paulo plus quam centuriam colligerem, atque promulſidis loco in unum redactam volumen edere aggrederer, ut vel ceterarum, quibus carendum adhuc eſt, deſiderium, utcunque harum lectione levem, vel eos, qui poſſunt, ad reliquarum evulgandarum curam alacrius ſuſcipiendam impellam accendamque. In hoc epiſtolarum Grævianarum libro, veluti amœno quodam fragrantiſſimorum florum faſciculo, non occurrit ſuperior epiſtola; utpote quam, iamdudum in ſcriniis meis deliteſcentem, hac occaſione ex apographo deſcriptam, cum benevolis Lectoribus communicare non dubitavi. Aliam, eamdemque elegantiſſimam & eruditiſſimam *Grævii* ad magnum illum *Ezechielem Spanhemium*, eximium quondam Palatinatus noſtri ornamentum, Epiſtolam, Traiecti ad Rh. a. d. VI. Kal. Novembr. 1672. datam, nobis adſervavit cel. *Vhlius* in ſylloge nova epiſtolarum (Norimb. 1760. in 8.) Vol. I. Lib. III. ep. 128. pag. 543-552.

c) In citato epiſtolarum volumine duæ *Grævii* epiſtolæ, ad Sereniſſimum Galliarum Delphinum LVDOVICVM ſcriptæ, reperiuntur; altera nimirum eſt Epiſt. IX. p. 39-43. Trai. ad Rh. Kal. Decembr. 1683; altera vero Epiſt. IX. pag. 49-54. Trai. a. d. X. Kal. Iul. CIↃIↃCLXXXVII. Vtraque ad epiſtolam, iam primum in publicum emiſſam, propinquam habet relationem.







itized by Google

Digitized by Google



gitized by Google

Digitized by Google



igitized by Google